CODEX LITVRGICVS

ECCLESIAE ROMANO-CATHOLICAE

IN EPITOMEN REDACTVS.

CVRAVIT

HERM. ADALB. DANIEL,

PHIL. DR. SOCIETATIS HISTORICO-THEOLOGICAE LIPSIENSIS SÓDALIS.

LIPSIAE,

T. O. WEIGEL.

MDCCCXLVII.

PRAEFATIO.

Non indiget argumentis res confessa et manifesta: nullo unquam tempore ecclesiae navim tam turbato mari raptam esse quam eo quod nunc labitur. Undique venti erumpunt, nubes undique adductae tenebris obruunt diem, saevi oriuntur turbines, magni commoventur fluctus, atroces excitantur tempestates, fragoribus crebris omnia quatiuntur et ignes hinc illinc emicant. Inter haec fulmina et tonitrua alii alias partes suscipiunt. Sunt qui buccis inflatis ventorum vim augere, incendia si forte quae exstinguantur denuo excitare, omnia turbare ac miscere studeant: quibus nihil antiquius est, nihil magis cordi (si isti homines cor habere putandi sunt) quam ut diuturna Christianorum dissidia incomposita maneant, vulnus non coeat sed continua sanie putrescat. Hi quomodo Domino ecclesiae de invisis suis negotiis satisfaciant, videant ipsi. Ego vero dum vivo ardentissimo animi voto exorare precibus non desinam, quod mecum exorant omnes boni: ut pacato reipublicae Christianae statu gignatur amabilis ecclesiae concordia fiatque pax in turribus Sion. Neque in precibus ac votis acquievi: non semel prodiit in lucem liber, quo omnium oculos a spinosis ac tortuosis huius aetatis quaestionibus in vetustam priorum saeculorum ecclesiam veluti in libertatis ac pacis imaginem avertere conatus sum. Nunquam desistam illo munere, quod recte vocatur *διακονία τῆς καταλλαγῆς*, neque unquam me de proposito deflecti patiar eo quod uti saepius ita nuperrime factum est, me apud fanaticos homines qui immodico partium studio flagrant, magnam mihi conflare invidiam, asperas parari censuras et (quae acceptissima eorundem provincia est) suspiciosos spargi rumores atque calumnias. Laudem ab istis non quaero, qui parvi et angusti animi sunt: sufficit bonorum adsensus et plausus, sufficit ex his bonis unus vir, amice testatus, me in hoc genere aliquid posse.

Haec sunt, quae te scire volui, benevole lector, ne mireris, me limina semel feliciter pulsata repetere, ut recte iudices hunc librum, e prelo surgentem tamquam *εἰρηνοποιόν*. Difficile est Chri-

stianos ad pristinam concordiam reducere, ne dicam pugnacibus Polemicorum libellis, ipsorum dogmaticorum disputationibus: at in eo campo theologiae, quem practicum appellare licet, frondet paciferae olivae ramus. Ut unum exemplum afferam, in omnibus diversarum ecclesiarum liturgiis, si mittimus *παρέργα* atque *ἀδιάφορα*, eadem invenitur Deum et Patrem Iesu Christi colendi ratio, eaedem leguntur sententiae, preces adhibentur atque suspiria, eadem celebrantur sacramenta, mutato nomine et forma, servato Christianae religionis ingenio. Quodsi minus notum et celebratum est, causam quaeras et apud Catholicos et apud Evangelicos in turpi ac funesta rituum, qui ab adversariis peraguntur, inscitia. Iam vides, quo consilio hoc volumen, quod in manibus habetur, efformaverim.

Sane viri docti permulti de divinis ecclesiae Romanae officiis uberrimos reliquerunt commentarios ac ritus caerimoniasque operosissimis scriptis illustrarunt. At vero ea quae omnibus scitu necessaria videntur, per tot argumenta librosque diversos dispersa sunt, ut non tam illuminent quam distrahant mentem. Porro horum voluminum comparatio et usus non ita facilis est, cum aliis de causis multis tum potissimum ob rei familiaris angustias, quibus plurimi ab his rarioribus carioribusque libris prohibentur ac detinentur: denique multis non datum est opus aggredi longum, perplexum ac plurimi otii. Itaque ego operam in me suscipere ausus sum, in unum congerendo quae velut potiora ac graviora ad propositum mihi finem facere poterant, hunc condere Codicem Liturgicum ecclesiae universae, ex vastis voluminibus in epitomen redactum. Rerum collectio parata est, quae exspectationi aliqua saltem ex parte satisfacere potest. Commentationes, nonnullis capitibus praemissas, notas passim margini adspersas, quibus vel ritus ab antiquis temporibus repetuntur, vel caerimoniarum mysteria aperiuntur vel omnino difficultates explanantur, consulto arctioribus finibus continui, ne hic quoque liber in ingentem molem excresceret ac familiari omnium usui subduceretur. Eandem instituti rationem secutus, si Deo placebit, secundo Codicis tomo in Protestantium cultu divino quae memoratu digna sunt, percurram et illustrabo.

Scribebam Halis XXII Aprilis MDCCCXLVII.

Herm. Adalbertus Daniel.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

FASCICULUS PRIMUS.

PARS PRIMA.

DE MISSA AC SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

CAPUT I.

Ordo Missae Romanae Gregorianus cum Gelasiano comparatus.

Licet inter aevi medii homines exstiterint permulti, qui liturgiam missae suis temporibus usitatam piis iisque verbosis commentariis illustrarent: non ferebat tamen illius aetatis ingenium acres et diligentes ecclesiasticae antiquitatis investigatores vel criticorum studia in vetustis liturgiarum chartis collocata. Saeculo demum decimo sexto cum theologi utriusque ecclesiae vehementer de nova Lutheri ac Reformatorum doctrina disputare coepissent telisque uterentur non modo e sacra scriptura, conciliorum decretis et ecclesiae christianae historia sed etiam ex antiquissimis ritibus depromtis: inde liturgicae disciplinae novam lucem affulsisse dixeris. Inter primos vetustae liturgiae notitiam denuo revocandi occasionem praebuit *Matthias Flacius Illyricus*, vir et stupendo eruditionis apparatu et immodico partium studio notabilis. Invento antiquo codice in bibliotheca Palatina edidit Argentinae libellum, Ottoni Henrico Palatino Rheni dedicatum: *Missa latina quae olim ante Romanam circa septingentesimum Domini annum in usu fuit bona fide e vetusto authenticoque codice descripta* *). Id vero evincere studet, ut Missa Romana

*) Missa Illyrici est in rariorum librorum numero. Cf. *J. Vogt*, *Catalog. libr. rariorum p.* 400 *sq. Bayle s. v. Illyricus.* Iterum ex Flacii libro recusa est in *Caroli Cointii Annalium Francorum Ecclesiasticorum Tom. II. an.* 601. *no.* 20., item in appendice operis *I. Bonae*: *Rerum Liturgicarum libri duo. Colon.* 1674. *p.* 913—954. Synopsis missae legitur apud *Guilielm. Peyratium in Tractatu de Iuribus et antiquitatibus capellae*

hacce sua Latina et antiquitate et auctoritate appareat inferior: simul in dogmata de invocatione Sanctorum aliaque acerrime invehitur.

Magna exinde orta contentio nec sequentibus saeculis lites Theologorum liturgicae compositae sunt, qui fidei capita vicissim in controversiam vocata venerandis antiquorum Christianorum formulis stabilire molirentur. Verum ex hoc litigantium studio nata est uberior priscarum liturgiarum notitia una cum doctis praeclarissimorum virorum voluminibus.

Constat, Lutheranos ac Reformatos libentissimo animo adversarios provocasse ad pugnam, pugnandam de Missa ac potissimum de Canone Missae; quem, gliscente in ecclesia superstitione consarcinatum, omnibus vitiis scatere ipsis tam certum erat quam quod certissimum. Romanae ecclesiae viri eruditi, ut demonstrata missae suae antiquitate atque apostolica fere auctoritate acerbissimos adversarios refellerent, desudarunt in explorandis et explanandis vetustorum Christianorum occidentalium Liturgiis, quas Romanae paene in omnibus convenientes esse, Protestantium animis inculcarunt. Prae ceteris magnae iis erat sollicitudini vetus Gregorii Sacramentarium, unde recentius missae officium est repetitum. Prodiit Coloniae 1571 *Jacobi Pamelii* (Canonici Brugensis) *Missale SS. Patrum Latinorum sive Liturgicon latinum iuxta veterem ecclesiae catholicae ritum.* 2 *voll.*

---

regis Galliarum p. 561 sq. Cointius atque Peyratius missam Illyrici existimarunt pro vetusta Gallicana: *Honoratus de S. Maria* (*Animadv. in regulam et usum Critices Tom.* III. *lib.* V. *Diss.* 3. §. 9.) immo fontem liturgiarum occidentalium asseruit. Sed nunc Protestantium quoque theologi (v. c. *Augusti*: *Denkwürdigkeiten aus der christl. Archäologie IV. p.* 291.) probant Bonae judicium: *Missa Illyrici a Romana non differt, immo eadem est sed interpolata.* — — *Privata alicuius episcopi institutione missae communi et Romanae tot orationes superadditae, ut in iis recitandis sacerdos occuparetur, cum missam sollemniter decantaret, ac praesertim tempore quo Introitum, Graduale, Symbolum et cetera hujus modi choris modulatur.* — *Binterim: Denkwürdigkeiten der christkathol. Kirche IV.* 3, 50—57: *Es hält schwer bei einer so dunkeln und äusserst verwirrten Sache ein entscheiden des Resultat auszumitteln.* — Neque ego tam placide in Bonae opinione conquiescere possum. Nescio qui factum sit, ut plurimae Flacianae orationes, privato episcopi cujusdam usui destinatae, in alia et quidem diversarum regionum Missalia abierint. Ipse Bona in Appendice libri praelaudati p. 955—964 addit fragmentum missae ex codice Bibliothecae Cardinalis Chisii, missae illi latinae simillimum. Martene in vetusto Salisburgensis ecclesiae Missali vidit missam, breviorem quidem Flaciana alias huic consentaneam. Ego vero nuper inspexi Codicem decimi saeculi, in Bibliotheca Darmstadiensi asservatum (No. 1946.), qui in fronte habebat missam vetustam ab Illyrico haud prorsus alienam. Sufficit afferre orationes: *Domine Deus omnipotens, qui es magnus* etc. *Deus qui iuste irasceris et clementer ignoscis* etc. *Ante conspectum inaestimabilis tuae maiestatis* etc. Cum insit libro missa de S. Willibrordo cum Praefatione propria, ad provinciam Ultraiectensem pertinuisse videtur.

4. (*Editio nova Colon.* 1675 et saepius). Continetur Sacram. Gregorii, e codice Coloniensi descriptum tomo secundo. Alterum liturgiae Gregoriani codicem Vaticanum evulgavit *Angelus Rocca*, Ordinis S. Augustini, apostolici palatii Sacrista, in editione Operum S. Gregorii 1597. Tom. VIII. Tertius *Hugo Menardus*, S. Benedicti monachus, eruit Sacramentarium e membrana monasterii Corbiensis S. Eligii, alios codices editosque libros consuluit, doctissimarum adnotationum copiam adspersit. Paris. 1642. 4. Iterum una cum Scholiis A. Roccae dedere textum et notas Menardi PP. Benedictini e congregatione S. Mauri (vel rectius Dionysius Sammarthanus Prior abbatiae S. Germani) in nova editione Opp. Gregorii. Paris. 1705. Tom. III. p. 1—647. Sed Sacramentorum Liber Gregorio accensetur, non quod primus ipsius fuerit parens, sed quod summa cura meliorem in formam redegerit. Narrat enim *Gennadius* de Script. eccl. c. 94., *Gelasium* scripsisse tractatus diversarum scripturarum et Sacramentorum limato sermone; porro *Ioannes Diaconus* in Vita S. Gregorii refert, hunc pontificem Gelasianum codicem de missarum Sollemniis multa subtrahendo, pauca convertendo, nonnulla vero superadiiciendo in unius libri volumen coarctasse *). Rescidit opinor Praefationum copiam: nam in his multum fuisse Gelasium, testatur antiquus Romanorum pontificum catalogus apud *Blanchinium* in Prolegg. ad Tom. IV. Anastasii: F e c i t e t S a c r a m e n t o r u m P r a e f a t i o n e s c a u t o s e r m o n e. Immo saeculo nono superstites fuisse codices Gelasianos extra dubitationis aleam positum est. Habebat verbi causa monasterium Centulense libros missales Gelasianos tres, ut est apud *Dacherium*. Igitur omni cura atque industria id egerunt viri docti, ut uspiam inciderent in Gelasianum codicem quem cum Gregoriano conferre possent: neque eventus, ut putabatur, fefellit exspectationem. Iam iam *I. Morinus* in Appendice Manuscriptorum ad Commentarium de Poenitentia 1657. p. 52. et *Bona* Cardinalis affirmarunt, latere Gelasii liturgiam in insigni codice Christinae reginae e Gallia Romam asportato (Vatic. No. 1455.) **). Publici iuris fecit membra-

---

*) Monent tamen PP. Benedictini in Menardi Notis ad Sacramentarium Gregorii, in mss. Ioannis Diaconi, etiam antiquioribus Bernone verba haec non exstare neque ulla superesse abrasionis vestigia. Quodammodo suppletur testimonium Ioannis verbis Walafridi Strabonis de reb. ecc. c. 22: Gelasius papa tam a se quam ab aliis compositas preces dicitur ordinasse et Galliarum ecclesiae suis orationibus utebantur quae et adhuc a multis habentur. Et quia tam incertis auctoribus multa videbantur inserta et sensus integritatem non habentia, curavit B. Gregorius rationabilia quaeque coadunare, et seclusis iis, *quae vel nimia vel inconcinna videbantur*, composuit librum Sacramentorum.

**) *I. Morinus* l. l. *Antiquissimus omnium codicum, quos nancisci nobis contigit, ille est, quem in opere nostro Petavianum saepius vocavimus a possessore, viro amplissimo, Domino Petavio, Parlamenti Parisiensis senatore integerrimo, qui*

nam *J. M. Thomasius.* Edidit 1680 Sacramentarium Gelasianum sive Liber Sacramentorum Romanae ecclesiae a S. Gelasio papa uti videtur concinnatus, ante annos paene mille exaratus *). Quod demonstrare ausi sunt *J. Basnagius* Hist. Eccl. Tom. II. lib. XVI. c. 10. et *C. M. Pfaffius* De Liturgiis etc. 1718., codicem saeculo demum decimo esse conscriptum, id optimis ac firmissimis argumentis refellit *L. Muratorius* in praeclarissimo opere: Liturgia Romana Vetus. Venetiis 1748. 2 voll. fol. 2. p. 54 sqq. **) Ostendit vir doctus, exhiberi in eo codice Sacramentarium pro ecclesia Romana constructum, circa annum DCCC. compositum: porro autumat, omnino nihil productum fuisse, quod Gelasio abiudicandum suadeat librum sub eius nomine editum. Sed ipse Muratorius confitetur codici, fortasse e Roma in Galliam misso varia facta fuisse additamenta ***) (quod iam viderat Thomasius); immo tacite innuit non stabiliri posse, ex illo codice genuinum nobis donatum esse Gelasianum Sacramentarium. Et sane suspicionem movet, quod offendit *Binterimium* (*Denkwürdigkeiten etc.* IV., III. p. 24.) desiderari amplum Praefationum numerum, quo Gelasium liturgiam ornasse vel cumulasse tradunt veteres. At plenissima lux implicatae quaestioni redundavit ex studiis *M. Gerberti*, Abbatis San-Blasiensis, viri de re liturgica optime meriti †). Tres in Praefatione ad Monumentorum Partem Primam enumerat codices Sacramentorum sua cura examinatos: Rheinaugiensem Merovingicae aetati propinquum; San-Gallensem vetustiorem, Carolingicis temporibus confectum qui cum priori ad apicem usque conveniat; denique San-Gallensem iuniorem vel Turicensem, saeculi decimi prolem. Qui hanc membranam elaboravit, Sacramentarium simul Gelasianum Gregorianum et Ambrosianum in uno volumine conscribendum suscepit, ita quidem, ut ad Gelasianum ritum retulerit, quid-

---

perhumane illum nobis dedit utendum. Illius character nongentis annis non videtur inferior: est enim scriptus literis maioribus et quadratis, quas unciales aliqui vocant. Scriptor latinitatis parum peritus erat: saepe enim ignorantia potius quam negligentia παραγράφει — — *Divisus est in tres libros et uniuscuiusque libri initium graphice admodum et literis magnis monocondiliis exaratum est.*

*) Legitur praeterea in *Muratorii Liturg. Vet. Romana* Tom. I. p. 484—763., in Nova editione operum Thomasii quam curavit *Vezzosius* tomo sexto, denique in *Assemanni Codice Liturgico* Lib. IV. I. p. 1—216.

**) Confer *Vezzosium* in Praefatione ad Tom. VI. Opp. Thomasii.

***) Commemorantur in Canone nomina S. Dionysii, Chlodoaldi aliorumque Gallicanae ecclesiae Sanctorum. *Honoratus a S. Maria* l. c. Gallicanum librum existimat Sacramentarium Thomasii.

†) *Vetus Liturgia Alemannica, disquisitionibus praeviis notis et observationibus illustrata.* Partes III. MDCCLXXVI. — *Monumenta Veteris Liturgiae Alemannicae.* Partes II. MDCCLXXVII.

quid in iis vetustissimis libris Rheinaugiensi et San-Gallensi priori continebatur. Hunc tertium codicem publici iuris fecit Gerbertus tomo primo Monumentorum p. 1—210. Habemus igitur liturgiam Gelasii nomine insignitam, Thomasiano codici antiquitate non nisi parem sed superiorem, quem propter ingentem Praefationum multitudinem genuinum Gelasii foetum dixeris. Manet tamen, cum suspicionem moveat vulgata Ioannis Diaconi scriptura (p. 5.) perdifficilis et perobscura quaestio de Sacramentario Gelasii, quam non prius solvere poterunt viri docti quam ex aliis longae antiquitatis codicibus textus Gelasianus erutus sit. Tunc demum largus et amplus praebetur iudicibus locus.

Erat vero procul dubio ante Gelasii tempora suum Romanae ecclesiae Sacramentarium; ac proinde illud Gelasius tantummodo instaurasse meliorique ordine donasse credendus est. Ita Muratorius: neque est quod huic sententiae refragemur. An vero vetustissimae huius liturgiae exemplaria ad nostram usque aetatem pervenerint, prorsus alia est quaestio. Prodiit quidem cura *Iosephi Blanchinii Codex Sacramentorum Vetus a S. Leone Papa confectus* *), depromptus e libro Veronensis Capituli circa annum DCC. vel DCCC. conscripto. Sed nomen Leonis codici per meram coniecturam praefixum fuit. Mancus est a capite, ea scilicet parte qua suas origines prodere potuisset ac fontes; mutilus etiam calce. Ipse igitur Blanchinius, quae de hac re doctiorum virorum sententia foret, exquisivit. Respondit *J. A. Ursius*, Ordinis Praedicatorum, sibi minime videri Gelesianum illud Sacramentarium quod Thomasius ediderit; Gelasio potius tribuendum esse quod a Blanchinio evulgatum esset, altero sine dubitatione vetustius. Item *Meratius* ad *Gavantii* Thesaur. Tom. I. p. 4. codicem Veronensem Gelasianum appellare mavult. Contra cum Blanchinio facit *Iac. Acami*: *Dal' antichita, autore e pregi del Sacramentario Veronese publicato dal M. R. P. Giuseppe Blanchini.* 1748. *Eusebius Amort*, ecclesiae collegiatae ad S. Crucem Pollingae in Bavaria Canonicus Regularis, autumat, non esse compactum ab uno Romano pontifice, sed librum fuisse Romanorum pontificum ad usus privatos primis temporibus usu receptum, auctum tamen et interpolatum per varios pontifices usque ad tempora Gelasii papae: agnosci posse manus Sixti III., Leonis III. el Felicis III. At vero *Muratorius*, acerrimus vetustatis aestimator, ea sinceritate qua par est fatetur, certi aliquid praeberi non posse in re dubia. Suspicatur (quod argumentis satis idoneis commendat), Sacramentarium Blanchini p o s t tempora S. Leonis, fortasse sub

*) In Prolegomenis ad Tomum quartum Anastasii Bibliothecarii p. XII—LVII., quem addidit tribus prioribus a Francisco Blanchinio illustratis anno 1735 et apud *Muratorium* Lit. Rom. I. p. 291—484 et *Assemannum* III. p. 1—180. Cf. *Ballerinios* Fratres in Tomo II. Opp. S. Leonis.

**) Loci S. Scripturae e vetusta Itala descripti sunt. Occurrit lactis et mellis degustatio in baptismo. Desiderantur festa Assumptionis et Nativitatis Mariae, Inventionis Crucis e. a. Sed ipsum adeas *Muratorium* Lit. Rom. I. p. 16—37.

Felice III., inclinante ad finem saeculo quinto, consarcinatum esse ab homine quodam, qui, quascumque reperisset Orationes et Praefationes ab ipso Leone eiusque praedecessoribus confectas, in unum codicem coegerit et quidem sine exquisito, quem rei gravitas exposcebat, ordine. Est igitur Blanchinii codex vetustissimus omnium qui habentur*): minus tamen ad nostros usus pertinet, quoniam desunt gravissimae partes, Ordo et Canon Missae. *Binterimius* (*Denkwürdigkeiten etc.* IV., 3. p. 17.) iis se adiungit, qui non dubitant quin hac lacuna expleta Canon S. Leonis genuinus inventus sit. Exstat enim in Codice Vaticanae Bibliothecae post homiliam S. Leonis Praefatio et Canon Missae, quem una cum homilia Leonis esse pro certo habuit *Cacciarius*, haud sobrio, opinor, usus iudicio. Verba *diesque nostros in pace tua disponas*, quae Gregorium Canoni adiecisse scriptores uno ore tradunt, liturgiae inserta vides: alio loco commemoratur oratio quaedam S. Gregorii **). Denique quis est qui nesciat, quam leviter atque inconsulte librarii diversorum virorum opuscula interdum spatio explendo intenti, commiscuerint atque disiecerint.

Tria quae enumeravimus Sacramentaria, Gelasianum Thomasii, Leoninum Blanchinii ac Gregorianum, complexus est *Muratorius* in optimo libro de Liturgia Romana, praevia prolixa et eruditissima de Rebus Liturgicis dissertatione, affixis Missali Gothico et Gallicano vetustisque Ordinibus Romanis ***). In textu Gregoriano constituendo geminos in auxilium vocavit codices mirae antiquitatis, a Blanchinio, indefesso eruditionis ecclesiasticae venatore, sibi suppeditatos. Alter Vaticanus, saltem ineunte saeculo nono exaratus, in Muratorii libro typis redditus est, adiecta scriptura alterius codicis haud recentioris Vaticano. Hic olim in Gallia spectavit ad Paulum Petavium, Parisiensem senatorem; tum ad Christinam Sueciae reginam pervenit; denique in Othobonianam bibliothecam illatus. At vero in neutro codice exhibetur purum Sacramentarium, quale e manibus Gregorii prodiit. Aliquot additamenta festivitatum, collectarum subinde ad illud utrobique sunt facta, id quod vides in omnibus Gregoriani Sacramentarii codicibus evenisse, prout postulabat ecclesiastica singularum

---

*) *Vezzosius* in Praefatione ad VI. tomum Opp. Thomasii putat rei adhuc non plene satisfactum fuisse. *Gerbertus* Vet. Lit. Al. I. p. 80. *Tantum vero abest, ut, quod antiquitatem eius liturgiae attinet, Blanchinius, vir alioquin modestissimus, concedendum aliquid ratus sit, ut anno* 1763 *adhuc in vivis Romae mihi significaverit, sibi iam eam S. Silvestro P. vindicare propositum esse.*

**) Cacciarius quidem prorsus aliam eamque miram affert opinionem: Adiectum est uni collectae nomen Gregorii, reliquae sunt a Leone profectae. Opp. Leonis I. p. 196. Sed talia argumenta futilia et ridicula haud immerito iudicamus.

***) Sequitur Muratorium in Sacramentariis exhibendis Bibliotheca Patrum Veneta.

provinciarum consuetudo vel crescens festivitatum ac Sanctorum numerus. Dissentiunt igitur in Officiis quibusdam, Praefationibus, Collectis, conspirant in Ordine et Canone Missae. Hic mutationibus et novationibus multo minus erat obnoxius.

Hic ipse Ordo et Canon Missae Gregorianus infra descriptus est ex Codice Othoboniano. Nam ut hunc Vaticano habuerim meliorem, monuit *Vezzosii* auctoritas in Praefatione ad Tom. VI. Opp. Thomasii: *Hunc librum* (*Othobonianum*) *quum saepe in Vaticana bibliotheca, in quam illatus modo est, inspexissem, Vaticano longe antiquiorem crediderim. Eiusdem etiam rei indicium esse posset, quod exercitatissimus in hisce iudiciis efformandis Thomasius, quum in bibliotheca reginae Sueciae, in qua sua aetate uterque reponebatur, utrolibet pro arbitrio uti posset, Othoboniani non Vaticani variantes lectiones sibi notaverat ad marginem editi a Pamelio exempl.* Adstipulatur Vezzosio *Gerbertus*, utpote *αὐτόπτης* L. A. I. p. 87. Verum ut ipse iudicium pronuntiare possis, benevole lector, adiecta est aliorum codicum scriptura, quorum nomina afferam necesse est.

I. Codex Pamelii antiquissimus, magni habitus, cum a plurimis viris eruditis tum a Thomasio. (Pam.)

II. Codex *Angeli Roccae* Vaticanus, cedit Pameliano vetustate. Observat praeterea Menardus ad codicis integritatem haud pauca desiderari. (Rocc.)

III. Codex *S. Eligii* vel monasterii Corbiensis sub invocatione S. Eligii constructi, quem evulgavit Menardus. Iterum recusus est in editione Patrum S. Mauri, minus propter propriam antiquitatem et dignitatem — nam multa continet quae Gregorium auctorem nequaquam agnoscunt *) — quam propter observationes Menardi, nulli alii membranae commode aptandas. (El.)

IV. Praeter Codicem S. Eligii quatuor Menardo ad manus erant libri Gregoriani manuscripti. Primus ex bibliotheca monasterii S. Remigii Remensis, cui in observationibus suis nomen codicis *Remensis* attribuit. Putat librum scriptum esse tempore Caroli Magni. (Rem.)

V. Secundus quo usus est codex dicitur *Rodradi* presbyteri, qui fuit illius scriptor floruitque circa annum DCCL. Vide quae Menardus de hac membrana disputavit in Praefatione ad Sacramentarium. (Rod.)

VI. Alius eiusdem monasterii Corbiensis liber conscriptus est iussu Ratoldi, abbatis Corbiensis vigesimi sexti. Hunc codicem, reliquis aetate inferiorem, indigitavit Menardus nomine *Ratoldi*. (Rat.)

VII. Quartum codicem praebuit Menardo *Ioannes Tilius*, initio mutilum.

---

*) Gerbertus observavit magnam codicis San-Eligiani cum Sacramentario Gelasiano convenientiam, ita tamen ut plerumque ad formam Gregoriani sit reformatus. *Ipse meis oculis*, inquit, *venerabundus suspexi Parisiis, ubi hodie codex ille apud S. Germanum de Pratis conservatur.* L. A. I. p. XXIV.

Videtur olim fuisse ecclesiae Sagiensis in Normannia sub metropoli Rothomagensi. (Til..)

VIII. Codex *Reginae Sueciae* a PP. San-Maurinis (aeque atque qui sequitur) primum collatus. Coniici potest, eum pertinuisse ad ecclesiam Novigenti, vulgo S. Cloud prope Parisios. (RS.)

IX. Codex monasterii *S. Theodorici* non procul a Remis. Scriptus creditur octavo saeculo vel ineunte nono. (Theod. I.)

X. Codex eiusdem monasterii eiusdem fere aetatis, proprie scriptus ad usum monialium beatae Mariae Suessonensis. (Theod. 2.)

XI. Codex *Gemeticensis*, in ignoto Angliae monasterio exaratus circa annum M., monasterio vero Gemeticensi dono datus a Roberti, praefati coenobii Anglicani abbate, postea episcopo Londinensi, denique archiepiscopo Cantuariensi: qui sede expulsus, cum Roma reverteretur, Gemetici obiit anno MLII. Sane libri huius Anglicani prae ceteris ratio habenda videtur, quia Angli ab ipso Gregorio liturgiam sacrosque ritus acceperunt, cum tardius ordo Romanus in omni ecclesia Gallicana obtinuerit. Haec PP. Benedictini. (Gem.)

XII. Codex *Muratorii Vaticanus*, cuius iam supra mentionem fecimus. (Vat.)

XIII. Codex *San-Gallensis* saec. X. triplicis ritus, supra commemoratus p. 6. Gerbertus L. V. I. p. XIX.: *Est hic incomparabilis sane codex ille, cuius si notitia ad Thomasios, Mabillonios, Muratorios pervenisset, puto, quod alacres in Alemanniam eius videndi causa advolassent nec detractassent ex locorum intercapedine itineris ex Gallia et Italia longitudinem, promte istinc superatis Alpium iugis.* (SG.)

XIV. XV. XVI. Neque vero in hac una eximia membrana acquievit studium Gerberti ac fervor. Ut taceam Gelasianos libros ab ipso collatos in Gregoriano ritu explorando inprimis adhibuit tres codices sibi simillimos, *San Blasiensem*, *Petershusanum*, *Solodorensem*. Duo posteriores eodem omnino cum San-Blasiano literarum ornatu, initialium praesertim, auro, argento variisque coloribus pictarum splendent: adde characterum ac totius scripturae eum habitum et conformitatem et si dicere fas est identitatem, ut si non omnes unum eundemque scriptorem habuisse dicendi forent, ex una schola prodiise pro certo habendi sint, posteaquam jam opera Caroli M. literarum nitor restitutus sit. (SB. Pt. Sol.)

XVII. XVIII. Insuper scripturam consuluit Gerbertus duorum codicum, qui in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi asservantur. Uterque venerandae sunt antiquitatis et originem ducunt ex saeculo nono. Alter, quem *Vindobonensem* appellat, canonem solum cum Praefatione praemittit, priores paginas habet literis aureis pulcherrime exornatas, addit ad marginem expositionem Ca-

nonis seu commentarium perpetuum. Alter *Augiensis* commemoratur a *Lambecio* Bibl. Caes. II. c. 5. (Vind. Aug.)

XIX. Codex *Moguntinus*, quoad sciam, nondum in criticorum trutina examinatus, asservatur in Bibliotheca Seminarii Moguntini, quod floret sub auspiciis *Marci Adami Nickelii*, viri et doctrinae copia et ardentissimo rerum sacrarum studio aeque ac vera Christiani sinceritate et humanitate conspicui. Hic Vir Reverendus mihi, cum autumno anni MDCCCXLV. Moguntiae et regionis amoenitate et civium comitate detinerer, promptum ad hunc codicem dedit aditum. Est ut mihi videtur saeculi octavi: neque huic opinioni adversatur, quod in codice recentiori manu adiectae sint Missae in Vigilia et in Natali S. Bonifacii, cuius cultum iam saeculo octavo ad finem vergente apud Moguntinos obtinuisse certum est. (Mog.)

Praetermittimus codices atque libros qui passim ad aliorum testimonia confirmanda arcessuntur.

Appositus est Ordini Gregoriano Canon Gelasianus: nam ut cum Gerberto loquar, plura in recessu habet mutua haec veterum liturgicarum formularum collatio ac comparatio quam videri queat levi intuitu. Secutus sum Codicem Gerberti Rheinaugiensem (p. 6.), margini adieci scripturam Thomasiani codicis.

Adnotationes spectant vel ad crticum Canonis Gregoriani apparatum vel aperiunt plurimarum partium ac formularum origines. Praeterea ita harum adnotationum ratio est comparata, ut oculos semper adiiciant ad Missam Illyrici (M. I.) et Cacciarii Canonem Leoninum. (L.)

ORDO ET CANON MISSAE GREGORIANUS.

I. In nomine Domini incipit Liber Sacramentorum de circulo Anni a Sancto Gregorio Papa Romano editus. Qualiter Missa Romana celebratur.

II. Hoc est in primis *Introitus* qualis fuerit statutis temporibus, seu diebus festis sive quotidianis.

III. Deinde *Kyrie eleison.*

IV. Item dicitur *Gloria in excelsis Deo*, si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico sive diebus festis. A Presbyteris autem minime dicitur, nisi solo in Pascha. Quando vero Letania agitur neque *Gloria in excelsis Deo* neque *Alleluia* canitur.

V. Postmodum dicitur *Oratio.*

VI. Deinde sequitur *Apostolum.*

VII. Item *Gradalis* seu *Alleluia.*

VIII. Postmodum legitur *Evangelium.*

IX. Deinde *Offertorium* et dicitur *Oratio super oblata.*

X. Qua completa dicit Sacerdos excelsa voce:

ORDO ET CANON MISSAE GELASIANUS.

Per omnia saecula saeculorum.
Amen.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Sursum corda
Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro.
Dignum et iustum est.

XII. Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum, per quem Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, Coeli coelorumque Virtutes ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus DominusDeus Sabaoth. Pleni sunt Coeli et Terra gloria tua. Osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Osanna in excelsis.

XIII. Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus et petimus uti accepta habeas et benedicas haec ✝ dona, haec ✝ munera, haec ✝ sancta sacrificia inlibata. In primis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholicà, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum una cum famulo tuo Papa nostro (illo) et antistite nostro (illo) et omnibus orthodoxis atque Catholicae et Apostolicae Fidei cultoribus.

XIV. Memento Domine famulorum famularumque tuarum et omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemtione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo vivo et vero.

XV. Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreae, Iacobi, Iohannis, Thomae, Iacobi, Philippi,

---

1) Incipit Canon Actionis. Sursum corda etc. 2) VD. et iustum est aequum. 3) Syrafin. 4) Sanctus Sanctus Sanctus. 5) et ✝ benedicas haec ✝ dona haec ✝ munera haec sancta ✝ sacrificia ✝ inlibata. 6) ant. n. ill. episcopo. 7) suae

[1]) Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Sursum corda
Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro.
Dignum et iustum est.

VD.[2]) aequum et salutare. Nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, Coeli coelorumque virtutes ac beata Seraphim[3]) socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Scs Scs Scs[4]) Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Osanna in excelsis.

Te igitur, clementissime Pater per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus et petimus uti accepta habeas[5]) et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia inlibata. Inprimis quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum una cum famulo tuo Pape nostro ill et antistite nostro ill[6]).

Memento Domine famulorum famularumque tuarum et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus: pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae[7]).

[8]) [Memento etiam Domine et animarum famulorum famularumque tuarum fidelium Catholicorum in Christo quiescentium, qui nos praecesserunt, illorum et illarum, qui per eleemosynam et confessionem tibi reddunt vota sua aeterno Deo vivo et vero.]

Communicantes et memoriam venerantes inprimis gloriosae semperque virginis Mariae genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreae, Iacobi, Iohannis, Thomae[9]), Iacobi, Philippi

---

tibi reddunt vota sua aeterno Deo vivo et vero. 8) Desunt quae uncis inclusa sunt. Prorsus singularis est haec defunctorum ante consecrationem commemoratio. 9) Thomae . . . . . (linea abrasa) Iacobi.

Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Iohannis et Pauli, Cosmae et Damiani et omnium Sanctorum tuorum quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per Christum Dominum nostrum.

XVI. Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae quaesumus Domine ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum.

XVII. Quam oblationem tu Deus in omnibus quaesumus benedictam ✝ adscriptam ✝ ratam ✝ rationabilem ✝ acceptabilemque facere digneris ut nobis Corpus ✝ et Sanguis ✝ fiat dilectissimi filii tui Domini nostri Iesu Christi.

XVIII. Qui pridie quam pateretur accepit Panem in sanctas ac venerabiles manus suas, elevatis oculis in coelum ad te Deum patrem suum omnipotentem tibi gratias agens benedixit ✝ fregit, dedit discipulis suis dicens: A c c i p i t e e t m a n d u c a t e e x h o c o m n e s. H o c e s t C o r p u s m e u m.

XIX. Simili modo posteaquam coenatum est; accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens benedixit ✝ dedit discipulis suis dicens: A c c i p i t e e t b i b i t e e x e o o m n e s. H i c e s t e n i m C a l i x S a n g u i n i s m e i, n o v i e t a e t e r n i T e s t a m e n t i, m y s t e r i u m f i d e i: q u i p r o v o b i s e t p r o m u l t i s e f f u n d e t u r i n r e m i s s i o n e m p e c c a t o r u m. H a e c q u o t i e s c u n q u e f e c e r i t i s i n m e i m e m o r i a m f a c i e t i s.

XX. Unde et memores Domine, nos tui servi sed et plebs tua sancta Christi filii tui Domini Dei nostri tam beatae Passionis nec non et ab inferis Resurrectionis sed et in coelos gloriosae Ascensionis: offerimus praeclara maiestati tuae de tuis donis ac datis hostiam puram ✝ hostiam sanctam ✝ hostiam ✝ immaculatam, Panem ✝ sanctum vitae aeternae et Calicem ✝ salutis perpetuae. Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri iusti tui Abel et sacrificium patriarchae nostri Abrahae et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium immaculatam hostiam.

---

1) Xysti. 2) Damiani . . . . . et Eleutherii . . . . . et omnium etc. 3) disponas. 4) eripi. 5) Desunt crucis signa. 6) suas elevatis. 7) deditque.

Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Syxti [1]), Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Iohannis et Pauli, Cosmae et Damiani [2]), Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti et omnium Sanctorum tuorum quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per Christum Dominum nostrum.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae quaesumus Domine placatus accipias, diesque nostros in tua pace dispone [3]) atque ab aeterna damnatione nos eripias [4]) et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quaesumus bene + dictam [5]), adscri + ptam, ra + tam rationabilem acceptabilemque facere digneris: ut nobis Cor + pus et San + guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi.

Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas et elevatis [6]) oculis in coelum ad Te Deum Patrem suum Omnipotentem Tibi gratias agens benedixit, fregit, dedit [7]) discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes. Hoc est [8]) Corpus meum. Simili modo postquam [9]) coenatum est, accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas item Tibi gratias agens benedixit, dedit discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes. Hic est enim Calix sanguinis mei novi et aeterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Haec quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis.

Unde et memores sumus, Domine, nos tui servi sed et plebs tua sancta Christi Filii tui Domini nostri tam beatae Passionis nec non et ab inferis Resurrectionis sed et in coelos Ascensionis [10]): offerimus praeclarae maiestati tuae de tuis donis ac datis Hostiam + puram, Hostiam + sanctam, Hostiam + immaculatam [11]), Panem sanctum vitae aeternae et Calicem salutis perpetuae. Supra quae propitio ac sereno vultu respicere dignare [12]) et accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel et sacrificium patriarchae nostri Abrahae et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam.

---

8) est enim. 9) postea quam. 10) gloriosae ascensionis. 11) Desunt cruces. 12) digneris.

XXI. Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube haec perferri per manus angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum divinae maiestatis tuae: ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui Corpus † et Sanguinem sumserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per Christum Dominum nostrum.

XXII. Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, [illorum et illarum] qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Ipsis et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii lucis et pacis ut indulgeas deprecamur. Per Christum Dominum nostrum.

XXIII. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Iohanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia et cum omnibus Sanctis tuis. Intra quorum nos consortium non aestimator meriti sed veniae quaesumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. Per quem haec omnia, Domine semper bona creas, sanctificas † vivificas † benedicis † et praestas nobis. Per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum. Amen.

XXIV. Oremus.

Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere: Pater noster qui es in coelis, Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem Sed libera nos a malo. Amen.

XXV. Libera nos quaesumus Domine ab omnibus malis praeteritis praesentibus et futuris, intercedente beata et gloriosa semper virgine, Dei genitrice Maria et beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea . . . . . nec non et beato Dionysio Martyre tuo atque pontifice, cum sociis suis Rustico et Eleutherio et beato Chlodoaldo confessore tuo et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adiuti

1) partem aliquam societatis. 2) Agnem. 3) consortia. 4) qui es

Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube haec perferri per manus Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinae Maiestatis tuae, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur Per Christum Dominum nostrum.

Memento etiam Domine et eorum nomina, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii lucis et pacis ut indulgeas, deprecamur. Per Christum Dominum nostrum.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem [1]) donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Iohanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agne [2]), Caecilia, Anastasia et cum omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium [3]) non aestimator meriti sed veniae quaesumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem haec omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis. Per ipsum et cum ipso et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria.

Per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere. Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum etc. [4]).

Libera nos quaesumus Domine ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris et intercedente [5]) beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria et sanctis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea et beatis Confessoribus [6]) ill. Da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adiuti

in coelis. Sed libera nos a malo. 5) intercedente pro nobis. 6) desunt verba: et cum beatis Conf. tuis ill.

XXI. Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube haec perferri per manus angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum divinae maiestatis tuae: ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui Corpus † et Sanguinem sumserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per Christum Dominum nostrum.

XXII. Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, [illorum et illarum] qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Ipsis et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii lucis et pacis ut indulgeas deprecamur. Per Christum Dominum nostrum.

XXIII. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Iohanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia et cum omnibus Sanctis tuis. Intra quorum nos consortium non aestimator meriti sed veniae quaesumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. Per quem haec omnia, Domine semper bona creas, sanctificas † vivificas † benedicis † et praestas nobis. Per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum. Amen.

XXIV. Oremus.

Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere: Pater noster qui es in coelis, Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem Sed libera nos a malo. Amen.

XXV. Libera nos quaesumus Domine ab omnibus malis praeteritis praesentibus et futuris, intercedente beata et gloriosa semper virgine, Dei genitrice Maria et beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea . . . . . nec non et beato Dionysio Martyre tuo atque pontifice, cum sociis suis Rustico et Eleutherio et beato Chlodoaldo confessore tuo et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adiuti

1) partem aliquam societatis. 2) Agnem. 3) consortia. 4) qui es

Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube haec perferri per manus Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinae Maiestatis tuae, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur Per Christum Dominum nostrum.

Memento etiam Domine et eorum nomina, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii lucis et pacis ut indulgeas, deprecamur. Per Christum Dominum nostrum.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem [1]) donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Iohanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agne [2]), Caecilia, Anastasia et cum omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium [3]) non aestimator meriti sed veniae quaesumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem haec omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis. Per ipsum et cum ipso et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria.

Per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere. Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum etc. [4]).

Libera nos quaesumus Domine ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris et intercedente [5]) beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria et sanctis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea et beatis Confessoribus [6]) ill. Da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adiuti

---

in coelis. Sed libera nos a malo. 5) intercedente pro nobis. 6) desunt verba: et cum beatis Conf. tuis ill.

et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus Sancti per omnia saecula saeculorum. Amen.

XXVI. Pax Domini sit semper vobiscum.

Respondetur:

Et cum spiritu tuo.

---

1) Per. 2) Ieiuniis. 3) Quarti, Septimi et Decimi. 4) pro scrutiniis. 5) apertione. 6) adnunciandum. 7) cum ordinibus sacris cum omni populo.

et a peccatis simus liberi semper et ab omni perturbatione securi.

Per Dominum [1]). Pax Domini sit semper vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Post haec commonenda est plebs pro ieiunii [2]) IIIIti VIImi et Xmi [3]) mensis temporibus suis sive per scrutinis. [4]) vel aurium apertionem [5]) sive orandum pro infirmis vel ad nuntiandum [6]) Natalitia Sanctorum. Post haec communicat Sacerdos [7]) cum omni populo.

[Sequuntur quatuordecim collectae ad libitum, ut videtur, post Communionem dicendae] [8]).

Item Benedictiones super populum [9]).

[Item sequuntur quatuordecim Collectae] [10]).

---

8) Desunt tertia decima et quarta. 9) populum post communionem: 10) Habet quindecim non in omnibus congruas.

ADNOTATIONES.

I. Vat. expositum a S. G. P. Romano editum ex authentico libro bibliothecae Cubiculi scriptum. El. SB. Aug. expositus a S. G. P. R. ex autentico editus libro bibliothecae cubiculi scriptus Theod. 2 a S. G. R. editus. Hanc inscriptionem, quae in quibusdam libris desideratur, multis illustrat Menardus. Cubiculum erat domus iuxta ecclesiam S. Petri, in qua ex temporibus Leonis I. excubabant ii qui ad custodiam corporum SS. Apostolorum Cubicularii dicti sunt: in qua etiam erat Bibliotheca sacrorum librorum, eorum praesertim, qui ad officium ecclesiasticum et divina mysteria peragenda spectant. Petente igitur Carolo Magno, ut pontifex Romanus mitteret Francorum ecclesiae genuinam Sacramentarii Gregoriani apographam, cum Hadrianus regi morem gessisset, hoc sibi curae habuerunt episcopi, ut describeretur Codex Romanus, adiectis verbis fidem testantibus: ex authentico libro Bibliothecae Cubiculi scriptus. v. Muratori L. R. I. p. 77.

Missa Illyrici a fronte haec habet: Incipit Ordo Sacramentorum. In primis quomodo sacerdos Apologetica celebrare debeat antequam ad Missarum celebrationem accedat. Mox antequam sacerdotalibus induatur vestibus, si locus acciderit vel tempus admiserit, flexis genibus coram altare cantet VII. psalmos poenitentiales cum litania. Qua finita dicat has preces. — Sequuntur longae et prolixae orationes atque antiphonae ad manas lavandas, cum se exuerit quotidianis vestibus, cum induerit vestes sacerdotales, ad confessionem faciendam, ad incensum imponendum, in accessu altaris e. a. Sane vero simile est, immo multis veterum monumentis confirmatum, eiusmodi orationibus ac confessione usos fuisse antiquitus sacer-

dotes, vel antequam e sacrario procederent vel ad pedes altaris. Preces de praeparationem praemittit alia Missa vetutissima, a Bona Cardinali ex codica Chisio eruta p. 4., codex Menardi Tilianus, codex Ratoldi etc. San Blasiano annectuntur; sed alia paullo recentiori manu. Tamen in antiquissimis libris non ita frequentes illae preces missae praecedunt; dicendae enim erant si non prorsus ad libitum celebrantis, saltem ex privata devotione. Neque nos fugit ingentem fuisse in diversis ecclesiis harum formularum diversitatem.

In Africana ecclesia Confessionem ante missam in usu fuisse invictis testimoniis probari nequit. Affert tamen Binterimius Augustini locos, populum ad vocem Confiteor vel Confitemini pectus tundere: plus mihi valet Augustinus in Enarratione ad Ps. CXIX., a Muratorio citatus; *Intrate in portas eius in confessione. In Portis initium est; a confessione incipite. Unde in alio psalmo dicitur: Incipite Domino in confessione. Et quid? Quum iam intraverimus, non confitebimur? Semper confitere; semper habes quod confitearis.*

II. SB. statutis diebus sive temporibus seu cottidianis. El. in primis ad introitum Antiphona. Antiquissimis temporibus exordium missae ducebatur a lectionibus Veteris ac Novi Testamenti. Postea Coelestinus papa, ut est apud auctorem Libri pontificalis, constituit ut CL. Psalmi David ante sacrificium psallerentur, quod ante non fiebat, nisi tantum recitabantur epistolae Pauli et S. Evangelium et sic Missae fiebant. Cf. Iustinus Apol. I. c. 67. *συνέλευσις γίνεται καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τά συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ.* Amalarius, Walafridus, Micrologus, Berno aliique locum supra positum ita intelligunt, ut Coelestinus ex omnibus psalmis excerpserit Antiphonas, quae psallerentur in Officio Missae. At Honorius in Gemma animae lib. I. c. 87.: *Coelestinus*, inquit, *Psalmos ad Introitum Missae cantari intituit, de quibus Gregorius Papa postea Antiphonas ad Introitum missae modulando composuit.* Haec Honorii sententia, ex lege Coelestini integros Psalmos cantatos esse alternatim, post Gregorium singulos psalmorum versus ad Introitum, placet Bonae, Menardo, Mabillonio aliisque et sane vero magis assidet. Ceterum initium missae a scripturis diu perseveravit in ecclesia. Vigebat Mediolani tempore Ambrosii (Epp. I. 35.), Treviris aetate S. Nicetii, teste Gregorio Turonensi in Vitis Patrum. Quod ad Afros, docet nos Augustinus (Retract. II. 11.) sua aetate (aequalis autem erat Coelestino) coepisse apud Carthaginem hunc morem, ut hymni ad altare de psalmorum libro dicerentur sive ante oblationem sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum: quod cum Hilarius vir tribunicius acriter reprehenderet, asserens fieri non oportere, scripsit adversus eum Augustinus librum pro defensione introductae psalmodiae, quem librum sic recenset Possidius in indiculo: Contra Hilarium de canticis ad altare liber unus.

Quaeritur an olim, ut hodie fit, ipse etiam sacerdos Introitum legerit.

Plurimi putant, interim factam esse a celebrante confessionem. MI. plurimos continet collectas apologeticas, a sacerdote dicendas, donec cantentur Versus ad Introitum, Kyrie eleison et deinde carmen angelorum. Utut est, neque Introitus, nec quae post commemorantur formulae Graduale, Offertorium, Communio, fere semper ex Psalmis depromptae *), continebantur in Sacramentario, sed in libro singulari, qui Antiphonarius inscribebatur. Exstat inter Opera Gregorii Antiphonarius liber, de cuius authentia tamen dubitatur. Itaque prorsus singulare est, codicibus Theodericianis Introitus, Gradualia, Offertoria, Communiones Ordini Missae inserta esse.

III. SB. dein. — Radulphus de canon. observ. c. 23. una cum auctore Compilationis Chronologicae Tom. I. Vett. Scriptt. Vet. Germ. ed Pistorii fol. 1064 narrant, Sylvestrum pontificem formulae Kyrie eleison ad Graecorum morem in Missa locum dedisse; quibus adstipulatur Augusti Denkw. V. p. 221. Sed firmius testimonium antiquissimae auctoritatis praebetur canone tertio Concilii Vasensis a. DXXIX. *Quia tam in sede apostolica, quam etiam per totas orientales et Italiae provincias dulcis et nimium salutaris consuetudo est, ut Kyrie eleison frequentius cum grandi affectu et compunctione dicatur: placuit etiam nobis, ut in omnibus ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo et ad matutinum et ad missas et ad vesperum Deo propitio intromittatur.* Explodas igitur eorum opinionem, qui Gregorium Magnum hanc deprecationis vocem in Romanam ecclesiam invexisse tradunt. Immutavit tamen ille pontifex psallendi ritum in hac formula. Audias ipsum in epistola ad Ioannem Syracusanum episcopum, contra eos, qui Romanam ecclesiam Constantinopolitanae ritibus subditam esse conquerebantur, disputantem: *Kyrie eleison nos neque diximus neque dicimus sicut a Graecis dicitur: quia in Graecis simul omnes dicunt* (i. e. a coetu populi) *apud nos autem a clericis dicitur et a populo respondetur, et totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Graecos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis aliqua quae dici solent tacemus; tantummodo Kyrie eleison et Christe eleison dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur.* Notandus igitur ritus est, ex quo olim toties dicebatur Christe eleison, quoties Kyrie eleison, vel ter, vel novies, vel ad arbitrium Celebrantis. Cf. Binterim IV. 3. p. 306 sqq. In Africana ecclesia vestigium invocationis Kyrie haud reperitur.

---

*) Pauci excepti sunt, quos Durandus Rat. 4., 5. vocat irregulares, ut Puer natus est in Nativitate, Viri Galilaei in Ascensione, Spiritus Domini in Pentecoste, Nunc scio vere de S. Petro et alii pauci ex aliis scripturis. Introitus ἄγραφοι ante annum M. vix ac ne vix quidem occurrunt. Neque praetermittendum est, ab Gregorio servatum esse in Antiphonario textum vetustae Italae: quia cum illa in decantandis divinis officiis uterentur fideles, ipsumque longo usu memoriae mandassent, non potuit ab illis obtineri, ut novam translationem ediscerent.

Bona Rer. Lit. II. 4. refert, olim diebus, quibus omittitur Gloria in excelsis, immediate post Kyrie prolixas preces pro omni statu hominum recitari consuevisse. Permansit hic ritus in ecclesia latina usque ad saeculum nonum et nunc etiam permanet in ecclesia Medjolanensi diebus Dominicis Quadragesimae. Scimus praeterea in singulis missis, Kyrie prorsus omisso, litaniam cantatam esse, ut nunc fit Sabbato sancto.

IV. SB. die dominica .... minime nisi ... quando litania Gloria in excelsis neque — Qui de rebus liturgicis disputarunt vetustiores scriptores Telesphorum pontificem Romanum (CXXVIII—CXXXVIII.) instituisse referunt, ut ante sacrificium diceretur Hymnus, quem ecclesiam ex ore angelorum rapuisse testatur Rupertus Tuitiensis. Narrant insuper Rabanus de instit. cleric. c. 2 et Innocentius III. de Mysterio Missae c. 20 integrum carmen a Telesphoro esse confectum, quod non ita verosimile est, ut facile credi possit. Telesphorus opinor primus iussit verba: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis in missa cantari: de iis quae sequuntur nihil licet concludi. Maiorem fidem meretur Alcuinus, qui a Telesphoro carmen usque ad verba Laudamus te compositum, cetera addita esse dicit ab Hilario Pictaviensi. Eidem tribuit totum carmen Chronicon Turonense apud Martene Coll. Ampl. Tom. IV. p. 924. Porro memoratu dignissima sunt, quae proposuerunt Patres Concilii Toletani quarti (DCLXXXI.) canone XIII. *Quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei atque apostolorum et martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de scripturis sacrorum canonum vel apostolica traditione non exsistunt: respuunt ergo et illum hymnum, ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque officio in fine omnium psalmorum dicimus: Gloria et honor patri et filio et spiritui sancto in saecula saeculorum. Amen. Nam et ille hymnus, quem nato in carne Christo angeli cecinerunt: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis; reliqua quae ibi sequuntur, ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec idem in ecclesiis canendus est, quia in scripturarum sacrarum libris non invenitur.* Patet illa aetate Hymnum angelicum in ecclesia fuisse usitatissimum; nec video cur fides deneganda sit Libro Pontificali referenti, Symmachum pontificem († DXIV.) constituisse, ut omni die dominico vel natalitiis martyrum Gloria in excelsis (cum paraphrasi etiam nunc usitata) diceretur. At de Episcopis solummodo velim intelligas. Nam ad saeculum usque duodecimum presbyteris in festivitate tantum Paschali licebat Hymnum angelicum in missa recitare. Quem morem carpit Berno Augiensis de quibusdam rebus ad missam spectantibus c. 2. *Nunc stilus ad movendam quaestionem sese vertat, ad quam totus hactenus sermo habitus intendebat, cur non liceat omni die dominico vel natalitiis sanctorum presbyteros illum*

hymnum canere quem nato in carne Domino angeli cecinere. Quod si concessum est illum cantare in Pascha secundum praetitulationem Missalis, non multo minus licitum puto in nativitate Domini, quando primum coepit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab angelis canebatur in coelis. Sane non male disputavit Berno: verum in aliis regionibus alia ex more illius temporis vigebat consuetudo. Scimus ex Chronico Turonensi, cuius supra mentio facta est, Gloria vetustis temporibus in Nativitate tantum cantatum esse. Omnino magna erat in hac re diversarum ecclesiarum discrepantia. MI. habet integrum carmen, simul orationem dicendam ab episcopo interim, donec hymnus angelicus finiatur. In Missa Chisiana: Finitis in choro Kyrie eleison, si tempus fuerit, dicat Sacerdos Gloria in excelsis Deo. Cf. quae exposuimus in Thesauri nostri Hymnologici Parte II. p. 268—275.

V. Oratio in Missa Illyrici et alibi vocatur Oratio Missalis, tanquam praecipua et officio diei maxime accommodata. Collectae nomen accepit, vel quia populo in unum congregato et collecto recitatur, vel quia ex selectis sacrae scripturae et ecclesiae verbis compendiosa brevitate colligitur. Plurimi codices Gelasiani ac Gregoriani praeter ordinem et canonem missae, habent pro officio Dominicali et festivo hanc orationem missalem, dein orationem super oblata, orationem ad Complendum et Praefationem. Merentur collectae laudem Bonae R. L. II. 5: *Elucet veteris ecclesiae spiritus, elucet in rebus ipsis apostolica quaedam gravitas; in sensu et in collatione verborum grata quaedam et perspicua concinnitas.* Fere ad unum omnes diriguntur ad Deum Patrem, desinunt autem in hanc formulam: Per Dominum (vel per eundem) Dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia saecula saeculorum. Non paris antiquitatis est additamentum: Spiritus Sancti Deus, ipsa vero orationum clausula grandem sapit antiquitatem. Ita Tertullianus de spectac. c. 35: *αἰῶνας αἰώνων* alii omnino dicere vetat, nisi Deo et Christo. Clarius est testimonium Fulgentii in epistola ad Ferrandum: *In orationibus sacerdotum per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus S. per universas paene Africae regiones dicere catholica consuevit ecclesia.* De numero collectarum ante epistolam Menardus: *In cod. S. Eligii ut in codicibus Rodradi et Ratoldi* (Vaticano, Othoboniano aliisque) *unica habetur oratio, raro duae. In Codice Remensi duas reperire est, raro unicam. Itaque non assentior iis qui asserunt in ecclesia Romana a temporibus apostolorum usitatam fuisse trium orationum in hac prima Missae parte recitationem, exceptis festis duplicibus, totidemque super oblata et post Communionem.* Recte monet Gerbertus, unam collectam designare plerumque Gregorianum codicem, duas Gelasianum.

VI. Vat. SB. El. Rod. Rat. Mog. Rc. Apostolus. Rocca et Menardus in quibusdam invenerunt: Deinde sequitur Epistola, sed haec

scriptura antiquitatem non redolet. Etsi enim lectio, Evangelium in missa praecedens, ex aliis quoque libris Veteris et Novi Testamenti desumatur, ut plurimum tamen ex epistolis apostolorum et inprimis Pauli apostoli accipitur, ac propterea vocatur et in orientali et in occidentali ecclesia Apostolus. Prisco ritu Romano praecedebat diebus praesertim sollemnioribus apostolum lectio aliqua ex Prophetis, quam quotidie recitant Ambrosiani, Gallicani, Mozarabes. Immo Patrum epistolae ut Clementis Romani ad Corinthios aliaeque, nec non Martyrum acta in Missa legebantur, quod non probari potest neque probatur Gelasio. *Martyrum gesta secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in ecclesia Romana non leguntur, quia et eorum qui conscripserunt, nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus et idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur.* Verumtamen, quamquam in Missa non amplius locum capiebant libri in sacrum scripturarum codicem haud redacti, ex aliis cultus divini partibus non eiecti erant aetate Gregorii. Ita hic pontifex in epistolis: *Ad me quorundam relatione perlatum est, quia coepiscopus meus Marinianus legi commenta beati Iob publice ad vigilias faciat, non grate suscepi, quia non est illud opus populare et rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generat.* Vides quam caute ac sobrie Romana ecclesia omnem evitaverit ne dicam superstitionem, sed superstitionis duntaxat speciem atque imaginem.

Lectiones et epistolas non complectebatur Sacramentarium: descriptae erant in libro singulari qui vocabatur Lectionarium, interdum Apostolicum vel Apostolus. Evangelistarium exhibebat diversas evangeliorum portiones singulis diebus canendas. Unus interdum codex tam epistolarum quam evangeliorum lectiones amplectebatur. Erat etiam clero Liber Comitis aut Comes, antiquus sane, ita ut nonnulli eum Hieronymo perperam tamen tribuant, qui lectiones indicabat singulis diebus adhibendas in sacris. Nam sicuti una cum ecclesia nata est sancta consuetudo legendi scripturam sacram in publicis Christianorum coetibus, ita quoque perantiquus est usus Pericoparum, iam Iudaeorum synagoga commendatus. Sane pernecessarium est, huius rei utilis et salutaris suscipere patrocinium contra vanas περικοπομίσων declamationes, sed vetat codicis nostri οἰκονομία. Audiant, qui edoceri possunt, quae docte et subtiliter disputant Augusti Denkw. VI. 196—244., Binterim Denkw. IV., l. p. 228—233., Frankium in Encyclopaedia Erschii et Gruberi s. v. Perikopen. Malim animos lectorum vertere in locum Muratorii Lit. R. I. p. 82. in doctrina de missa privata gravissimum: — — *nos omnia in Missalibus nostris coniuncta habemus. At nullum, quem noscam, missalem librum conscriptum ante annum Christi millesimum, quisquam adhuc exeruit, in quo universus iste sacrorum apparatus coagmentatus et per ordinem distributus legatur. Quare vix intelligas, quei sine incommodo tunc privatae missae sine Diacono, Subdiacono et Choro celebraren-*

hymnum canere quem nato in carne Domino angeli cecinere. Quod si concessum est illum cantare in Pascha secundum praetitulationem Missalis, non multo minus licitum puto in nativitate Domini, quando primum coepit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab angelis canebatur in coelis. Sane non male disputavit Berno: verum in aliis regionibus alia ex more illius temporis vigebat consuetudo. Scimus ex Chronico Turonensi, cuius supra mentio facta est, Gloria vetustis temporibus in Nativitate tantum cantatum esse. Omnino magna erat in hac re diversarum ecclesiarum discrepantia. MI. habet integrum carmen, simul orationem dicendam ab episcopo interim, donec hymnus angelicus finiatur. In Missa Chisiana: Finitis in choro Kyrie eleison, si tempus fuerit, dicat Sacerdos Gloria in excelsis Deo. Cf. quae exposuimus in Thesauri nostri Hymnologici Parte II. p. 268—275.

V. Oratio in Missa Illyrici et alibi vocatur Oratio Missalis, tanquam praecipua et officio diei maxime accommodata. Collectae nomen accepit, vel quia populo in unum congregato et collecto recitatur, vel quia ex selectis sacrae scripturae et ecclesiae verbis compendiosa brevitate colligitur. Plurimi codices Gelasiani ac Gregoriani praeter ordinem et canonem missae, habent pro officio Dominicali et festivo hanc orationem missalem, dein orationem super oblata, orationem ad Complendum et Praefationem. Merentur collectae laudem Bonae R. L. II. 5: *Elucet veteris ecclesiae spiritus, elucet in rebus ipsis apostolica quaedam gravitas; in sensu et in collatione verborum grata quaedam et perspicua concinnitas.* Fere ad unum omnes diriguntur ad Deum Patrem, desinunt autem in hanc formulam: Per Dominum (vel per eundem) Dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia saecula saeculorum. Non paris antiquitatis est additamentum: Spiritus Sancti Deus, ipsa vero orationum clausula grandem sapit antiquitatem. Ita Tertullianus de spectac. c. 35: *αἰῶνας αἰώνων* alii omnino dicere vetat, nisi Deo et Christo. Clarius est testimonium Fulgentii in epistola ad Ferrandum: *In orationibus sacerdotum per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus S. per universas paene Africae regiones dicere catholica consuevit ecclesia.* De numero collectarum ante epistolam Menardus: *In cod. S. Eligii ut in codicibus Rodradi et Ratoldi* (Vaticano, Othoboniano aliisque) *unica habetur oratio, raro duae. In Codice Remensi duas reperire est, raro unicam. Itaque non assentior iis qui asserunt in ecclesia Romana a temporibus apostolorum usitatam fuisse trium orationum in hac prima Missae parte recitationem, exceptis festis duplicibus, totidemque super oblata et post Communionem.* Recte monet Gerbertus, unam collectam designare plerumque Gregorianum codicem, duas Gelasianum.

VI. Vat. SB. El. Rod. Rat. Mog. Rc. Apostolus. Rocca et Menardus in quibusdam invenerunt: Deinde sequitur Epistola, sed haec

scriptura antiquitatem non redolet. Etsi enim lectio, Evangelium in missa praecedens, ex aliis quoque libris Veteris et Novi Testamenti desumatur, ut plurimum tamen ex epistolis apostolorum et inprimis Pauli apostoli accipitur, ac propterea vocatur et in orientali et in occidentali ecclesia Apostolus. Prisco ritu Romano praecedebat diebus praesertim sollemnioribus apostolum lectio aliqua ex Prophetis, quam quotidie recitant Ambrosiani, Gallicani, Mozarabes. Immo Patrum epistolae ut Clementis Romani ad Corinthios aliaeque, nec non Martyrum acta in Missa legebantur, quod non probari potest neque probatur Gelasio. *Martyrum gesta secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in ecclesia Romana non leguntur, quia et eorum qui conscripserunt, nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus et idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur.* Verumtamen, quamquam in Missa non amplius locum capiebant libri in sacrum scripturarum codicem haud redacti, ex aliis cultus divini partibus non eiecti erant aetate Gregorii. Ita hic pontifex in epistolis: *Ad me quorundam relatione perlatum est, quia coepiscopus meus Marinianus legi commenta beati Iob publice ad vigilias faciat, non grate suscepi, quia non est illud opus populare et rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generat.* Vides quam caute ac sobrie Romana ecclesia omnem evitaverit ne dicam superstitionem, sed superstitionis duntaxat speciem atque imaginem.

Lectiones et epistolas non complectebatur Sacramentarium: descriptae erant in libro singulari qui vocabatur Lectionarium, interdum Apostolicum vel Apostolus. Evangelistarium exhibebat diversas evangeliorum portiones singulis diebus canendas. Unus interdum codex tam epistolarum quam evangeliorum lectiones amplectebatur. Erat etiam clero Liber Comitis aut Comes, antiquus sane, ita ut nonnulli eum Hieronymo perperam tamen tribuant, qui lectiones indicabat singulis diebus adhibendas in sacris. Nam sicuti una cum ecclesia nata est sancta consuetudo legendi scripturam sacram in publicis Christianorum coetibus, ita quoque perantiquus est usus Pericoparum, iam Iudaeorum synagoga commendatus. Sane pernecessarium est, huius rei utilis et salutaris suscipere patrocinium contra vanas περικοπομίσων declamationes, sed vetat codicis nostri οἰκονομία. Audiant, qui edoceri possunt, quae docte et subtiliter disputant Augusti Denkw. VI. 196—244., Binterim Denkw. IV., l. p. 228—233., Frankium in Encyclopaedia Erschii et Gruberi s. v. Perikopen. Malim animos lectorum vertere in locum Muratorii Lit. R. I. p. 82. in doctrina de missa privata gravissimum: — — *nos omnia in Missalibus nostris coniuncta habemus. At nullum, quem noscam, missalem librum conscriptum ante annum Christi millesimum, quisquam adhuc exeruit, in quo universus iste sacrorum apparatus coagmentatus et per ordinem distributus legatur. Quare vix intelligas, quei sine incommodo tunc privatae missae sine Diacono, Subdiacono et Choro celebraren-*

et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus Sancti per omnia saecula saeculorum. Amen.

XXVI. Pax Domini sit semper vobiscum.

Respondetur:

Et cum spiritu tuo.

---

1) Per. 2) Ieiuniis. 3) Quarti, Septimi et Decimi. 4) pro scrutiniis. 5) apertione. 6) adnunciandum. 7) cum ordinibus sacris cum omni populo.

et a peccatis simus liberi semper et ab omni perturbatione securi.

Per Dominum [1]). Pax Domini sit semper vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Post haec commonenda est plebs pro ieiunii [2]) IIIIti VIImi et Xmi [3]) mensis temporibus suis sive per scrutinis. [4]) vel aurium apertionem [5]) sive orandum pro infirmis vel ad nuntiandum [6]) Natalitia Sanctorum. Post haec communicat Sacerdos [7]) cum omni populo.

[Sequuntur quatuordecim collectae ad libitum, ut videtur, post Communionem dicendae] [8]).

Item Benedictiones super populum [9]).

[Item sequuntur quatuordecim Collectae] [10]).

---

8) Desunt tertia decima et quarta. 9) populum post communionem: 10) Habet quindecim non in omnibus congruas.

ADNOTATIONES.

I. Vat. expositum a S. G. P. Romano editum ex authentico libro bibliothecae Cubiculi scriptum. El. SB. Aug. expositus a S. G. P. R. ex autentico editus libro bibliothecae cubiculi scriptus Theod. 2 a S. G. R. editus. Hanc inscriptionem, quae in quibusdam libris desideratur, multis illustrat Menardus. Cubiculum erat domus iuxta ecclesiam S. Petri, in qua ex temporibus Leonis I. excubabant ii qui ad custodiam corporum SS. Apostolorum Cubicularii dicti sunt: in qua etiam erat Bibliotheca sacrorum librorum, eorum praesertim, qui ad officium ecclesiasticum et divina mysteria peragenda spectant. Petente igitur Carolo Magno, ut pontifex Romanus mitteret Francorum ecclesiae genuinam Sacramentarii Gregoriani apographam, cum Hadrianus regi morem gessisset, hoc sibi curae habuerunt episcopi, ut describeretur Codex Romanus, adiectis verbis fidem testantibus: ex authentico libro Bibliothecae Cubiculi scriptus. v. Muratori L. R. I. p. 77.

Missa Illyrici a fronte haec habet: Incipit Ordo Sacramentorum. In primis quomodo sacerdos Apologetica celebrare debeat antequam ad Missarum celebrationem accedat. Mox antequam sacerdotalibus induatur vestibus, si locus acciderit vel tempus admiserit, flexis genibus coram altare cantet VII. psalmos poenitentiales cum litania. Qua finita dicat has preces. — Sequuntur longae et prolixae orationes atque antiphonae ad manas lavandas, cum se exuerit quotidianis vestibus, cum induerit vestes sacerdotales, ad confessionem faciendam, ad incensum imponendum, in accessu altaris e. a. Sane vero simile est, immo multis veterum monumentis confirmatum, eiusmodi orationibus ac confessione usos fuisse antiquitus sacer-

dotes, vel antequam e sacrario procederent vel ad pedes altaris. Preces de praeparationem praemittit alia Missa vetutissima, a Bona Cardinali ex codica Chisio eruta p. 4., codex Menardi Tilianus, codex Ratoldi etc. San Blasiano annectuntur; sed alia paullo recentiori manu. Tamen in antiquissimis libris non ita frequentes illae preces missae praecedunt; dicendae enim erant si non prorsus ad libitum celebrantis, saltem ex privata devotione. Neque nos fugit ingentem fuisse in diversis ecclesiis harum formularum diversitatem.

In Africana ecclesia Confessionem ante missam in usu fuisse invictis testimoniis probari nequit. Affert tamen Binterimius Augustini locos, populum ad vocem Confiteor vel Confitemini pectus tundere: plus mihi valet Augustinus in Enarratione ad Ps. CXIX., a Muratorio citatus; *Intrate in portas eius in confessione. In Portis initium est; a confessione incipite. Unde in alio psalmo dicitur: Incipite Domino in confessione. Et quid? Quum iam intraverimus, non confitebimur? Semper confitere; semper habes quod confitearis.*

II. §B. statutis diebus sive temporibus seu cottidianis. El. in primis ad introitum Antiphona. Antiquissimis temporibus exordium missae ducebatur a lectionibus Veteris ac Novi Testamenti. Postea Coelestinus papa, ut est apud auctorem Libri pontificalis, constituit ut CL. Psalmi David ante sacrificium psallerentur, quod ante non fiebat, nisi tantum recitabantur epistolae Pauli et S. Evangelium et sic Missae fiebant. Cf. Iustinus Apol. I. c. 67. *συνέλευσις γίνεται καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τά συγγραμματα τῶν πρόφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ.* Amalarius, Walafridus, Micrologus, Berno aliique locum supra positum ita intelligunt, ut Coelestinus ex omnibus psalmis excerpserit Antiphonas, quae psallerentur in Officio Missae. At Honorius in Gemma animae lib. I. c. 87.: *Coelestinus*, inquit, *Psalmos ad Introitum Missae cantari intituit, de quibus Gregorius Papa postea Antiphonas ad Introitum missae modulando composuit.* Haec Honorii sententia, ex lege Coelestini integros Psalmos cantatos esse alternatim, post Gregorium singulos psalmorum versus ad Introitum, placet Bonae, Menardo, Mabillonio aliisque et sane vero magis assidet. Ceterum initium missae a scripturis diu perseveravit in ecclesia. Vigebat Mediolani tempore Ambrosii (Epp. I. 35.), Treviris aetate S. Nicetii, teste Gregorio Turonensi in Vitis Patrum. Quod ad Afros, docet nos Augustinus (Retract. II. 11.) sua aetate (aequalis autem erat Coelestino) coepisse apud Carthaginem hunc morem, ut hymni ad altare de psalmorum libro dicerentur sive ante oblationem sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum: quod cum Hilarius vir tribunicius acriter reprehenderet, asserens fieri non oportere, scripsit adversus eum Augustinus librum pro defensione introductae psalmodiae, quem librum sic recenset Possidius in indiculo: Contra Hilarium de canticis ad altare liber unus.

Quaeritur an olim, ut hodie fit, ipse etiam sacerdos Introitum legerit.

Plurimi putant, interim factam esse a celebrante confessionem. MI. plurimos continet collectas apologeticas, a sacerdote dicendas, donec cantentur Versus ad Introitum, Kyrie eleison et deinde carmen angelorum. Utut est, neque Introitus, nec quae post commemorantur formulae Graduale, Offertorium, Communio, fere semper ex Psalmis depromptae *), continebantur in Sacramentario, sed in libro singulari, qui Antiphonarius inscribebatur. Exstat inter Opera Gregorii Antiphonarius liber, de cuius authentia tamen dubitatur. Itaque prorsus singulare est, codicibus Theodericianis Introitus, Gradualia, Offertoria, Communiones Ordini Missae inserta esse.

III. SB. dein. — Radulphus de canon. observ. c. 23. una cum auctore Compilationis Chronologicae Tom. I. Vett. Scriptt. Vet. Germ. ed Pistorii fol. 1064 narrant, Sylvestrum pontificem formulae Kyrie eleison ad Graecorum morem in Missa locum dedisse; quibus adstipulatur Augusti Denkw. V. p. 221. Sed firmius testimonium antiquissimae auctoritatis praebetur canone tertio Concilii Vasensis a. DXXIX. *Quia tam in sede apostolica, quam etiam per totas orientales et Italiae provincias dulcis et nimium salutaris consuetudo est, ut Kyrie eleison frequentius cum grandi affectu et compunctione dicatur: placuit etiam nobis, ut in omnibus ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo et ad matutinum et ad missas et ad vesperum Deo propitio intromittatur.* Explodas igitur eorum opinionem, qui Gregorium Magnum hanc deprecationis vocem in Romanam ecclesiam invexisse tradunt. Immutavit tamen ille pontifex psallendi ritum in hac formula. Andias ipsum in epistola ad Ioannem Syracusanum episcopum, contra eos, qui Romanam ecclesiam Constantinopolitanae ritibus subditam esse conquerebantur, disputantem: *Kyrie eleison nos neque diximus neque dicimus sicut a Graecis dicitur: quia in Graecis simul omnes dicunt* (i. e. a coetu populi) *apud nos autem a clericis dicitur et a populo respondetur, et totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Graecos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis aliqua quae dici solent tacemus; tantummodo Kyrie eleison et Christe eleison dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur.* Notandus igitur ritus est, ex quo olim toties dicebatur Christe eleison, quoties Kyrie eleison, vel ter, vel novies, vel ad arbitrium Celebrantis. Cf. Binterim. IV. 3. p. 306 sqq. In Africana ecclesia vestigium invocationis Kyrie haud reperitur.

---

*) Pauci excepti sunt, quos Durandus Rat. 4., 5. vocat irregulares, ut Puer natus est in Nativitate, Viri Galilaei in Ascensione, Spiritus Domini in Pentecoste, Nunc scio vere de S. Petro et alii pauci ex aliis scripturis. Introitus ἄγραφοι ante annum M. vix ac ne vix quidem occurrunt. Neque praetermittendum est, ab Gregorio servatum esse in Antiphonario textum vetustae Italae: quia cum illa in decantandis divinis officiis uterentur fideles, ipsumque longo usu memoriae mandassent, non potuit ab illis obtineri, ut novam translationem ediscerent.

Bona Rer. Lit. II. 4. refert, olim diebus, quibus omittitur Gloria in excelsis, immediate post Kyrie prolixos preces pro omni statu hominum recitari consuevisse. Permansit hic ritus in ecclesia latina usque ad saeculum nonum et nunc etiam permanet in ecclesia Medjolanensi diebus Dominicis Quadragesimae. Scimus praeterea in singulis missis, Kyrie prorsus omisso, litaniam cantatam esse, ut nunc fit Sabbato sancto.

IV. 38. die dominica .... minime nisi ... quando litania Gloria in excelsis neque — Qui de rebus liturgicis disputarunt vetustiores scriptores Telesphorum pontificem Romanum (CXXVIII—CXXXVIII.) instituisse referunt, ut ante sacrificium diceretur Hymnus, quem ecclesiam ex ore angelorum rapuisse testatur Rupertus Tuitiensis. Narrant insuper Rabanus de instit. cleric. c. 2 et Innocentius III. de Mysterio Missae c. 20 integrum carmen a Telesphoro esse confectum, quod non ita verosimile est, ut facile credi possit. Telesphorus opinor primus iussit verba: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis in missa cantari: de iis quae sequuntur nihil licet concludi. Maiorem fidem meretur Alcuinus, qui a Telesphoro carmen usque ad verba Laudamus te compositum, cetera addita esse dicit ab Hilario Pictaviensi. Eidem tribuit totum carmen Chronicon Turonense apud Martene Coll. Ampl. Tom. IV. p. 924. Porro memoratu dignissima sunt, quae proposuerunt Patres Concilii Toletani quarti (DCLXXXI.) canone XIII. *Quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei atque apostolorum et martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de scripturis sacrorum canonum vel apostolica traditione non exsistunt: respuunt ergo et illum hymnum, ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque officio in fine omnium psalmorum dicimus: Gloria et honor patri et filio et spiritui sancto in saecula saeculorum. Amen. Nam et ille hymnus, quem nato in carne Christo angeli cecinerunt: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis; reliqua quae ibi sequuntur, ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec idem in ecclesiis canendus est, quia in scripturarum sacrarum libris non invenitur.* Patet illa aetate Hymnum angelicum in ecclesia fuisse usitatissimum; nec video cur fides deneganda sit Libro Pontificali referenti, Symmachum pontificem († DXIV.) constituisse, ut omni die dominico vel natalitiis martyrum Gloria in excelsis (cum paraphrasi etiam nunc usitata) diceretur. At de Episcopis solummodo velim intelligas. Nam ad saeculum usque duodecimum presbyteris in festivitate tantum Paschali licebat Hymnum angelicum in missa recitare. Quem morem carpit Berno Augiensis de quibusdam rebus ad missam spectantibus c. 2. *Nunc stilus ad movendam quaestionem sese vertat, ad quam totus hactenus sermo habitus intendebat, cur non liceat omni die dominico vel natalitiis sanctorum presbyteros illum*

hymnum canere quem nato in carne Domino angeli cecinere. Quod si concessum est illum cantare in Pascha secundum praetitulationem Missalis, non multo minus licitum puto in nativitate Domini, quando primum coepit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab angelis canebatur in coelis. Sane non male disputavit Berno: verum in aliis regionibus alia ex more illius temporis vigebat consuetudo. Scimus ex Chronico Turonensi, cuius supra mentio facta est, Gloria vetustis temporibus in Nativitate tantum cantatum esse. Omnino magna erat in hac re diversarum ecclesiarum discrepantia. MI. habet integrum carmen, simul orationem dicendam ab episcopo interim, donec hymnus angelicus finiatur. In Missa Chisiana: Finitis in choro Kyrie eleison, si tempus fuerit, dicat Sacerdos Gloria in excelsis Deo. Cf. quae exposuimus in Thesauri nostri Hymnologici Parte II. p. 268—275.

V. Oratio in Missa Illyrici et alibi vocatur Oratio Missalis, tanquam praecipua et officio diei maxime accommodata. Collectae nomen accepit, vel quia populo in unum congregato et collecto recitatur, vel quia ex selectis sacrae scripturae et ecclesiae verbis compendiosa brevitate colligitur. Plurimi codices Gelasiani ac Gregoriani praeter ordinem et canonem missae, habent pro officio Dominicali et festivo hanc orationem missalem, dein orationem super oblata, orationem ad Complendum et Praefationem. Merentur collectae laudem Bonae R. L. II. 5: *Elucet veteris ecclesiae spiritus, elucet in rebus ipsis apostolica quaedam gravitas; in sensu et in collatione verborum grata quaedam et perspicua concinnitas.* Fere ad unum omnes diriguntur ad Deum Patrem, desinunt autem in hanc formulam: Per Dominum (vel per eundem) Dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia saecula saeculorum. Non paris antiquitatis est additamentum: Spiritus Sancti Deus, ipsa vero orationum clausula grandem sapit antiquitatem. Ita Tertullianus de spectac. c. 35: *αἰῶνας αἰώνων* alii omnino dicere vetat, nisi Deo et Christo. Clarius est testimonium Fulgentii in epistola ad Ferrandum: *In orationibus sacerdotum per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus S. per universas paene Africae regiones dicere catholica consuevit ecclesia.* De numero collectarum ante epistolam Menardus: *In cod. S. Eligii ut in codicibus Rodradi et Ratoldi* (Vaticano, Othoboniano aliisque) *unica habetur oratio, raro duae. In Codice Remensi duas reperire est, raro unicam. Itaque non assentior iis qui asserunt in ecclesia Romana a temporibus apostolorum usitatam fuisse trium orationum in hac prima Missae parte recitationem, exceptis festis duplicibus, totidemque super oblata et post Communionem.* Recte monet Gerbertus, unam collectam designare plerumque Gregorianum codicem, duas Gelasianum.

VI. Vat. SB. El. Rod. Rat. Mog. Rc. Apostolus. Rocca et Menardus in quibusdam invenerunt: Deinde sequitur Epistola, sed haec

scriptura antiquitatem non redolet. Etsi enim lectio, Evangelium in missa praecedens, ex aliis quoque libris Veteris et Novi Testamenti desumatur, ut plurimum tamen ex epistolis apostolorum et inprimis Pauli apostoli accipitur, ac propterea vocatur et in orientali et in occidentali ecclesia Apostolus. Prisco ritu Romano praecedebat diebus praesertim sollemnioribus apostolum lectio aliqua ex Prophetis, quam quotidie recitant Ambrosiani, Gallicani, Mozarabes. Immo Patrum epistolae ut Clementis Romani ad Corinthios aliaeque, nec non Martyrum acta in Missa legebantur, quod non probari potest neque probatur Gelasio. *Martyrum gesta secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in ecclesia Romana non leguntur, quia et eorum qui conscripserunt, nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus et idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur.* Verumtamen, quamquam in Missa non amplius locum capiebant libri in sacrum scripturarum codicem haud redacti, ex aliis cultus divini partibus non eiecti erant aetate Gregorii. Ita hic pontifex in epistolis: *Ad me quorundam relatione perlatum est, quia coepiscopus meus Marinianus legi commenta beati Iob publice ad vigilias faciat, non grate suscepi, quia non est illud opus populare et rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generat.* Vides quam caute ac sobrie Romana ecclesia omnem evitaverit ne dicam superstitionem, sed superstitionis duntaxat speciem atque imaginem.

Lectiones et epistolas non complectebatur Sacramentarium: descriptae erant in libro singulari qui vocabatur Lectionarium, interdum Apostolicum vel Apostolus. Evangelistarium exhibebat diversas evangeliorum portiones singulis diebus canendas. Unus interdum codex tam epistolarum quam evangeliorum lectiones amplectebatur. Erat etiam clero Liber Comitis aut Comes, antiquus sane, ita ut nonnulli eum Hieronymo perperam tamen tribuant, qui lectiones indicabat singulis diebus adhibendas in sacris. Nam sicuti una cum ecclesia nata est sancta consuetudo legendi scripturam sacram in publicis Christianorum coetibus, ita quoque perantiquus est usus Pericoparum, iam Iudaeorum synagoga commendatus. Sane pernecessarium est, huius rei utilis et salutaris suscipere patrocinium contra vanas περικοπομίσων declamationes, sed vetat codicis nostri οἰκονομία. Audiant, qui edoceri possunt, quae docte et subtiliter disputant Augusti Denkw. VI. 196—244., Binterim Denkw. IV., l. p. 228—233., Frankium in Encyclopaedia Erschii et Gruberi s. v. Perikopen. Malim animos lectorum vertere in locum Muratorii Lit. R. I. p. 82. in doctrina de missa privata gravissimum: — — *nos omnia in Missalibus nostris coniuncta habemus. At nullum, quem noscam, missalem librum conscriptum ante annum Christi millesimum, quisquam adhuc exeruit, in quo universus iste sacrorum apparatus coagmentatus et per ordinem distributus legatur. Quare vix intelligas, quei sine incommodo tunc privatae missae sine Diacono, Subdiacono et Choro celebraren-*

tur, quum e diversis codicibus petenda esset integra missa, scilicet Orationes ex Sacramentario, Antiphonae, lectiones et Evangelia ex aliis libris. Ingens profecto incommodum fuerit, quatuor aut saltem tres codices deferre ad altare et ex uno ad alium procedere.... An aliter fieri et eiusmodi incommodum evitari potuerit, iudicabunt alii.

VII. SB. aliique codices Graduale, quae vox sequioris aetatis est — Lecta epistola, inchoabat cantor, prosequebatur chorus Responsorium ex Psalmis depromptum, quod Graduale nuncupatur a gradibus ambonis sive pulpiti, unde cantor psallebat. Verosimile est primum et in orientali et in occidentali ecclesia integros psalmos cantatos esse, postea singulos Psalmorum versiculos: quod confirmatur duobus locis Augustini de verbis ap. serm. 8. *Apostolum audivimus, Psalmum audivimus, Evangelium audivimus, consonant omnes divinae lectiones.* Serm. 10. *Primam lectionem audivimus, Apostoli, deinde cantavimus Psalmum, post haec evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit.* Post Responsorium certo anni tempore sollemniter moris erat cantare Alleluia: at diversa erat ecclesiae consuetudo. Augustinus *ut Alleluia*, inquit, *per solos dies quinquaginta* (inter Pascha et Pentecosten) *cantetur, non usquequaque observatur. Nam et in aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipsis autem diebus ubique* Sozomenus H. E. VII., 19. testatur, Romanos singulis annis duntaxat semel Alleluia canere, prima die paschalis festi. Post Sozomeni aetatem dicebatur tempore paschali ad Pentecosten usque, dein aliis quoque diebus. Nam ita Gregorius Epp. VII., 63.: *Ut Alleluia hic diceretur* (in aliis festivitatibus) *de Hierosolymorum ecclesia ex B. Hieronymi traditione tempore beatae memoriae Damasi papae traditur tractum.* Reticebant tamen Alleluia a Septuagesima ad usque Pascha, et loco eius ponebant Tractum, cui a trahendo nomen inditum est, quia tractim et graviter, notarumque seu vocum prolixo decursu cantatur. *Dum vero psallimus Alleluia iubilamus magis ac psallimus*, ut est apud Rupertum Tuit. de div. off. I. 35., *unamque brevem digni sermonis syllabam in plures neumas protrahimus, ut iucundo auditu mens attonita repleatur et rapiatur illuc, ubi sancti exultabunt in gloria et laetabuntur in cubilibus suis.* Solebant igitur longam notam post Alleluia super literam A. prolixius decantare, quas modulationes vocabant Cantus alleluiaticos vel Iubilos et Iubilationes, vel Sequentias, quia sunt quaedam veluti sequela et appendix cantici Alleluia. Erant propter cantum a sonis Antiphonarum ac Psalmorum diversum, plurimis ecclesiis libri singulares, Gradualia vel Cantatoria, quibus utebantur cantores in pulpito. In Missa Illyrici longae habentur orationes ab episcopo dicendae inter lectionem et evangelium, id est tempore Gradualis et Alleluia ac Sequentiae. Similiter in Missa Chisiana.

VIII. Recte Bona: *Hic mos nunquam interrupta serie ab initio ecclesiae usque ad nostra tempora servatus est, ut proxime post Evangelium ser-*

mo sive homilia sive tractatus haberetur ad populum. Hic sermo finem constituit Missae Catechumenorum: initium Missae Fidelium ab Offertorio, vel a Symbolo, quod tamen in Romana ecclesia usque ad saeculum undecimum vel duodecimum non erat in usu. Infra haec de Symbolo quaestio fusius pertractanda erit.

IX. Vat. super oblatam. SB. offertorium oratio. — Electis catechumenis ac poenitentibus*) populus dabat oblationes suas, panem et vinum. Dum offerebant, primo masculi deinde feminae, dona sua ad altare, cantabant cantores versus Offertorii vel Offertorium. Recitabantur autem versiculi Psalmorum plerunque vocibus contexti vel repetebantur prout exigebat offerentium numerus: ita tamen ut toto illo tempore, quo populus offerebat, psallentium voces audirentur. Hanc legem Gregorium demum sanxisse, ut statuunt multi, non credibile est. Nam ut taceam Augustinum in Retract. II. 11., iam in veteri foedere cum populus holocausta offerret in voce et tubis et cymbalis laudes canebantur Deo, ita ut hunc quoque ritum e synagoga in ecclesiam transmigrasse videas. Versus Offertorii continebantur non in Sacramentario sed in Antiphonario. Orationum, quae nunc a sacerdote dicuntur inter Offertorium, non fit mentio in Sacramentario Gregorii. Binterim Denkw. IV. III. 386: *Die jetzigen Formulae oder Orationes bei der Darbringung der Hostie und des Kelches waren bis zum funfzehnten Jahrhundert bei den wenigsten Kirchen angenommen. Die Aufopferung geschah in einer stillen Betrachtung des Priesters, in silentio.* Contra Missa Illyrici praebet orationum in hac Missae parte dicendarum multitudinem, paene dicam farraginem. Vetusta Sacramentaria ab Offertorio proxime procedunt ad Orationem super Oblata, quae in cod. Til. dicitur Secreta, quoniam a sacerdote recitatur secreto. In fine extollens vocem intonat: Per omnia saecula saeculorum (p. 26.) et pergit ad Praefationem.

X. XI. Vat. inde dicit sacerdos. SB. deinde dicit alta voce. El. Dicit D. V. Dicit SC. Dicit Gratia etc. — Recitata Oratione super oblata, praemissa populi salutatione Dominus vobiscum (quae occidentali ecclesiae est propria) incipitur Praefatio, veluti proloquium adstantes excitans et disponens ad praecipuam actionem, in qua proprie sacrificium consistit. Ut mihi videtur, nomen proprie pertinet ad Responsoria ante longiorem Orationem. Sunt qui eius institutionem Gelasio tribuunt, quem Praefationes cauto sermone composuisse scribunt veteres, cf. p. 23.; alii Gregorium vel Ambrosium sibi fingunt Praefationum in ecclesia patrem. Sed male, nam a primaevo ecclesiae usu sunt. Agnoscis Praefationis vestigia iam apud

*) Multos praeterea ex ecclesia exiisse conqueritur Caesarius Arel. Hom. XII.: *Cum maxima pars populi, immo quod peius est paene omnes recitatis lectionibus exeunt de ecclesia, cui dicturus est Sacerdos: Sursum Corda.*

Cyprianum, Augustinum aliosque. Cypr. de Oratione: *Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et saecularis abscedat nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem praefatione praemissa parat fratrum mentes dicendo „Sursum corda" ut dum plebs respondet „Habemus ad Dominum" admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.* Augustinus in epistola ad Dardanum: *Nosti in quo sacrificio dicatur Gratias agamus Domino Deo nostro*; de bono viduit. c. 16. *Inter sacra mysteria cor habere sursum iubemur, ipso adiuvante id valemus et ideo sequitur, ut de hoc tanto bono Domino Deo gratias agamus, quia hoc dignum, hoc iustum est recordari.* Locus palmaris exstat serm. 225. ad infant. de sacramentis. *Tenetis sacramenta ordine suo. Primo post orationem admonemini sursum habere cor. Hoc decet membra Christi. — Ideo cum dicitur „sursum cor" respondetis: „Habemus ad dominum." Sequitur episcopus vel presbyter qui offert et dicit, cum responderit populus: Habemus ad dominum sursum cor; Gratias agamus domino Deo nostro. Et vos adtestamini: Dignum et Iustum est — dicentes.* Antiquissimo tempore omnibus diebus dominicis sive festis una eademque erat Praefatio, quae nunc dicitur communis, sed mos sensim in occidente invaluit, ut huic praefationi singulare quid adderetur, pertinens ad singulas quasdam festivitates: invasit, homines ut ita dicam, pruritus cuique festivitati cuivis Sancto, adeo privatae necessitati condere Praefationem propriam. Ita Muratorio in Sacramentarium Blanchinii Leonianum confluxisse videtur quidquid Praefationum Romae habebatur, quo tempore illud confectum fuit. Et sane continet circa CCL. Praefationes, ex parte admodum verbosas, sermoni similiores quam orationi. At vero haec Praefatiorum multitudo, cum bonis perversa quoque scaturiens, displicuit Concilio Milevitano anno CCCCXVI., displicuit Gregorio. Optime demonstravit Muratorius L. R. l. p. 65—69. ingentem Praefationum numerum, in omnibus quoque Sacramentarii Gregoriani codicibus obvium irrepsisse post illius pontificis tempora, ipsum vero novem tantummodo retinuisse. Cf. p. 23. Sed quid censendum erit de epistola Pelagii pontificis, proxime ante Gregorium regnantis, quam citat Baronius ad annum DXC. Rogaverant episcopi Germaniae et Galliae, ut pontifex ordinem Praefationum eis mitteret, quem Romana ecclesia tunc habebat. Respondet Pelagius: *De vestra voluntate et studio bono multum gavisi sumus et sacrum ordinem Romanorum sacraque constituta antecessorum sollerter relegentes invenimus has novem Praefationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retro veritas in Romana ecclesia hactenus servavit. Unam in albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione, sextam de Apostolis, septimam de S. Trinitate, octavam de Cruce, nonam de Ieiunio et Quadragesima tantummodo dicendam. Has Praefationes tenet et custodit*

sacra Romana ecclesia. Has tenendas vobis mandamus. Nam si certum est, Gregorium Praefationum numerum imminuisse, qui fieri potest, ut Pelagius longe retro novem tantum Praefationes ordini Romano insertas fuisse scribat? At paene unanimi consensu illa epistola nunc pro spuria habetur. Muratorius L. R. I. p. 67: *auctor illius epistolae fortasse Isidorus Mercator, quum ineunte saeculo Christi nono sive sub Carolo Magno spurias epistolas scriberet, merito affirmare potuit non nisi novem Prafationibus a longo tempore uti Romanam ecclesiam, nam revera non nisi octo aut novem, aut decem* (aut undecim? De B. Virgine et Praefatio communis) *a Gregorii temporibus usurpavit in sacris idque antiquissimi codices testantur.*

Ordiuntur singuli Sacramentarii codices a Praefatione, ut Gelasianus missa L. Vindobonensis San Blasianus, Petrohusanus, Solodorensis aliique; habent igitur solummodo Missam Fidelium. MI. haec habet. *Tunc incipiat Secreta quibus finitis et Praefatione dicta quando alii Sanctus, Sanctus, Sanctus decantant, haec oratio cursim dicenda est a sacerdote: Domine Deus qui non mortem etc.*

XII. Desinit Praefatio in Hymnum Seraphicum vel ἐπινίκιον. Legitur in Libro Pontificali Sixtum I. (circa annum CLL.): constituisse, ut missarum actione sacerdote incipiente populus hymnum decantaret: Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth, quod Bona atque Assemannus ita intelligunt, ut quod antea a sacerdote solum dicebatur, id populus unanimi voce prosequeretur. Magna omnino erat ecclesiarum in hoc quoque cantico diversitas. Nam apud quosdam cantabatur non nisi in missis sollemnioribus, quem usum carpit Concilium Vasense DXXIX. iubendo: *Ut in omnibus missis sive matutinis sive quadragesimalibus, vel quae in defunctorum commemorationem fiunt, semper Sanctus, Sanctus eo ordine ad missas publice dici debeat: quia tam dulcis et desiderabilis vox etiamsi diu noctuque dici posset, fastidium non potest generare.* Notum est, nunc omnes Praefationes desinere in angelorum verba. Porro quaeri potest, an ubique et apud omnes in usu fuerint verba: Pleni sunt coeli et quae sequuntur. Non leguntur in multis codicibus, non commemorantur in symbolo episcoporum Africae. Hist. persec. Vandal. III. 23. p. 62. ed. Ruinart; Caesarius Arelatensis post Sanctus illa tantum verba affert: Benedictus qui venit in nomine Domini. Sed libenter fateor, nihil certi his locis inesse. De ritu cantandi Binterim Denkw. IV., III., 403.: *Die Synode von Aachen* 789 *verordnet, dass der Priester mit dem Volke gemeinschaftlich das Sanctus singe. Nach dieser Verfügung scheint also der Priester am Altare das Sanctus in dem Ton der Praefation fortgesungen und das Volk durch das zweite Sanctus vielleicht geantwortet zu haben; worauf denn einstimmig der folgende Vers fortgesetzt wurde. — — Die Missa Illyrici weicht hier weiter ab. Erstens giebt sie an, dass Andere, mithin nicht der Priester, das Sanctus singen sollen; zweitens*

lässt sie den Priester, während die Andern das Sanctus mit den folgenden Versen fortsingen, drei besondere Gebete verrichten, worauf er dann den Canon anfängt. Man hat auch andere Ritualbücher, die ähnliche Gebete vorschreiben. Praeter MI. e. g. Theod. I. Saepius occurit oratio Illyrici: Facturus memoriam salutaris hostiae etc.

Excipit Praefationem Canon Missae, saepe in singulari libello nitido literarum ornatu descriptus, plurimi habitus a Catholica ecclesia, in quo praecipue tremendum sacrificii mysterium peragatur, multum lacessitus ab adversariis. Sed haec bella atque altercationes ad nos non pertinent. Ante omnia inquirendum est, an vera sint vel probabilia, quae scribit Vigilius pontifex in epistola anno DXXXVIII. exarata: *Ordinem quoque precum in celebritate missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum; sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero Paschatis aut Ascensionis Domini vel Pentecostes vel Epiphaniae Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subiungimus, quibus commemorationem sanctae sollemnitatis aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus, cetera vero ordine consueto prosequimur. Qua propter et ipsius canonicae precis textum dirigimus superadiectum, quem Deo propitio ex apostolica traditione accepimus.* At vero si Canon ex apostolorum traditione fluxit, mirum est, alios iam ab antiqua ecclesia nuncupari canonis auctores. Quidam fuisse putant Gelasium, alii Musaeum Presbyterum Massiliensem, alii Voconium episcopum Castellarensem in Mauritania; insuper Liber Pontificalis, vetusti de rebus liturgicis scriptores atque perantiqua quaedam Missalia cuiuscunque vocis (ut hac ὑπερβολῇ utar) norunt auctorem. Cf. Gerbert. Lit. A. V. I. p. 336. sqq. Immo Gregorius Canonem a quodam Scholastico compositum asseruit. Quod nomen quidam proprium esse putarunt, alii vero rectius appallativum, quo significabantur viri eruditi imprimis qui adolescentibus omni literarum genere erudiendis operam navabant. Ut paucis dicam, in hac difficillima quaestione ea sententia minus in salebras incidit, ex qua duplex statuitur Canonis argumentum. Altera pars, verba consecrationis Qui pridie et quae sequuntur una cum Oratione dominica apostolicae aetatis est: ipse testatur Gregorius Epp. VII., 64., morem apostolorum fuisse, ut ad ipsam solummodo orationem dominicam oblationis hostiam consecrarent. Reliquae orationes atque invocationes paullatim additae sunt a diversis, ita tamen ut saeculo quarto vel quinto Canon Missae fuerit absolutus ac hodierno (si res minutiores praetermittimus) concors. Nam quae mutavit Gregorius, in Canone sane minoris momenti sunt. Passim paucula verba addidit, orationem dominicam, quae antea ante Consecrationem dici solebat, loco nunc consueto posuit. Itaque e doctrinae theologicae scena prorsus explodenda est fabula, Gregorium totum canonem composuisse, quamquam permultis admodum placet. Atqui hoc Gregorium fecisse, a credendo deterrent monumenta ecclesiae Gregorio vetustiora. Allu-

dere videtur ad Canonem Optatus Milevitanus his verbis: *Offerre nos dicitis pro ecclesia „toto terrarum orbe" diffusa.* Porro auctor quaestionum Veteris ac Novi Testamenti apud Augustinum (Tom. III. ed. Maur. in Appendice Quart. p. 109.) asserit quaest. CIX. Melchisedech esse quidem sacerdotem, sed non summum, ut, inquit, in oblatione praesumunt antistites. Habes praeterea Canonem Gelasianum Gregoriano non similem sed paene in omnibus parem. Habet denique Ambrosiaster in quarto libro de Sacramentis multa, quae excerpta esse ex canone nemo non videt. Tandem inter Sanctos in Canone recitantur solum Apostoli ac Martyres, reticentur nomina Confessorum. Scimus saeculo quinto Martinum atque Hilarium celebratiores fuisse quam ut eorum nomina in liturgia saeculi quinti vel sexti possint desiderari. Sed procedamus ad singula.

XIII. Vat. Vind. SB. Pt. cum beatissimo famulo tuo papa nostro ill. Reliqua desunt. Magna et in hoc capite librorum varietas. Alii inserunt regis vel imperatoris nomen, alii omittunt antistitem, multi non habent verba et omnibus orthodoxis et quae sequuntur. Apud veteres enim nomina Papae, Imperatoris, Regis, Episcopi non inserta erant libro Missali sed praelegebantur ex Diptychis. Cf. Augusti Denkw. XII. p. 303—312. De nota Ill. Lucas Holstenius in Praefatione ad Librum Diurnum Romanorum Pontificum: *Id unum censui non praetermittendum, quod in manuscripto codice frequenter habeatur haec nota Ill., qua utebantur veteres ad indicandum proprii nominis locum ubi nunc N. N. poni solitum est.* Mittimus codicum in crucis consignationibus in hoc capite et alias diversitatem. Rocca librariorum negligentiam arguit; poterat caerimoniarum in antiqua ecclesia discrepantiam. — Quod ad aliarum ecclesiarum ritum, Menardus affert Optatum Milev. contra Donatistas disputantem: *Nam quis dubitet vos illud legitimum in Sacramentorum mysterio praeterire non posse. Offerre vos dicitis pro ecclesia quae est una: hoc ipsum mendacii est pars unam te vocare de qua feceris duas.* At non video, qua ratione his Optati verbi evinci possit, Afros in canone orasse: pro ecclesia catholica quae est una. Neminem fugit, Optatum ecclesiam unam vocasse, quae in canone vocatur catholica. Utraque vox idem valebat κατὰ τὸ σημαινόμενον. M. I. quae minus preces publicas quam orationes privatim dicendas continet, haec iubet: *Deinde cum summa reverentia incipiat. Te igitur, et ministri stantes in gradibus suis cantent istos psalmos usque dum Te igitur finiatur.* Sequuntur preces diversae, porro praemisso titulo Infra actionem: *Inprimis una cum famulo tuo Papa nostro N. et pro omnibus orthodoxis atque apostolicae fidei cultoribus, pontificibus et abbatibus, gubernatoribus et rectoribus ecclesiae sanctae Dei et pro omni populo sancto Dei.* L. in hac canonis parte facit cum Gregoriano.

XIV. El. Mog. e. a. tibi reddunt — Recte Alcuinus: *Cum dicitur: Memento Domine etc. et sic deinde subiungitur et omnium circumstantium* (ita recentiorum codicum scriptura) *manifestum est, quod quasi quidam locus*

sit, ubi aliquibus specialiter nominatis etiam celerorum qui assistunt in ecclesia commemoratio adiungatur. In quo loco liberum est sacerdoti, quos desideraverit peculiariter nominare. At certe illud ab antiquis est observatum, ut ibi Offerentium nomina recitarentur. Praelegebantur ex Diptychis, qua de causa haec Oratio in codicibus inscribi solet Super Diptycha. At mirum in modum dissident codices in hac Canonis parte: non solum nomina eorum margini adscribunt, pro quibus celebranti orandum sit, sed ipsam orationem multis cumularunt additamentis, adeo prorsus mutarunt. Oratur, ut unum pro multis offeram exemplum, in Missa Illyrici: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, cunctorum scilicet consanguinitate mihimet vel familiaritate et amicitia coniunctorum, cunctorumque sua mihi peccata confitentium meque in tuo nomine bonis reficientium et omnium circumstantium.* L. praemittitit, ut multi, usitatae orationi aliam: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, viventium et defunctorum Christianorum, mihi quoque indignissimo famulo tuo N. propitius esse digneris et cum his omnibus me a cunctis emunda delictis ut et vitae huius prospera et aeterni regni gloriam percipere mereamur. Memento et omnium circumstantium* etc. ut supra. Sed haec omnia videntur leviora; attendas velim ad scripturae varietatem, qua duae ecclesiae Christianae aetates, ut ita dicam, agnoscendae sunt et aestimandae. Etenim Codices fere omnes Vat. Mog. El. etc. haec tantum habent: qui tibi offerunt. In Augiensi aliisque margini adscripta sunt verba pro quibus tibi offerimus. Adde locum Micrologi de observ. eccles. c. 23. *Item post pauca addunt „pro quibus tibi offerimus" cum in antiquioribus et veracioribus Sacramentariis non nisi sub tertia persona ibi offerentes reperiantur.* Parum virium habet quod pro hac novata scriptura affert Binterim Denkw. IV. III. p. 425., cui insolens aliqua τοῦ βασιλείου ἱερατεύματος species in hoc vetustiorum codicum consensu delitescere videbatur. *Die Kritik des Micrologus scheitert hier wieder, indem er glaubt, die Worte: pro quibus tibi offerimus seien überflüssig. Sie fehlen zwar in einigen (!) alten codices, wie auch bei Magister Florus; allein sie sind doch in der Liturgie des h. Gregor nach der Version des Codinus und nach dem Othobonianischen Codex, wie auch bei andern Schriftstellern des elften und zwölften Jahrhunderts.* Scriptores undecimi vel duodecimi saeculi haud moramur: quod ad Codinum, ipsum recentiorem atque interpolatum Gregoriani Sacramentarii codicem graecum fecisse inter omnes constat. Quid unus Othobonianus in unanimi reliquorum consensu? Recte Radulphus monet, haec verba pro quibus tibi offerimus in canonem irrepsisse, quo quidem tempore recitatio Offerentium et ipse ritus Offerendi in desuetudinem abire coeperit.

XV. In hoc capite ecclesia quae militat in terris cum ea communicat, quae in coelis triumphat, more sane perantiquo ac primaevo. Satisfaciunt pro ecclesia occidentali loci Augustini, quos attulit Bona, de virgin. c. 45: *Fide-*

libus notum est, quo loco Martyres et quo defunctae sanctimoniales ad altaris Sacramentum recitentur. In Ioann. Tract. 84: *Ideo ad mensam Domini non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescant, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi orent pro nobis, ut eorum vestigiis adhaereamus.* De verb. ap. 17. *Martyres eo loco recitantur ad altare Dei ubi non pro ipsis oretur: pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur.* Nominantur autem praeter B. Virginem et duodecim Apostolos Martyres duodecim. Constans semper in eo fuit Romana ecclesia, ut B. Virginem, apostolos et martyres retineret, exclusis Confessoribus. Neque tamen putandum est, hoc secundum regulam quandam et legem factum esse, vel quia Martyres passionem et mortem Domini, quae in missa repraesentatur, effuso sanguine imitati sint. Iam supra monuimus, Canonem natum esse antequam Confessorum memoria in ecclesia celebraretur. Postea vero ecclesia Romana consueta antiquitatis verecundia prohibuit, ne quid novi Canoni adderetur; expunxit adeo quae admiserat Gregorius III. in capella papali: Quorum sollemnitas hodie in conspectu maiestatis tuae celebratur. At perspicuum est, reliquas ecclesias, ob reverentiam propriis Sanctis adhibitam diu multumque dubitasse an in hac re Romanae severitati cervices dandae essent. Accedit quod omnes, qui nominantur, vel Romae passi sint vel in locis Romanae sedi immediate ut ita dicam subiectis: Corona Martyrum in Canone Romanis solummodo floribus serta. Itaque codices vetusti fere omnes Sanctos domesticos canoni interserunt SG. et sanctorum confessorum tuorum Hilari, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, Galli, Othmari. El. Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti. Rem. Dionysii, Rustici, Eleutherii, Hilarii, Martini, Remigii, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti. Ipse Othobonianus similia habet additamenta. Reliquorum codicum scripturae aliaque innumera exempla, quae enumerare longum est, exstant apud viros eruditos ac plurimae lectionis, Bonam, Menardum ac Gerbertum. Item supervacaneum est, afferre illorum fabulas, qui Siricium vel adeo Linum hanc Canonis partem confecisse volunt. Finem faciat huic capiti locus Binterimi Denkw. IV., III. p. 427: *Die Apostel folgen hier nicht in der Ordnung wie sie in unsern Bibeln aufgezeichnet sind, eben so auch nicht die Märtyrer nach der Zeit ihres Märtyrertodes. Hieraus folgert Walafried Strabo, der Canon sei theilweise verfertigt. Allein diese Schlussfolge beruht auf keinem festen Grunde. Denn selbst in unsern Bibeln ist die Reihe der Apostel sich nicht stets gleich. — — Wahrscheinlich waren die zwölf Namen der Apostel und Märtyrer in zwei Linien abgetheilt. Ietzt fragt sichs, wie diese Linien geordnet waren. — — Indessen da einige Märtyrer, z. B. Cyprian, Cornelius, Cosmas und Damian erst im dritten und vierten Jahrhundert gelitten haben, so liegt es am Tage, dass entweder*

der Canon nach dieser Zeit ist in der Form geordnet worden, oder Falls er früher so war, diese Märtyrer doch später beigesetzt worden. Hieraus ergiebt sich, dass man auf die Zahl zwölf nicht bauen kann. — — Vielleicht sind die Kirchen der im Canon angeführten Märtyrer die ersten Cardinalkirchen in Rom. At non video cur Vir Doctus tam mordicus hanc opinionem teneat, Canonem non paulatim confectum atque adauctum esse sed uno eodemque temporis momento ex capite ecclesiae, ut fabularum vocibus utar, totum et integrum prosiluisse. Tuetur hypothesin, quam ipse labefactat atque pervertit: concedit enim quod concedendum est, nonnulla Martyrum nomina saeculo quarto adiecta esse. Quaestio, si quid video, non magni est ponderis. Primo canonem ornarunt duodecim apostolorum nomina: accessit Beata Virgo, adiecta sunt deinceps Martyrum nomina secundum tempus passionis. Quod ad numerum duodenarium, *σύμμετρος* est apostolorum catalogo ac mysteriorum plenus.

Missa Illyrici post M e m e n t o p r o v i v i s habet orationem H a n c o b l a t i o n e m h u m i l i t a t i s m e a e etc. ex parte similem Canoni Romano, dein ex more aliarum orationum dat tantum initium Q u a m o b l a t i o n e m t u D e u s i n o m n i b u s q u a e s u m u s. Hanc excipit oratio dicenda quando concilium vel consilium aliquod agitur. His praemissis sequuntur verba C o m m u n i c a n t e s e t m e m o r i a m v e n e r a n t e s sed desunt reliqua. L. consentit cum Gregoriano.

XVI. Rem. d i s p o n e — e r i p e. — In festivitatibus Paschatis et Pentecostes fit specialis oblatio pro renatis e fonte baptismatis. Omnino apud vetustos specialis intentio saepe in hac oratione exprimitur, propter quam sacrificium offertur. Haec Bona: et sane magna est librorum diversitas. In ipso Codice Othoboniano secundis curis additur a recentiori manu: *Hanc igitur oblationem, quam tibi ac si indignus pro emendatione viciorum ac remissione peccatorum meorum offero et pro gloria Martyrum et Confessorum et pro salute vivorum vel requie defunctorum propi . . . . adspicias, sanctifican . . . sanctifices † benedice . . . † benedicas † Per quem suppliciter depre . . . . Per Christum Dominum nostrum.* Gregorio magno consensu tribuunt scriptores additionem illam d i e s q u e n o s t r a s i n t u a p a c e d i s p o n a s: ita Ioannes Diaconus, Anastasius, Beda, Amalarius, Ado in Martyrologio, Hincmarus de praedest. c. 18. Anonymus apud Canisium T. II. P. II. p. 258. Nihilominus verba haec habentur quoque in Gelasiano, Gallicano aliisque Sacramentariis.

XVII. Vat. El. D o m i n i D e i n o s t r i.

XVIII. XIX. Codices in Consecrationis formula mire consentiunt. Desiderantur tamen duae minutae particulae, quae nunc in Missalibus exstant. Habent vetustissimae membranae non e t e l e v a t i s ac d e d i t q u e sed e l e -

vatis et dedit. Item alii omittunt enim in voce Hoc est enim Corpus meum. Pseudo-Ambrosius (Opp. Ambr. ed. Bened. II. p. 365 sqq.) in paucis a Canone discrepat: In sanctis manibus suis accepit panem ac respexit ad coelum, ad te Pater omnipotens aeterne Deus accipiens et calicem .. hic est sanguis meus. Observat Innocentius III. de myst. m. IV. 5 tria hic commemorari, quae non sunt in Evangelio, videlicet elevatis oculis in coelum et in calicis consecratione aeterni testamenti et mysterium fidei: quae asserit addita ex apostolica traditione. Tribuunt alii τὸ μυστήριον τῆς πίστεως, ut est apud Codinum, Leoni Magno; sed haec omnia incerta. MI. iterum non continet Canonem sed orationes a sacerdote ex privata devotione Consecrationi intermiscendas. L. facit cum Gregoriano.

XX. Rem. Til. El. Vat. memores sumus: ita Florus Magister. El. filii tui Dei nostri. Pseudo-Ambrosius: Et sacerdos dicit: ergo memores gloriosissimae eius passionis et ab inferis Resurrectionis et in coelos Ascensionis ... hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum et calicem vitae aeternae .. sicut suscipere dignatus es .. summus sacerdos Melchisedek. Postrema capitis verba: sanctum sacrificium immaculatam hostiam Leonem I. auctorem agnoscere traditur in Libro Pontificali, a Walafrido Strabone multisque aliis.

XXI. Vat. El. in conspectu. SG. „Hic inclinat se ante altare dicens, Suplices te rogamus omnipotens Deus et mox. Hic orat apud se quod voluerit, deinde dicit iube." Similia in aliis. Eiusmodi additamentis probatur capitis interpretatio, quae apud Romanae ecclesiae doctores tamquam sana et unice vera docetur. Non perfertur Christi corpus ad sublime altare, quod placuit Paschasio Radberto, stomachum movit Luthero (*Darnach schleußt er dem armen Christo allererst den Himmel auf und bittet, dass ein heiliger Engel mit seiner Hand wollte ihn hinauftragen auf den Altar vor Gott. Summa Summarum es ist eitel, gräulich, lästerlich Ding im Canone.* Walch. Bd. XIX. p. 1457.) sed preces fidelium: ascendit fumus incensorum de oblationibus sanctorum de manu angeli Apoc. VIII. Ita Thomas Aquinas 3. part. Quaest. 83. art. 4. *Sacerdos non petit neque quod species sacramentales deferantur in coelum, neque corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit; sed petit hoc pro corpore mystico, quod scilicet in hoc sacramento significatur, ut scilicet orationes sacerdotis et populi angelus assistens divinis mysteriis Deo repraesentet.* Ita Innocentius III. Myst. M. V., 6. *Iube Domine vota fidelium et preces angelorum ministerio in conspectum tuae maiestatis perferri.* Pseudo-Ambrosius adnuit plurimis: habet tamen suscipias in sublimi altare tuo. MI. luxuriatur orationum privatarum multitudine, L.

interserit inter Supra quae et Supplices rogamus supplicationem sacerdotis: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, ut digneris sanctam matrem ecclesiam ab omnibus inimicis custodire et omnes inimicos eius humiliare, et qui me exiguum et peccatorem ad tuum ministerium et ad hunc ordinem vocare dignatus es, sic vel idoneum tibi ministrum efficias, ut hoc sacrificium quod tibi offero, de manibus meis placide et benigne suscipias electorumque sacerdotum me facias esse participem. Per Christum Dominum nostrum.* Iube etc. Haud necessaria videtur Binterimi coniectura: *Vielleicht hat Leo diese Supplicatio eingesetzt zur Zeit der grossen Kirchenspaltung oder beim Anrücken der Feinde gegen Rom.*

XXII. Vat. Christum filium tuum Dominum nostrum. — Muratorius L. R. I. p. 52. *Heic autem obiter animadvertendum reor uti veri fert similitudo, per incuriam librarii excidisse ex hoc Sacramentario (Gelasiano) commemorationem Defunctorum quae post Consecrationem adhibetur ab ecclesia Romana. Quippe nullam ferme liturgiam sive occidentalium sive orientalium ecclesiarum mihi ostendas, in qua pius iste ritus desideretur. Neque tibi in mentem subeat dubitatio, an S. Gelasii aevo viguerit mortuorum fidelium commemoratio in sacris et preces pro iis Deo offerantur. Saeculo ipso Christi tertio et quarto, nedum quinto habemus patres huiusmodi dogmatis et ritus testes. Nullum ex iis ego memorabo in re nimium nota atque protrita.* Et sane hoc largiendum est Viro Doctissimo, ex antiquissimis ecclesiae temporibus orasse fideles pro defunctis in sacris: at prorsus alia est quaestio an hoc Memento pro Defunctis ab omni vetustate acceptum sit. Iam Menardus annotavit, non exstare in Canone Codicis S. Eligii communi, in alio tamen qui habeatur in feria quinta in Coena Domini. Porro deest in Rheinaugiensi Gregoriano, Augiensi, San-Gallensi; suppletur recentiori manu saec. XII. in San-Blasiano ac Petershusano. Ipse diligentissime inspexi Codicem Moguntinum at neque in Canone, nec uspiam alibi investigavi hoc Memento. Videamus quomodo Viri Docti hunc nodum expediant. Locus quo perfugit Muratorius, librariorum est incuria: at vix ac ne vix quidem labi potuit librarius unus in re tam sancta et gravi. Nosti in multis libris desiderari. Assemanus opinatur hanc commemorationem excidisse, quod adhuc mos vigeret defunctorum nomina alta voce e diptychis recitandi. Hoc sane verum: iam indicat quod orationi apud multos iterum inscriptum est: Super Diptycha p. 33. Sed quid valeat in hac lubrica quaestione, non intelligo. Diptychis utebantur sacerdotes quomodocunque res se habebant. Etsi formula Commemorationis in Sacramentario descripta sit, ut nomina mortuorum alta voce recitare possint, indigent vel tabellarum illarum auxilio, vel nomina margini habent adscripta. Othobonianus in margine nominat *Elisardum episcopum, Hodalricum Decanum, Fuolchcerium Decanum, Hestierium, Warinonem, Atroltum, Eidoilam, Dudam, Trotmudum Decanum etc.* Porro nomina vivorum pariter

recitabantur ex Diptychis et tamen ubique legitur in Codicibus Memento pro vivis. Dubitat Vezzosius ad Canonem Romanum Sacramentarii Gelasianum, ubi deest Memento mortuorum, an id aliquid ritus Gallicani indicet (Opp. Thomas. VI. p. 175.) Nam apud Gallicanos Vivorum ac Mortuorum memoria una oratione simul absolvitur. Neque negarim fieri potuisse ut ex ritu Gallicano hic mos ad Romanos permigraverit, imo apud nonnullas ecclesias, praecipue in Alemannia superiori, Galliae vicina permanserit. At magis mihi arridet alia sententia. Duplex erat apud vetustos in Missa mortuorum commemoratio: altera fiebat et in missis Defunctorum proprie sic dictis et certis diebus, ut ferebat loci consuetudo. Ita sollemnis facta est mortuorum commemoratio in Coena Domini, in illo monasterio, cuius erat Codex S. Eligii. Altera pro defunctis viventium ad Deum oratio recitabatur si ex fidelium coetu nuper decesserint quidam de vita. Tunc intersertum et Canoni in quotidianis quoque missis illud Memento pro defunctis a librariis saepius omissum, quoniam fuit ut ita dicam Canonis pars fortuita atque adventitia. Si spernis hanc meam opinionem, spernis vetusti codicis testimonium: In antiquissimo Missali San-Gallensi, cuius scriptura ad Merovingicum characterem accedit, hoc notatur: Si fuerit ut nomina defunctorum recitentur, dicit Sacerdos: Memento etc.

Non haerendum est in orationibus, quas ex privata devotione recitarunt singulae ecclesiae vel ante vel post Memento pro Defunctis. Multa exempla congesserunt Bona R. L. II. XIV. Gerbertus LV. I. p. 364. Ne desit exemplum audias Codicem Vindobonensem: *Memento mei, quaeso Domine, et miserere, licet haec sancta indigne tibi sancte Pater omnipotens aeterne Deus meis manibus offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum ac venerabile nomen tuum dignus sum. Sed quoniam in honore, laude et memoria gloriosissimi dilecti filii tui Domini nostri Iesu Christi offeruntur, sicut incensum in conspectu divinae maiestatis tuae cum odore suavitatis accendantur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Memento etiam Domine et eorum nominum etc.*

In Missa Illyrici inter quatuor oblationes pro Defunctis, quae fiunt ante Consecrationem, prima est pro defuncto, secunda pro defunctis animabus famulorum famulorumque, tertia pro omnibus in tui nominis confessione defunctis, quarta generalis post Consecrationem pro Vivis et Defunctis: *Suscipe S. Trinitas hanc oblationem, quam pro seniore nostro et cuncta congregatione S. Petri meisque parentibus, fratribus, benefactoribus, fidelibus amicis, meisque propinquis et omnibus circumstantibus, qui se mihi commendaverunt et qui pro me orant, seu pro quibus debitor sum exorare, tam vivis quam defunctis tibi offero, quatenus te Domino miserante eis et mihi remissio et indulgentia peccatorum concedatur et vita aeterna condonetur.* Post Consecrationem sequitur Memento pro semet ipso, deinde pro semet ipso et pro debitoribus, dein item pro semet ipso in eodem

Canone dicendum, item pro salute vivorum et mortuorum. Interiecta sunt verba: *Hic recites nomina quorum velis.* Agmen claudit Memento pro Defunctis Romanum. At unamquamque orationem excipiunt Nobis quoque peccatoribus. Ut mihi videtur sacerdos ante Orationem Nobis quoque ex his quinque deprecationibus sumere potuit quam vellet. L. a Gregoriano non discrepat.

XXIII. Binterim l. c. p. 455: *Ein Fragment dieses Gebetes citirt der alte Verfasser des Breviarium in Psalterium* (Ad capessendam futuram beatitudinem cum electis eius in quorum nos consortium non meritorum inspector sed veniae largitor admittat Christus Dominus noster. Opp. Hieronymi ed. Vallarsii. Tom. VII. p. 254. in fine Ps. LXXII.) *woraus die Ueberzeugung entsteht, dass es unter die ältesten Theile der Messe muss gerechnet werden, obschon es einige Zusätze bei den Namen der Heiligen erlitten hat. Wir können der Kritik des Walafried Strabo nicht beipflichten, der aus den hier angeführten Namen der Heiligen eine getheilte Anfertigung des Canons herleiten will.* Carpit iterum miserum Strabonem, alto silentio praetermittit Innocentii III. aliorumque ad hanc canonis partem adnotationes, quibus haec iterata Sanctorum commemoratio argumento est, quod Canon non simul ab uno compositus est sed successivis temporibus particulatim a pluribus, unde in hac commemoratione supplentur ex magna parte, qui de primitivae ecclesiae Sanctis deesse videbantur in commemoratione prima. Quapropter magis assensum merentur quae addit Binterim in sequentibus: *Die funfzehn Heiligen, deren Namen genannt werden, sind wieder jene, denen in Rom vorzügliche Kirchen gewidmet waren. — — Vielleicht waren Anfangs nur zwölf Namen eingeschrieben, wie im ersten Theile des Canon; wozu nachher noch drei hinzukamen. Das scheint auch Hildebert hier anzudeuten:* Idem „dum memorat Sanctos" humerale recenset „Quod bis sena Patrum nomina scripta gerit.". *Nach dem Zeugnisse des Bischof Aldelmus, der im 8. Jahrhundert lebte, soll der h. Gregor I. die beiden Namen Lucia und Agatha beizusetzen befohlen haben. De virgin.. c. 2.* Ceterum huic capiti ut primo Martyrum catologo apud antiquos multa Sanctorum Sanctarumque nomina addita esse ex domesticae sanctitatis προςκυνήσει non est quod moneamus: sed ne unum quidem nomen praeter haec quindecim postea cladem evasit. De sana interpretatione vocis meriti audi Menardum: *Id est* demeriti peccati. *Nam statim sequitur* sed veniae largitor. *Huic interpretationi adstipulatur vetus expositio ms. Praefationis et Canonis Missae Bibl. Corb. Non retributionem peccatorum aestimet sed ipse sit veniae largitor. Et quandoque meritum sumitur pro peccato. S. Augustinus lib. de cura pro mortuis gerenda c. I. quorum tam mala sunt merita.*

Finita hac oratione post illa verba: Largitor admitte, si novae fruges aut quaelibet alia humanis usibus inservientia benedicenda erant, ante altare

collocari olim solebant et hic a sacerdote benedici et terminata benedictione solita clausula Per Christum Dominum nostrum sequentem addebant orationem Per quem haec omnia sq. quae non solum referebatur ad Oblata sed etiam ad res tunc benedictas, quas Deus continuo creat sive producit. Bona R. L. II. c. XIV.

XXIV. Vat. omittit Amen. — Oratio Dominica, quam Tertullianus vocat totius Evangelii breviarium et salutaris doctrinae compendium, cum in toto officio divino tum in Coena Sacra sollemnis fuit apud maiores: ita ut extra dubitationis aleam positum sit quod refert Augustinus Ep. CXLIX. fere omnem ecclesiam Canonem Oratione Dominica concludere. Haec simplicia et facilia ad intelligendum: at magnam et perdifficilem quaestionem movet epistola S. Gregorii iam saepius commemorata, ad Ioannem, Syracusanum episcopum missa. De ipso pontifice murmur erat in Sicilia, quia orationem Dominicam mox post Canonem dici statuisset. Respondet Gregorius: *Orationem dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos apostolorum fuit ut ad ipsam solummodo orationem oblationes hostiam consecrarent. Et valde inconveniens mihi visum est, ut precem quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus et ipsam traditionem quam redemptor noster composuit, super eius corpus et sanguinem non diceremus. Sed et oratio dominica apud Graecos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo sacerdote.* Primo vexavit Romanae ecclesiae doctores quod Apostoli tam simplici ritu et (ut multis videtur) ieiuno Coenam Sacram celebrarint. Bona, alioquin candidus iudex, in his lapsus est. *Illa dictio exceptiva „solummodo“ aut irrepsit in textum Gregorii, aut ad alias orationes restringenda est, quae consecrationem antecedunt et subsequuntur. Nam verba, quibus Christus hoc sacrificium instituit, apostoli procul dubio recitabant, non omissa memoria passionis eius, sicut ille praecepit: Hoc facite in meam commemorationem.* Binterim, ut fas est, respuit opinionem sane miram, vocem solummodo in codices irrepsisse. Affert medelam per coniecturam sollemni modo, neque his contentus, verba Gregorii ita vult intellecta, ut tempore apostolorum Oratio Dominica non in aliorum sacramentorum administratione sed tantum in Missa adhibita sit. Patronum vocat Leonem III., in epistola ad Gallos et Germanos haec iubentem: *Post haec consuluit, si dominica oratio in benedictione ciborum debeat usitari. Quod fieri non oportet, quia in sanctificatione corporis et sanguinis Domini nostri hanc solummodo sancti apostoli decantabant.* Nemo non videt, Leonem Gregoriana verba repetere: neque tamen tuetur sententiam Binterimii. Nolite, inquit, vilem habere orationem quam tam sanctam habebant apostoli, ut nulla alia adiecta hanc solummodo in Coena sacra adhibuerint. Equidem ingenue fateor me nihil videre difficultatis in epistola Gregorii, nisi forte hoc nonnullis displicet, apostolorum aetate, cum saepius gladius hostium districtus et furibunda immineret infidelium persecutio, ecclesiam

breviori formula usam esse. Duplex in Gregorii verbis distinguendum est. Consecrarunt apostoli. Hanc vocem consecrare Gregorius ex communi ecclesiae usu, sexcentis exemplis comprobato, pertinere vult ad illam Missae partem, quae etiamnunc vocatur Consecratio: Qui pridie quam pateretur etc. Haec sacratissima verba omissa esse ab apostolis, Gregorio minime venit in mentem. Quid vero voluerit sanctus pontifex, docet totius epistolae ingenium. Erant enim et hodie sunt homines hebetis atque nullius ingeni, in divinis διυλίζοντες τὸν κώνωπα: hos contra Canonem suum coarctatum ac noviter dispositum murmurantes, edocet Gregorius de libertate ecclesiae in ritibus ac caerimoniis concessa. Vos aegre fertis, inquit, tam leves pristinae liturgiae mutationes: sed magis vobis reprehendendi erant apostoli, quos praeter verba consecrationis Orationem solummodo dominicam scimus recitasse. Recte igitur Rupertus Tuitiensis: *Non quidem sanctius nunc est quam erat prius ad solam quando orationem Dominicam et verba domini consecrabatur.*

Sed non tacendum est, aliam eamque magnam inesse loco Gregoriano difficultatem: etenim si verba premuntur, Gregorius primus instituisse videtur, ut Oratio Dominica in Romana missa diceretur. Hanc sententiam suam fecit Ch. M. Pfaffius in opusculo de liturgiis ac praeter eum multi Protestantium theologi. *En vero*, inquit, *istam Gregorius ait orationem dominicam se canoni missatico adiecisse, quae in eodem hactenus non exstiterit. Itaque in Gelasiano codice ea inveniri haud debet, quae tamen in illo quem Thomasius edidit exstat.* Acriter in Pfaffium Muratorius invehitur. Allatis multum patrum testimoniis, pergit dicere: *Fierine potuit ut orationem tanti momenti una Romana ecclesia in Canone omiserit? Apage.* At vero, ut haec Muratorii pace dicam, profecto fieri potuit ut ecclesia Romana hanc orationem omiserit aeque atque Symbolum Apostolorum. Liberius Bona: *Quod si usus universae ecclesiae a temporibus apostolorum fuit, hanc orationem in singulis missis recitare, nescio cur G. dicat, inconveniens sibi visum eam omittere ac si suo tempore in usu non esset. An forte in quotidianis missis omittebatur, ipse autem pristinum morem restituit? Sane hunc abusum in ecclesiis Hispaniarum invaluisse, eodem saeculo quo G. decessit Concilium Toletanum IV. nos docet c. 9. Nonnulli, inquit, sacerdotum in Hispanis reperiuntur, qui dominicam orationem quam salvator noster docuit et praecepit, non quotidie sed tantum die dominica dicunt.* Confugit dein Bona ad Ioannem Diaconum, in vita Gregorii narrantem, orationem dominicam mox post Canonem super hostiam cessasse recitari. Ioannem enim viri docti Romanae ecclesiae aeque ac ipsum Gregorium ita explicant, nihil aliud a Gregorio statutum fuisse nisi ut loco congruo recitaretur oratio dominica. Non male. Ante Gregorium dicebatur Pater Noster vel in principio vel in fine missae: sed inconveniens visum est pontifici eam orationem tam remotam esse ab ipsa consecratione, quam apostoli solummodo ad consecrationem adiecerunt. Expuncta igitur Scholastici prece, quae post Consecrationem sa-

cerdotibus in usu erat, posuit orationem Domini super panem et vinum modo consecratum recitandam.

Praemittitur orationi dominicae brevis Praefatio, qua sacerdos se indignum et degenerem Dei filium agnoscens, protestatur se non audere Deum Patrem compellare, nisi Christus monitis et praeceptis fiduciam praebere dignatus esset. Occurrit fere in omnibus ecclesiae liturgiis, Romanae praefationis auctor ipse appellatur Gregorius. Tamen iam Hieronymus in tertio adversus Pelagianos libello hanc praefatiunculam tangere videtur. *Sic docuit apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui.* Quamquam largior Vallarsio, apte posse intelligi Hieronymum de Praefatione proprie sic dicta.

In decantanda oratione dominica non una erat ecclesiarum disciplina. Apud Orientales, Gallos et Hispanos illam recitabat omnis populus, forte quod communis esset oratio, ut Cyprianus loquitur. Romae vero saltem a Gregorii tempore solus decantabat sacerdos. Krazer de occid. lit. p. 527.

XXV. Bona R. L. II., 15: *Postrema petitio orationis dominicae latius extenditur sequenti deprecatione* Libera nos, *quam prisci rituum expositores* Embolismum *vocant. — Ea siquidem magis exprimitur, a quibus malis liberari petamus a praeteritis scilicet, praesentibus et futuris — — Usus erat antiquus hic addere plures sanctos ad arbitrium sacerdotis.* Unde magna est codicum varietas. El. Rod. Rat. Mog. et beatis Vat. Andrea da propitius. El. et intercedente — — Andrea nec non et B. Stephano protomartyre — — pacem diebus — Per Dominum. Pam. cum b. Cyriaco Martyre et b. Martino Confessore. Theod. 2. S. Quintini, Nicasii, Gregorii, Medardi et Eligii. Til. nec non et beatis Martyribus tuis Gervasio et Protasio SB. Andrea cum omnibus sanctis. L. Maria et beato Michaele Archangelo tuo et sanctis apostolis Petro, Paulo, Andrea atque Bartholomaeo cum omnibus Sanctis. In Missa Illyrici nullum exstat Orationis Libera vestigium.

XXVI. Codex noster Othobonianus Ordinem Missae concludit hac formula perantiqua: Pax Domini semper vobiscum. Respondetur et cum Spiritu tuo: neque nostrum est longius de osculo pacis et pace in Missa danda disserere. Vaticanus, Eligianus, San Blasianus aliique addunt semel vel ter, Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis. At hoc ipso additamento produnt illae membranae recentiorem originem. Nam ex veterum scriptorum consensu Sergius primus a DCLXXX. statuit ut, tempore confractionis dominici corporis diceretur ter Agnus Dei — miserere nobis Multis postea ingruentibus ecclesiae adversitatibus, ut ait Innocentius de myst. m. VI., 6., statutum fuit ut in tertio diceretur dona nobis pacem: qui ritus ubique receptus est, excepta basilica Lateranensi, in qua

adhuc servatur antiqua formula dicendi ter: miserere nobis. In antiquis Missalibus ante annum millesimum scriptis haec oratio tertio reperitur cum clausula: Miserere nobis: ex quo apparet, praedictam mutationem post eum annum contigisse. Haec Bona. Ceterum vix est quod moneamus, antiquitus multas orationes et cantica recitata esse ad Communionem, quae in vetustissimis Codicibus non leguntur; multae habentur tamen in Missa Illyrici atque ex parte in libris saeculi decimi ut in Vindobonensi, Tiliano aliisque. In vetustis Sacramentariis singulis diebus festis praeter Collectam et Orationem super Oblata assignatur. Oratio ad Complendum; quae nunc dicitur Postcommunio. Interdum, praecipue diebus Quadragesimae hanc excipit alia Super populum dicenda. Sed haec hactenus: nam de his, quae ad finem Missae spectant, disputandi mox aperietur occasio.

CAPUT II.

Ordo Missae Gregorianus, Ambrosiano, Gallicano, Mozarabico παράλληλος.

Ut iis afferatur adiumentum, qui diversos ecclesiae occidentalis ritus commodo cupiunt oculorum obtutu perspicere, haec datur tabula quadripartita. Primum ordinem tenet Ordo Romanus, prout ex lege Concilii Tridentini nunc in ecclesia Romana religiose observatur. Iuxta posita est Missa Ambrosiana, quae diu multumque a Romanis pontificibus oppugnata, ab Alexandro VI. singulari bulla probata, adhuc perseverat in provincia Mediolanensi. Tertia acie collocatur vetustae Gallicanae liturgiae conspectus, Mabillonii doctissimis disputationibus accommodatus. Extrema pagina locus est Mozarabum, quorum ritus ex instituto Ximenii Cardinalis hodie in una aedicula Corporis Christi, ecclesiae quae est Toleti metropolitanae adnexa, servatur: scis olim totam Hispaniam obtinuisse. Uberiorem ritus Ambrosiani, Gallicani, Mozarabici notitiam atque diversas virorum doctorum opiniones quaeras in libris infra positis. Nos enim ex Codicis nostri modulo adnotationes adspergimus Ordini tantum Romano. Pertinent vero vel ad ritus missatici in aevo medio discrepantiam vel ad singularum ecclesiarum atque ordinum leges proprias, quae hodieque valent.

I. Rationale *caerimoniarum Missae Ambrosianae. Mediol.* 1499. Pamelius *Lit. Lat. I. p.* 193 *sq.* — *Missale Mediolanense iussu et cura S. Caroli Borromaei editum* 1560 *recusum sub Caesare Montio archiepiscopo* 1645 *denuo editum* 1669 *et saepius.* — I. Mabillon *Museum Ita-*

licum Tom. I. Pars 2. *p.* 95—109. — Muratorius *Antiquitates Italiae medii aevi Tom. IV. p.* 86 *sq. Inest Beroldi Mediolanensis Ordo et Caeremoniale Missae Ambrosianae.* — I. A. Saxe *Epistola ad amicum etc,* 1731. — Binterim *Denkw.* IV., 3. *p.* 66—88. Augusti *Denkw. IV. p.* 281—287. Böhmer *Christlich-kirchliche Alterthumswissenschaft II. p.* 214—216.

II. Io. Morinus *Commentarii de sacris ordinationibus secundum Graecos Syros et Babylonios. Paris* 1655. *fol. In Appendice vetusta adiecta sunt Sacramentaria et Ritualia ex parte Gallicana.* — I. M. Thomasius *Codices Sacramentorum nongentis annis vetustiores, nimirum tres Sacramentorum Romanae ecclesiae, Missale Gothicum sive Gallicanum vetus, Missale Francorum, Missale Gallicanum vetus. Romae* 1680. 4. — I. Mabillon *De Liturgia Gallicana Libri III. Accedit Disquisitio de Cursu Gallicano seu de divinorum Officiorum origine et progressu in ecclesiis Gallicanis. Lutetiae* 1685. 4. 1729. 4. (*Continet tres codices Thomasianos*) — I. Mabillon *Museum Italicum Tom. I. P.* 2. *p.* 273—397. *Inest novus et optimus codex Sacramentarii Gallicani Bobiensis.* — E. Martene *et* Urs. Durandi *Thesaurus Anecdotorum Tom. V. Paris* 1717. *fol. p.* 85—100. (*Expositio antiquae Liturgiae Gallicanae ex Cod. Ms.*) — Binterim *p.* 132—167. Augusti *p.* 291—293, Boehmer *p.* 216—220.

III. Missale *Mozarabe iussu Francisci Ximenii per Alfonsum Ortizium Canonicum Toletanum. Toleti apud Petr. Hagembach Alemannum* 1500. *Fol.* (*Liber rarissimus.*) — I. Vaseus *Chronicon Rerum Hispanicarum. Salmanticae* 1579. — Eugenio de Robles *Relacion y modo de rezó del officio Gothico Mozarabe. Toledo* 1603. 4. — E. Robles *Compendio de la vida Franc. Ximenez de Cisneros y del officio y missa Mozarabe. Toledo* 1604. 4. — Io. Pinii *Tractatus Historico-Chronologicus de Liturgia antiqua Hispanica, Gothica, Isidoriana, Mozarabica, Toletana, Mixta, praemissis Actis SS. Antwerp. Iul. Tom. VI. p.* 1—112. *Antw.* 1729. *fol.* — Io Pinii *Liturgia Mozarabica, Tractatus etc. Romae typis Hier. Mainardi* 1740. *fol.* — Io. Pinii *Liturgia antiqua Hispanica, Gothica, Isidoriana, Mozarabica, Toletana, Mixta illustrata adiectis vetustis monumentis, cum additionibus, scholiis et variantibus lectionibus ad vetustissimorum codicum fidem exactis.* 2 *voll. Romae typis Hier. Mainardi* 1746. — Henr. Florez *España Sagrada etc. con varias Dissertaciones Criticas para illustrar la Istoria ecclesiastica d' España. Tom. III. Mantuae Carpet.* 1748. *Adiecta est peculiaris Dissertatio de antiqua Missa Hispanica, liturgia officioque Mozarabum.* — Missale Mixtum *secundum regulam B. Isidori dictum Mozarabicum, praefatione notis et appendice ab* Alexandro Lesleo *S. I. ornatum. Romae* 1755. 4. — Aguirrii *Concil. Hispan. Tom. III. Romae* 1694. *p.* 258—283. — *Bibl. Max. PP. Lugduuensis Tom. XXVII. p.* 644. 645. 657—

670. *p.* 679—683. *Bibl. PP. Coloniensis Tom. XV. P. III.* — Sam. Maresii *Disputatio historico-theologica de Mozarabum Officio. Disputat. Selectae Part. II. p.* 355—368. *Groning.* 1663. 4. — Chr. W. Flügge *Bemerkungen über die Mozarabische Liturgie, in: Henke Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte. Bd. IV. S.* 115 *ff.* Binterim *p.* 86—132. Augusti *p.* 294—300. Böhmer *p.* 220—225.

ORDO ROMANUS.

I. *Sacerdos paratus cum ingreditur ad Altare facta illi debita reverentia, signat se signo crucis a fronte ad pectus et clara voce dicit:*

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde iunctis manibus ante pectus, incipit Antiphonam. Introibo ad altare Dei. *Ministri.* Ad Deum qui laetificat iuventutem meam.

Postea alternatim cum ministris dicit sequentem Psalmum.

Iudica me Deus et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti et quare tristis incedo dum affligit me inimicus.

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

ORDO AMBROSIANUS.

Praemittitur oratio secreta antequam Sacerdos procedat ad altare: itemque alia cum ad illud accedit e. g. Psalmus Miserere mei Deus. *Stans in infimo altaris gradu signat se signo crucis et dicit alternatim cum ministris sequentem Psalmum.*

Iudica me Deus et discerne causam meam de gente non sancta ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti et quare tristis incedo dum affligit me inimicus.

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

ORDO GALLICANUS.

ORDO MOZARABICUS.

Postquam Sacerdos vestes sacras induit, dicit Responsorium: Pater, peccavi in coelum et coram te. Kyrie eleïson. Pater Noster. Ab occultis meis *cum oratione* Deus, qui de indignis dignos facis.

Deinde procedit ad altare et praemissa angelica salutatione ait: In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Spiritus Sancti adsit nobis gratia. Introibo ad altare Dei.

Judica, me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

ROMANUS.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me.

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus.

S. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

S. repetit Antiphonam. Introibo ad altare Dei.

℟. Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

Signat se dicens. ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde iunctis manibus profunde inclinatus facit Confessionem.

[*In Missis Defunctorum et in Missis de tempore a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum exclusive omittitur Psalmus* Iudica me Deus *cum* Gloria Patri *et repetitione Antiphonae, sed dicto* In nomine Patris Introibo *et* Adiutorium *fit Confessio ut sequitur.*].

II. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaeli archangelo, beato Ioanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis et vobis fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere. *Percutit sibi pectus ter*

AMBROSIANUS.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me.

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus.

S. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

S. Confitemini Domino, quoniam bonus.

M. Quoniam in saecula misericordia eius.

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis et vobis fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea ma-

GALLICANUS. MOZARABICUS.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me.

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus tui et Deus meus.

S. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

M. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

S. Introibo ad altare Dei.

℟. Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. Dignare Domine die isto.

℟. Sine peccato nos custodire.

S. Confitemini Domino, quoniam bonus.

℟. Quoniam in saecula misericordia eius.

S. Ora pro nobis, Sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis et vobis fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere mea culpa, mea culpa, mea ma-

ROMANUS.

dicens mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum omnes Sanctos et vos fratres orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Ministri respondent. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.

Sacerdos dicit Amen *et erigit se.*

Deinde Ministri repetunt Confessionem: et ubi a Sacerdote dicebatur et vobis fratres et vos fratres *dicitur* tibi pater et te pater.

Postea Sacerdos iunctis manibus facit absolutionem dicens.

Misereatur vestri omnipotens Deus et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Signat se signo crucis dicens:

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et inclinatus prosequitur. ℣. Deus tu conversus vivificabis nos. ℟. Et plebs tua laetabitur in te. ℣. Ostende nobis misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

AMBROSIANUS.

xima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos et vos fratres orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Ministri respondent: Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

Deinde Ministri repetunt Confessionem.

S. Misereatur nostri omnipotens Deus et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Deus. ℟. Amen.

S. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

S. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Dicit secreto.

Rogo te, altissime Deus Sabaoth, Pater Sancte, ut pro pec-

GALLICANUS. MOZARABICUS.

xima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos et vos fratres orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Ministri respondent: Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

Deinde Ministri repetunt Confessionem.

S. Misereatur nostri omnipotens Deus et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Deus. ℟. Amen.

S. Deus tu conversus vivificabis nos. M. Et plebs tua laetabitur in te. S. Ostende nobis misericordiam tuam. M. Et salutare tuum da nobis. S. Domine exaudi orationem meam. M. Et clamor meus ad te veniat. S. Dominus vobiscum. M. Et cum spiritu tuo.

ROMANUS.

III. *Et extendens ac iungens manus clara voce dicit* Oremus *et ascendens ad altare dicit secreto:*

Aufer a nobis quaesumus, Domine, iniquitates nostras: ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde manibus iunctis super altare inclinatus dicit:

Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum *osculatur altare in medio*, quorum reliquiae hic sunt et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

(*In Missa Sollemni Celebrans antequam legat Introitum, benedicit Incensum, dicens:* Ab illo bene ✝ dicaris; in cuius honore cremaberis. Amen. *Et accepto thuribulo a Diacono incensat Altare, nihil dicens. Postea Diaconus, recepto thuribulo a Celebrante incensat illum tantum.*)

IV. *Deinde Celebrans signans se signo crucis incipit* Introitum, *e. g. in Dominica Adventus prima:*

Ad te levavi animam meam, in te confido non erubescam: neque invideant me inimici mei: etenim universi, qui te exspectant, non confundentur. *Psalmus.* Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas tuas edoce

AMBROSIANUS.

catis meis possim intercedere et adstantibus veniam peccatorum promereri ac pacificas singulorum hostias immolare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Accedens ad altare dicit:

Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Deinde legit Ingressam, *quae est veluti Introitus Romanus, sed sine Psalmo, sine Repetitione et sine* Gloriá Patri.

GALLICANUS.

MOZARABICUS.

Dicit secreto:

Aufer a nobis quaesumus Domine cunctas iniquitates nostras et spiritum superbiae et elationis, cui resistis, et reple nos spiritu timoris et da nobis cor contritum et humiliatum, quod non spernis, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Amen.

Statim accedit ad altare, facitque crucem super aram, dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Et osculato altari recitat Antiphonam de cruce: Salve crux pretiosa *cum quatuor Collectis.*

Tum demisso capite dicit:

Per gloriam nominis tui, Christe Fili Dei vivi, et per intercessionem S. Mariae virginis et B. Iacobi et omnium Sanctorum tuorum auxiliare et miserere indignis servis tuis et esto in medio nostri Deus noster, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Antiphona *cf. Mabillon Lit. Gall. p.* 36.

Deinde legit Introitum *hoc more, e. g. in Dominica Adventus prima:*

Ecce super montes pedes evangelizantis pacem, Alleluia et annuntiantis bona, Alleluia. Celebra Iuda festivitates tuas Alleluia et redde Domino vota tua Alleluia. ℣. Dominus dabit verbum evangelizantibus in virtute

ROMANUS.

me. ℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper in saecula saeculorum. Amen.

Quo finito repetitur. Ad te levavi *usque ad Psalmum.*

Hic modus repetendi Introitum servatur per totum annum. Omittitur tamen Gloria Patri *in Missis de tempore a Dominica Passionis usque ad Pascha.*

V. *Introitu finito alternatim cum ministris dicit:*

Kyrie eleïson. Kyrie eleïson. Kyrie eleïson. Christe eleïson. Christe eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Kyrie eleïson. Kyrie eleïson.

VI. *Postea in medio altaris extendens et iungens manus caputque aliquantulum inclinans dicit si dicendum est et prosequitur iunctis manibus:*

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te (*inclinat caput*). Glorificamus te. Gratias agimus tibi (*inclinat caput*) propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, rex coelestis, Deus Pater omnipoteus. Domine Fili, unigenite Iesu Christe (*inclinat caput*), Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram (*inclinat caput*).

AMBROSIANUS.

Ingressa finita dicit Dominus vobiscum *non se vertens ad populum.* ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequitur Oratio super populum, *una vel plures, ut officii ordo postulat. Semper sunt numero dispares, non transeuntes novem et unaquaeque Collecta habet quatuor orationes scilicet super populum, super Sindonem, super Oblatam et Postcommunionem.*

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequitur Gloria in excelsis, *si dici debet, ut in Romano.*

GALLICANUS. | MOZARABICUS.

multa. Ps. Et redde Domino vota tua. Alleluia. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in saecula saeculorum. Amen. Ps. Et redde Domino vota tua. Alleluia. Per omnia saecula saeculorum. Amen.

Kyrie eleïson. *Mabillon l. c. p.* 37.

Gloria in excelsis Deo *cf. Mabillon l. c. p.* 37.

Extra Adventum et Quadragesimam dicitur Gloria in excelsis, *cuius loco Dominica ante S. Ioannis Baptistae Nativitatem dicitur canticum* Benedictus.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

ROMANUS.

Qui sedes ad dextram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus altissimus, Iesu Christe (*inclinat caput*). Cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Sic dicitur Gloria in excelsis etiam in Missis beatae Mariae, quando dicenda est. Reticetur in Missis de tempore inter Adventum, a Septuagesima usque ad Pascha, exceptis Feria Vta in Coena Domini et Sabbato sancto, in plurimis Vigiliis, in Missis Defunctorum, in plurimis Missis votivis, in feriali Officio etc.

VII. *Hymno angelico finito osculatur Altare in medio et versus ad populum dicit:*

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Postea dicit Oremus *et* Orationes *unam aut plures, ut ordo Officii postulat.*

VIII. *Sequitur* Epistola, *qua finita a ministris respondetur* Deo gratias. *Si desumpta est ex Actibus apostolorum, incipit:* In diebus illis, *ex epistolis:* Fratres, *si ex epistolis Pauli pastoralibus* Carissime etc. *Interdum, ut in*

AMBROSIANUS.

Dein Kyrie eleïson, Kyrie eleïson, Kyrie eleïson.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequitur Lectio prophetica, *olim omnibus missis assignata, nunc tamen in Missis de Quadragesima, de sanctissimo Sacramento et in Missis post Pentecosten. In festis Paschae, Ascensionis et Pentecostes praemittitur Lectio ex Actibus Apostolorum.*

Sequitur Psalmulus *sive* Psalmellus.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tno.

Legitur Epistola.

GALLICANUS.

Praefatio *i. e. Populi admonitio a Sacerdote facta ad diem pie exigendum. Ita in Missa St. Stephani:* Venerabilem atque sublimem beatissimi protomartyris Stephani passionem hodie celebrantes, Deum martyrum fratres carissimi deprecamur etc. *Ubique desinit* Per Dominum nostrum Iesum Christum. *cf. Mabillon l. c. p.* 37.

Lectio prophetica *cf. Mabillon l. c. p.* 37. 38.

Psalmus responsorius *Mabillon l. c. p.* 38.

Diaconus: Silentium facite. *Sequitur* Epistola.

MOZARABICUS.

Oratio, *ante quam non dicitur* Oremus, *nec in fine* Per Dominum nostrum, *sed tantum respondetur* Amen.

Recitata oratione progreditur ad medium altaris dicens: Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus et vivis et omnia regis in saecula saeculorum. ℞. Amen.

Postea stans in medio sine conversione ad populum dicit:
Dominus sit semper vobiscum.
℞. Et cum spiritu tuo.

Lectio e. g. libri Isaiae Prophetae. ℞. Deo gratias. *In fine dicitur* Amen.

Dominus sit semper vobiscum.
℞. Et cum spiritu tuo.

Psalterium v. c. *in Nativitate Domini:* Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. ℣. Pete a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem terminos terrae. *Praecentor.* Ego hodie genui te.

Diaconus: Silentium facite.

Sequentia Epistolae Pauli ad Romanos. ℞. Deo gratias. *In fine dicitur* Amen.

ROMANUS.	AMBROSIANUS.
feriis Quatuor Temporum leguntur ante Epistolam plures lectiones, praecipue e vetere testamento, orationibus seiunctae.	
IX. *Post Epistolam dicitur* Graduale, *post Graduale dicuntur duo* Alleluia, *deinde* Versus *et post Versum unum* Alleluia *e. g. in festivitate S. Augustini:*	*Sequitur post Epistolam* Alleluia *et* Versus, *vel cantus sine Alleluia pro ratione temporis.*

Os iusti meditabitur sapientiam et lingua eius loquitur Iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius et non supplantabuntur gressus eius. Alleluia, Alleluia, Versus. Inveni David, servum meum: oleo sancto meo unxi eum. Alleluia.

Tempore Paschali saepe non dicitur Graduale, sed duo dicuntur Versus v. c. in Dominica secunda post Pascha:

Alleluia, Alleluia. ℣. Cognoverunt discipuli Dominum Iesum in fractione Panis. Alleluia. ℣. Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas et cognoscunt me meae. Alleluia.

A Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum non dicitur Alleluia, *neque dicitur in Missis de Feriis inter Adventum etc. Tempore Quadragesimali eius loco dicitur* Tractus *hoc modo:*

Domine non secundum peccata nostra, quae fecimus nos: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiae tuae:

GALLICANUS. | MOZARABICUS.

In festis Sanctorum praecedit lectionem Epistolae lectio passionis seu vitae Sanctorum, quorum festa recolebantur. Mabillon l.c. p. 39. *Habet igitur vetus Lectionarium Gallicanum in festo Sanctorum Petri et Pauli Passionem sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. Damus, quae in calce posita sunt.* Et comprehenderunt eos in loco, qui dicitur Catacumbas, via Appia, miliario tertio et ibi sunt custodita corpora anno uno et mensibus septem, quousque fabricarentur loca, in quibus fuerunt posita corpora eorum: et ibi revocata sunt cum gloria et hymnorum cantica et posita sancti Petri in Vaticano, via Neumacia, et sancti Pauli in via Ostiensi ab urbe Roma miliario secundo: ubi praestantur beneficia Christi per orationem eorum in saecula saeculorum. *Alii putant non in Missa, sed in Officio matutino tales historias locum habuisse, at conferas p.* 27.

ROMANUS.	AMBROSIANUS.
quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuva nos, Deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. *Supradictus Tractus a Feria quarta Cinerum dicitur Feria secunda, quarta, sexta usque ad Fer. IV. maioris hebdomadae, nisi proprius assignetur.*	
In Resurrectione Domini dicitur post Graduale Sequentia Victimae Paschali, *in Pentecoste:* Veni, sancte spiritus, *in festo Corporis Christi:* Lauda Sion Salvatorem, *in Missa Defunctorum:* Dies irae dies illa.	
IX. [*His finitis si est Missa sollemnis, Diaconus deponit librum Evangeliorum super medium Altaris et Celebrans benedicit incensum ut supra: deinde Diaconus genuflexus ante Altare manibus iunctis dicit:*	
Munda cor meum ac labia mea omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum.	Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.
Postea accipit librum de altari et rursus genuflexus petit benedictionem a Sacerdote dicens: Iube Domine benedicere.	
Sacerdos respondet: Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis: ut digne et competenter anun-	Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Petit Diaconus benedictionem.

Dominus sit semper vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

ROMANUS.

ties Evangelium suum: In nomine Patris et Filii ✝ et Spiritus Sancti. Amen.

Et accepta benedictione osculatur manum Celebrantis et cum aliis ministris, incenso et luminibus, accedens ad locum Evangelii, stans iunctis manibus, dicit: Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo. *Et pronuntians:* Sequentiae sancti Evangelii secundum N. *sive* Initium *pollice dextrae manus signat librum in principio Evangelii, quod est lecturus, deinde se ipsum in fronte, ore et pectore et dum ministri respondent* Gloria tibi Domine, *incensat ter librum, postea prosequitur Evangelium iunctis manibus: Quo finito Subdiaconus defert librum Sacerdoti, qui osculatur Evangelium dicens:* Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta. *Deinde Sacerdos incensatur a Diacono.*]

Si vero Sacerdos sine Diacono et Subdiacono celebrat, delato libro ad aliud cornu Altaris, inclinatus in medio iunctis manibus dicit: Munda cor meum *ut supra et* Iube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis: ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen. *Deinde conversus ad librum iunctis manibus dicit:* Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo, *et pronuntians* Initium *sive* Sequentia sancti Evangelii etc. *signat librum et se in*

AMBROSIANUS.

Signans se in fronte, ore et pectore ait:

Lectio Sancti Evangelii secundum N. ℟. Gloria tibi, Domine.

Deinde inclinans versus crucem petit benedictionem, quae est similis Romanae: tum legit Evangelium.

Finito Evangelio dicit: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleïson, Kyrie eleïson, Kyrie eleïson.

GALLICANUS.

Diaconus procedit ad ambonem ad legendum E v a n g e l i u m.

MOZARABICUS.

Lectio Sancti Evangelii secundum N. ℟. Gloria tibi Domine.

In fine respondetur Amen.

Finito Evangelio dicit: Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde dicitur L a u s *vel* L a u d e s v. c. in Nativitate Domini:

ROMANUS.

fronte, ore et pectore et legit Evangelium, ut dictum est. Quo finito respondet Minister Laus tibi Christe *et Sacerdos osculatur Evangelium dicens:* Per Evangelica dicta etc. *ut supra.*

In Missis Defunctorum dicitur Munda cor meum, *sed non petitur benedictio, non deferuntur luminaria nec Celebrans osculatur librum.*

X. *Deinde ad medium Altaris extendens, elevans et iungens manus, dicit si dicendum est* Credo in unum Deum *et prosequitur iunctis manibus. Dicitur autem Symbolum in omnibus Dominicis per annum, in omnibus festis Christi et Mariae, in festis Apostolorum et Evangelistarum ac Doctorum ecclesiae, in omnibus festis duplicibus primae classis etc.*

Credo in unum Deum (*caput cruci inclinat*), Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum (*caput cruci inclinat*) Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. (*Quae asteriscis signata sunt, dicit genuflexus.*) * Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine et homo factus est. * Crucifixus etiam pro nobis sub

AMBROSIANUS.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Et dicitur Antiphona post Evangelium, *singulis Officiis propria.*

Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Pacem habete.
℟. Ad te Domine.

Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Et dicitur clara voce Oratio super Sindonem *i. e. linteum tegmen, quo modo Altare coopertum est.*

Nunc fit (saltem in ecclesia Cathedrali Mediolanensi) ex antiquo more Oblatio panis et vini. Cf. Muratorii Antiquit. Ital. m. a. T. IV. p. 854*: Egregium sane remotae antiquitatis pignus ac vestigium ad haec usque tempora servatum. Nimirum alit eadem ecclesia decem senes laicos (Vecchioni nunc appel-*

GALLICANUS.

Diaconus sacrum ministerium seu supellectilem sacram i. e. calicem et cetera vasa sacra ex sacrario afferebat. Tunc fiebat oblatio panis et vini ad sacrificium. Facta oblatione Presbyter quantum satis erat ad sacrificium assumebat idque palla seu pallio contegebat. Mabillon l. c. p. 39 *sqq.*

MOZARABICUS.

Alleluia. Redemptionem misit Dominus populo suo, mandavit in aeternum testamentum suum: sanctum et terribile nomen eius. Alleluia.

Dum cantatur Evangelium, defertur Missale Offerentium, *in quo Missa proprie sic dicta continetur, ad cornu Epistolae.*

Interim quando Chorus dicit Alleluia, offert Sacerdos hostiam cum calice et cum orationibus, quae sequuntur.

Acceptabilis sit Maiestati tuae, omnipotens aeterne Deus, haec oblatio, quam tibi offerimus pro reatibus et facinoribus nostris, et pro stabilitate sanctae catholicae et apostolicae fidei cultoribus per Christum Dominum nostrum. In nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus sancti. Amen. *Demittendo patenam super corporales pallas. Deinde accipiat calicem sanctificando sic:* In nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Offerimus tibi Domine calicem ad benedicendum sanguinem Christi Filii tui, deprecamurque clementiam tuam, ut ante conspectum divinae Maiestatis tuae cum odore suavitatis ascendat. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

ROMANUS.

Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur (*caput cruci inclinat*) et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. *Signat se signo crucis a fronte ad pectus.*

XI. *Deinde osculatur Altare et versus ad Populum dicit:*

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Postea dicit Oremus *et* Offertorium, *singulis Officiis proprium, e. g. in Festivitate Corporis Christi:*

Sacerdotes Domini incensum et panes offerunt Deo: et ideo sancti erunt Deo suo et non polluent nomen eius. Alleluia.

XII. *Dicto Offertorio, si est Missa sollemnis, Diaconus porrigit Celebranti patenam cum hostia: si privata, Sacerdos ipse accipit patenam cum Hostia, quam offerens dicit:*

Suscipe sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indi-

AMBROSIANUS.

lantur) totidemque anus: quorum munus est quibusdam sollemnibus sacris interesse. Honesto ac antiquo vestium genere utuntur et quum tempus Offertorii poscit ex iis duo mares fanonibus h. e. mappis candidis apte involuti accedunt ad gradus presbyterii (Beroldus tamen auctor est eos intrasse chorum) et dextera Oblatas, sinistra amulas cum vino tenent, quas sacerdos illuc ab altari una cum ministris descendens et duo vasa deaurata deferens suscipit. Idem subinde peragunt et feminae duae anili aetate venerandae.

Accipit Celebrans patenam cum hostia eamque offert dicens:

Suscipe clementissime Pater hunc panem sanctum, ut fiat Unigeniti tui Corpus, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Tunc infundit aquam in calicem dicens:

De latere Christi exivit sanguis et aqua pariter. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Dein offert Calicem dicens:

Suscipe clementissimc Pater hunc calicem, ut fiat Unigeniti tui sanguis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde iunctis manibus et inclinatus dicit:

Omnipotens, sempiterne Deus, placabilis et acceptabilis sit tibi haec oblatio, quam ego indignus pro me misero peccatore et pro delictis meis innumerabilibus tuae pietati offero, ut veniam et remis-

GALLICANUS. MOZARABICUS.

Ponat calicem super aram et accipiat filiolam (i. e. velum calicis) sine sanctificatione et ponat super calicem dicendo sic:
Hanc oblationem quaesumus Domine placatus admitte et omnium offerentium eorum, pro quibus tibi offertur, peccata indulge per Christum Dominum nostrum. Amen.

Et dicat iunctis manibus inclinando se:

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur Domine a te et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiamur hodie, ut placeat tibi Domine Deus.

Veni sancte Spiritus, sanctificator, sanctifica hoc sacrificium de manibus meis tibi praeparatum.

Hic ponat incensum in thuribulo et incenset sacrificium, si placuerit. Postea inclinet se Sacerdos in medium Altaris iunctis manibus et dicat alta voce:

Adiuvate me fratres in orationibus vestris et orate pro me ad Deum.

℞. Adiuvet te Pater et Filius et Spiritus sanctus.

Deinde dicit Chorus Sacrificium, *Antiphonam, Romano Offertorio similem et singulis officiis propriam. In Nativitate Domini:*
Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis et factus est principatus eius super humeros eius. Alleluia Alleluia.

Hic accipiat Sacerdos aquam in manibus et dicat silentio super oblationem cum tribus digitis:

ROMANUS.

gnus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis: ut mihi et illis proficiat in vitam aeternam. Amen.

Deinde faciens crucem cum eadem patena, deponit Hostiam super corporale. Diaconus ministrat vinum, Subdiaconus aquam in calice: vel si privata est Missa utrumque infundit Sacerdos et aquam miscendam in calice benedicit † dicens:

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per huius aquae et vini mysterium eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Iesus Christus, Filius tuus Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus: per omnia saecula saeculorum. Amen.

In Missis pro Defunctis dicitur praedicta Oratio: sed aqua non benedicitur. Postea accipit calicem et offert dicens:

Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae maiestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat.

AMBROSIANUS.

sionem peccatorum meorum mihi concedas et iniquitates meas, ne despexeris, sed sola tua misericordia mihi prosit indigno.

Tum stans manibus extensis prosequitur:

Et suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro regimine et custodia atque unitate catholicae fidei et pro veneratione quoque beatae Dei genitricis Mariae omniumque simul Sanctorum tuorum: et pro salute et incolumitate famulorum famularumque tuarum et omnium, pro quibus clementiam tuam implorare polliciti sumus et quorum quarumque eleemosynas suscepimus: et omnium fidelium Christianorum tam vivorum quam defunctorum: ut te miserante remissionem omnium peccatorum et aeternae beatitudinis praemia in tuis laudibus fideliter perseverando percipere mereantur ad gloriam et honorem nominis tui, Deus misericordissime rerum Conditor. Per Christum Dominum nostrum.

Diebus Dominicis et in festis Sanctorum dicit aliam Orationem similis argumenti.

Deinde manus expansas tenens super Oblata ait:

Et suscipe. Sancta Trinitas hanc oblationem pro emundatione mea, ut mundes et purges me ab universis peccatorum maculis, quatenus tibi digne ministrare merear Deus et clementissime Domine.

GALLICANUS. MOZARABICUS.

In nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Inclinat se ante Altare et dicat in silentio istam orationem.

Accedam ad te in humilitate spiritus mei, loquar ad te, quia multam spem et fortitudinem dedisti mihi. Tu ergo fili David, qui revelatus mysterio ad nos in carnem venisti, clave crucis tuae secreta cordis mei adaperi, mittens unum de Seraphin, qui candenti carbone illo, qui de Altari tuo sublatus est, sordentia labia mea emundet, mentem enubilet, docendi materiam subministret: ut lingua, quae proximorum utilitati per caritatem servit, ne erroris insonet casum, sed veritatis resultet sine fine praeconium, per te Deus meus, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Hucusque Missa Catechumenorum. Incipit Missa proprie sic dicta:

Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Dicit Orationem officio diei convenientem satis prolixam (ut est Mozarabum) quae κατ' ἐξοχήν dicitur Oratio Missae. *Respondetur* Amen.

Dicat Presbyter. Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus et vivis et omnia regis in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter elevans manus: Oremus. *Respondet Chorus:* Agios, Agios, Agios Domine Deus, rex aeterne, tibi laudes et gratias.

ROMANUS.

XIII. *Deinde facit signum crucis cum calice et illum ponit super corporale et palla cooperit: tum iunctis manibus super Altare aliquantulum inclinatus dicat:*

In spiritu humilitatis et in animô contrito suscipiamur a te Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.

Erectus expandit manus easque in altum porrectas iungens, elevatis ad coelum oculis et statim demissis dicit:

Veni sanctificator omnipotens, aeterne Deus *benedicit oblata prosequendo* et bene ✠ dic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

XIV. *Postea si sollemniter celebrat, benedicit incensum dicens:*

Per intercessionem beati Michaelis archangeli stantis a dexteris Altaris incensi et omnium electorum suorum incensum istud dignetur Dominus bene ✠ dicere et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Et accepto thuribulo a Diacono incensat oblata dicens:

Incensum istud a te benedictum ascendat ad te Domine et descendat super nos misericordia tua.

Deinde incensat Altare dicens:

Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domine

AMBROSIANUS.

Postea benedicit Oblata his verbis:

Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti copiosa de coelis descendat super hanc nostram oblationem et accepta tibi sit haec oblatio Domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, misericordissime rerum conditor. Amen.

Dicitur Offerenda.

Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

GALLICANUS.

Composita oblatione in Altari dicit:

Veni sanctificator omnipotens, aeterne Deus et benedic hoc sacrificium tuo nomini praeparatum Per Christum Dominum nostrum.. *Mabillon l. c. p.* 43.

Mabillon l. c. p. 43. *Post Oblationem Diptycha legebantur, i. e. recitabantur nomina tam Sanctorum, in quorum memoriam sacrificium Deo offerebatur, quam viventium, atque defunctorum, pro quibus offerebatur. — — Formam horum Diptychorum, quae quondam in parthenone S. Aureliani episcopi Arelatensis in usu erant, nobis suppeditat Codex Regularum, ubi ad finem Regulae Aurelianae haec leguntur:*

Simulque precantes oramus etiam, Domine, pro animabus famulorum tuorum, Patrum atque institutorum quondam nostrorum, Aureliani, Petri, Florentini,

MOZARABICUS.

Postea dicat Presbyter: Ecclesiam sanctam catholicam in orationibus in mente habeamus, ut eam Dominus fide et spe et caritate propitius ampliare dignetur. Omnes lapsos, captivos, infirmos atque peregrinos in mente habeamus: ut eos Dominus propitius redimere, sanare et confortare dignetur. *Respondet Chorus:* Praesta aeterne omnipotens Deus.

Dicat Presbyter etiam. Orationem officio diei convenientem. ℟. Amen.

Dicit Presbyter: Per misericordiam tuam Deus noster, in cuius conspectu sanctorum Apostolorum et Martyrum, Confessorum atque Virginum nomina recitantur. ℟. Amen.

Dicat Presbyter:

Offerunt Deo Domino oblationem sacerdotes nostri, Papa Romensis et reliqui pro se et pro omni Clero ac plebibus ecclesiae sibimet consignatis vel pro universa fraternitate. Item offerunt universi Presbyteri, Diaconi, Clerici ac populi circumstantes in honorem Sanctorum pro se et suis. *Chorus.* Offerunt pro se et pro universa fraternitate.

Dicat Sacerdos:

Facientes commemorationem beatissimorum Apostolorum et Martyrum, gloriosae sanctae

ROMANUS.

custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiae ad excusationes in peccatis.

Dum reddit thuribulum Diacono dicit:

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae caritatis. Amen.

Postea incensatur Sacerdos a Diacono, deinde alii per ordinem.

XV. *Interim Sacerdos lavat manus dicens:*

Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo Altare tuum Domine.

Ut audiam voces laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

Domine dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te Domine.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

In Missis pro Defunctis et tempore Passionis in Missis de tempore omittitur Gloria Patri.

AMBROSIANUS.

Nunc dicitur Credo *si dicendum est, praecipue diebus dominicis ac festivis.*

GALLICANUS.

Redempti, Constantini, Himiteri, Hilarini, Ianuarii, Reparati, Childeberti, Voltrogotae, vel omnium fratrum nostrorum, quos de hoc loco ad te vocare dignatus es. Cunctorumque etiam huius loci memores Fidelium, pariterque parentum nostrorum atque servientium huius loci: et pro animabus omnium Fidelium famulorum ac peregrinorum in pace ecclesiae defunctorum: ut eis tu, Domine Deus noster, peccatorum tribuas veniam et requiem largiaris aeternam: meritis et intercessionibus Sanctorum tuorum, Mariae genitricis Domini nostri Iesu Christi, Stephani, Petri, Pauli, Ioannis, Iacobi, Andreae, Philippi, Thomae, Bartholomaei, Matthaei, Iacobi, Simonis, Iudae, Mathiae, Genesii, Symphoriani, Bandilii, Victoris, Hilarii Episcopi et Confessoris, Martini Episcopi et Confessoris, Caesarii Episcopi, haec propitius praestare et exaudire digneris, qui vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus in saecula saeculorum. Amen.

Collectio post Nomina.

MOZARABICUS.

Mariae virginis, Zachariae, Ioannis, Infantum, Petri, Pauli, Ioannis, Iacobi, Andreae, Philippi, Thomae, Bartholomaei, Matthaei, Iacobi, Simonis et Iudae, Matthiae, Marci et Lucae. *Chorus*. Et omnium Martyrum.

Dicat Sacerdos:

Item pro spiritibus pausantium, Hilarii, Athanasii, Martini, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Leandri, Ysidori, David, Iuliani, item Iuliani, Petri, item Petri, Ioannis, Servi Dei, Visitani, Viventi, Felicis, Cypriani, Vincentii, Gerontii, Zachariae, Cenapali, Dominici, Iusti, Saturnini, Salvati, item Salvati, Bernardi, Reimundi, Ioannis, Celebruni, Gundisalvi, Martini, Roderici, Ioannis, Guterii, Sancii, Dominici, Iuliani, Philippi, Stephani, Ioannis, item Ioannis, Felicis. *Chorus*. Et omnium pausantium.

Recitatur Collectio post Nomina *officio diei conveniens.*

Dicat Presbyter: Quia tu es vita vivorum, sanitas infirmorum ac requies omnium fidelium defunctorum in aeterna saecula saeculorum. ℟. Amen.

ROMANUS.

XVI. *Deinde aliquantulum inclinatus in medio Altaris iunctis manibus super eo dicit:*

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ad memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Iesu Christi Domini nostri: et in honore beatae Mariae semper virginis et beati Ioannis Baptistae et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et istorum et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea osculatur Altare et versus ad populum extendens et iungens manus voce paululum elevata dicit:

Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Minister seu circumstantes respondent: alioquin ipsemet Sacerdos:

Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis (meis) ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque ecclesiae suae sanctae. *Sacerdos submissa voce dicit:* Amen.

Deinde manibus extensis absolute sine Oremus *subiungit* Orationes Secretas *vel* Secretam *si una dicenda est*, *v. c.* in Ascensione Domini: Suscipe Do-

AMBROSIANUS.

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Dicit clara voce unam vel plure Orationes super Oblata *Secretis Romanis similes v. c.* in Ascensione Domini: Sacrificium Domine pro Filii tui supplice

GALLICANUS.	MOZARABICUS.
Oratio ad Pacem.	*Dicitur a sacerdote* Oratio ad Pacem, *officio diei conveniens.*

Hac finita dicat Presbyter: Quia tu es vera pax nostra et caritas indisrupta, vivis tecum et regnas cum Spiritu sancto unus Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Dicat Presbyter elevatis manibus in coelum:

Gratia Dei Patris omnipotentis, pax ac dilectio Domini nostri Iesu Christi et communicatio Spiritus sancti sit semper cum omnibus nobis. ℟. Et cum omnibus bonae voluntatis.

Dicat Presbyter: Quomodo adstatis pacem facite. ℟. Pacem meam do vobis, pacem meam commendo vobis; non sicut mundus dat pacem do vobis. Novum mandatum do vobis, ut diligatis invicem. *Reiteratur:* Pacem meam do vobis. ℣. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto in saecula saeculorum. *Reiteratur:* Pacem meam.

Interim quando Chorus dicit Pacem meam *accipiat Sacerdos panem de patena dicendo sic:* Habete osculum dilectionis et pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. *Et statim dat panem Diacono vel puero et puer populo. Postea inclinet se Sacerdos iunctis manibus et dicat:* Introibo ad altare Dei. ℟. Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam. *Presbyter manum ponat super calicem et dicat:*

ROMANUS.

mine munera, quae pro Filii tui gloriosa Ascensione deferimus: et concede propitius, ut a praesentibus periculis liberemur et ad vitam perveniamus aeternam. Per eundem.

XVII. *Orationibus Secretis finitis cum pervenerit ad conclusionem clara voce dicit:*

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et iustum est.

Recitatur a Sacerdote Praefatio *e. g. in Nativitate Domini.*

Vere dignum et iustum est aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Quia per incarnati verbi mysterium, nova mentis nostrae lux tuae claritatis infulsit: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Et ideo cum Angelis atque Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus sine fine dicentes:

AMBROSIANUS.

venerabili nunc Ascensione deferimus: praesta quaesumus, ut et nos per ipsum his commerciis sacrosanctis ad coelestia consurgamus. Per eundem.

Praefatio, *singulis feriis et festis propria, alias Romano ritui conformis.*

Praefatio de Nativitate Ambrosiana convenit cum Romanu: damus aliam in Epiphania Domini:

Vere dignum etc. aeterne Deus. Qui te nobis super Iordanis alveum de coelis in voce tonitrui praebuisti, ut salvatorem coeli demonstrares, ut te patrem luminis aeterni ostenderes coelos aperuisti, aerem benedixisti, fontem purificasti et tecum unicum filium per speciem columbae sancto Spiritu declarasti. Susceperunt hodie fontes benedictionem tuam et abstulerunt maledictionem nostram, ita ut credentibus purificationem omnium delictorum exhibeant et Deo filios generando adoptive faciant ad vitam aeternam. Nam quos ad temporalem vitam carnalis nativitas fuderat, quos mors per praevaricationem ceperat, hos vita aeterna recipiens ad regni coelorum gloriam revo-

GALLICANUS.

MOZARABICUS.

Aures ad Dominum. ℟. Habemus ad Dominum. *Dicat Presbyter:* Sursum corda. ℟. Levamus ad Dominum. *Dicat Presbyter inclinando se iunctis manibus:* Deo ac Domino nostro Iesu Christo filio Dei, qui est in coelis, dignas laudes dignasque gratias referamus. *Et dicendo* Gratias referamus *elevat Sacerdos manus in altum.* ℟. Dignum et iustum est.

Contestatio, Illatio, Immolatio *respondet Praefationi Romanae. In hac Contestatione recitabatur Sancti vitae compendium, quae Missae initio integra lecta fuerat. Mabillon p. 45.*

Ita in Natali S. Laurentii:

Vere dignum et iustum est, omnipotens, sempiterne Deus tibi in tanti martyris Laurenti... laudis hostias immolare: qui hostiam viventem hodie in ipsius Levitae tui beati Laurentii martyris ministerio per florem casti corporis accepisti. Cuius vocem per hymnidicum modulum Psalmi audivimus, canentis atque dicentis: Probasti cor meum Deus et visitasti nocte, id est in tenebris saeculi: igne me examinasti et non est inventa in me iniquitas. O gloriosa certaminis virtus. O inconcussa constantia confitentis. Stridunt membra viventia super craticulam

Sequitur **Illatio**, *prolixa atque verbosa, singulis Dominicis ac festivitatibus propria. Illatio in Nativitate Domini incipit sic:*

Dignum et iustum est nos omnipotentiae et pietati tuae, quas posse donaveris laudes, clementissime Pater: quia post multa tempora in hac die ante non multa tempora, qui tibi vel sibi semper erat, nobis natus est Christus Iesus unigenitus tuus: factus est ancillae suae filius, Dominus matris suae, partus Mariae, fructus Ecclesiae, qui ab illa dicitur, ab illa suscipitur, qui per illam pusillus progreditur, per istam mirifice dilatatur. Ille salutem populis creavit, haec populos: illa vere vitam portant, haec lavacro: in illius manibus Christus infusus est, in istius aquis Christus indutus est. Per illam qui erat nascitur: per istam qui perierat, inve-

ROMANUS.	AMBROSIANUS.
	cavit. Per eundem Christum Dominum nostrum.
Praefatione finita iungit Sacerdos manus et inclinatus dicit:	
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.	Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli et terra gloria tua.	Pleni sunt coeli et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.	Hosanna in excelsis.
Benedictus, qui venit in nomine Domini. *Hic signum crucis sibi producit a fronte in pectus.*	Benedictus, qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.	Hosanna in excelsis.

GALLICANUS.

imposita: et prunis saevientibus anhelantes, incensum suum in modum thymiamatis divinis naribus exhibent odorem. Dicit enim martyr ipse cum Paulo: Christi bonus odor sumus Deo. Non enim cogitabat quomodo in terra positus a passionis periculo liberaretur: sed quomodo inter martyres in coelis coronaretur. Per Christum Dominum nostrum, per quem etc.

Sanctus, Sanctus, Sanctus *decantatur. Docet Canon Concilii Vasensis secundi tertius, antehac non in omnibus Missis cantatum esse Trisagion. p.* 31.

MOZARABICUS.

nitur. In illa Redemptione gentium vivificatur: in ista gentes vivificantur. Per illam venit ut peccata tolleret: per istam tulit peccata, propter quae venit. Per illam nos ploravit, per istam nos curavit etc. *Explicit ita:* Unde nunc a dexteris eius felici et gloriosa perennitate consistens, eum tecum omnipotens Pater et cum sancto Spiritu regnantem cum omnibus Angelis confitendo conlaudat et dicit:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Domine Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra gloria maiestatis tuae.

Osanna filio David, Osanna in excelsis.

Benedictus, qui venit in nomine Domini. Osanna in excelsis.

Agios, Agios, Agios Kyrie O theos.

Post Sanctus *recitat Sacerdos brevem orationem officio diei convenientem e. g. in Nativitate Domini:* Vere sanctus, vere benedictus Dominus noster Iesus Christus, qui venit e coelis, ut conversaretur in terris: caro factus est, ut habitaret in nobis Christus Dominus ac redemptor aeternus

ROMANUS.

Incipit Canon.

XVIII. *Sacerdos extendens et iungens manus elevans ad coelum oculos et statim demittens, profunde inclinatus ante Altare, manibus super eo positis dicit:*

Te igitur clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus *osculatur Altare* uti accepta habeas et benedicas *iungit manus, deinde signat ter super Oblata* haec ✝ dona, haec ✝ munera, haec ✝ sancta sacrificia illibata *Extensis manibus prosequitur* in primis, quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta Catholica: quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

XIX. Commemoratio pro vivis. Memento Domine famulorum famularumque N. et N. *Iungit manus, orat aliquantulum, pro quibus orare intendit: deinde manibus extensis prosequitur.* Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus: pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae: tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

AMBROSIANUS.

Incipit Canon.

Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata: Imprimis quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. et Rege nostro N. et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Commemoratio pro vivis. Memento Domine famulorum famularumque tuarum et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus: pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae tibique reddunt vota sua, aeterno Deo vivo et vero.

GALLICANUS.

Incipit Canon.

Mabillon l. c. p. 46. *Canon Missae varius est in Missalibus Gallicanis pro diversitate Missarum. In Missali Gallico seu Gallicano ad Vigiliam Nativitatis Domini haec leguntur:*

Vere sanctus, vere benedictus Dominus noster Iesus Christus filius tuus, manens in coelis, manifestatus in terris. Ipse enim pridie quam pateretur etc. *quae sunt prima verba sacrae actionis seu Consecrationis. Omnes eiusmodi Canones breves sunt fere ad hunc modum in Missali Gothico-Gallicano, itemque in subsequente veteri Gallicano. At in Missali Francorum Canon Gregorianus assignatur, tametsi aliae Missae partes ritum veterem Gallicanum retinent. Item in Codice Bobiensi Canon exstat Romanus, nam ut recte adnotat Mabillon Gallicani prius Canonem Romanum quam integrum Missae ritum Romanum susceperunt.*

In Te igitur *et* Memento Domine *libri nominati hanc exhibent scripturae varietatem:*

Et petimus. Missale. Francorum et Bobiensis. acceptum B. totum orbem terrarum B. una cum famulo etc. *usque ad* antistitem *desunt in* F. devotissimo famulo papa nostro sedis apostolicae. B. et apostolicae *desunt in* B. circumadstantium B. F. pro quibus tibi offerimus

MOZARABICUS.

Incipit Canon.

Deinde dicat Presbyter in silentio iunctis manibus inclinando se ante altare hanc orationem:

Adesto, adesto Iesu bone pontifex in medio nostri, sicut fuisti in medio discipulorum tuorum: sancti ✝ fica hanc oblationem ✝ ut sanctificata ✝ sumamus per manus sancti Angeli tui, sancte Domine ac redemptor aeterne. *Proxime sequitur Formula Consecrationis, quam infra apponimus formulae Romanae et Ambrosianae.*

ROMANUS.

Infra actionem.

XX. Communicantes et memoriam venerantes inprimis gloriosae semper virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Iacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Ioannis et Pauli, Cosmae et Damiani: et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. *Iungit manus.* Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

In Nativitate, Epiphania, Resurrectione et Ascensione Domini, item die Pentecostes paucula exordio interseruntur e. g. in Nativitate: et diem (noctem) sacratissimum celebrantes, quo beatae Mariae intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem. Sed et.

XXI. *Tenens manus expansas super oblata dicit:*

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae quaesumus Domine, ut placatus accipias: diesque nostros in tua pace disponas atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum iubeas grege numerari. *Iungit manus.* Per Christum Dominum nostrum. Amen.

AMBROSIANUS.

Infra actionem.

Communicantes et memoriam venerantes inprimis gloriosae semper virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Iacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Xysti, Laurentii, Hippolyti, Vincentii, Cornelii, Cypriani, Clementis, Chrysogoni, Ioannis et Pauli, Cosmae et Damiani, Apollinaris, Vitalis, Nazarii et Celsi, Protasii et Gervasii: et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Eundem morem servant Ambrosiani.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae quaesumus Domine, ut placatus accipias diesque nostros in tua pace disponas atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

GALLICANUS.

MOZARABICUS.

desunt in B. et F. tibi reddunt B. F.

sed et BF. beatissimorum BF, PetriPauliBF. Ancleti F. Hilarii, Martini F. Hilarii, Martini, Augustini. Gregorii, Hieronymi, Benedicti et o. s. t. qui per universum mundum passi sunt propter nomen tuum seu confessoribus. B. Per Christum BF.

Codex Bobiensis duplicem habet huius orationis in fronte varietatem, in Nativitate et in Resurrectione Domini e. g. diem sacratissimum celebrantes in quo incontaminata virginitas huic mundo edidit Salvatorem Iesum Christum Dominum nostrum, sed et.

tuae quam tibi offerimus in honore Domini beati Martyris tui ill. et pro peccatis atque offensionibus nostris; ut omnium delictorum nostrorum remissionem consequi mereamur quaesumus. F. tuae quam tibi offerimus in ho-

ROMANUS.

In Festivitatibus Paschatis et Pentecostes haec oratio incipit: — — tuae quam offerimus pro tuis quoque quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem peccatorum quaesumus etc.

XXI. Quam oblationem tu Deus in omnibus quaesumus *Signat ter super oblata* bene ✠ dictam, adscri ✠ ptam, ra ✠ tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris *Signat semel super Hostiam et semel super Calicem* tu nobis Cor ✠ pus et San ✠ guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi.

XXIII. Qui pridie quam pateretur *Accipit Hostiam* accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas *Elevat oculos ad coelum* et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens *Signat super Hostiam* bene ✠ dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes.

Tenens ambabus manibus Hostiam inter indices et pollices, profert verba consecrationis secrete, distincte et attente:

Hoc est enim Corpus meum.

Prolatis verbis Consecrationis statim Hostiam consecratam genuflexus adorat: surgit, ostendit populo, reponit super Corporale, iterum adorat: et non disiungit pollices et indices nisi quando Hostia

AMBROSIANUS.

Similiter Ambrosiani, qui tamen in paschali officio prolixiores preces pro baptizatis orationi in fine adnectunt.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quaesumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi.

Priusquam dicat **Qui pridie** *accedit Sacerdos ad cornu epistolae et summitates digitorum lavat et extergit nihil dicens.*

Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens benedixit, fregit deditque discipulis suis, dicens Accipite et manducate ex hoc omnes.

Hoc est enim Corpus meum

vel ut est in textu Pamelii:

Hoc est enim Corpus meum quod pro vobis confringetur

Simili modo postquam coenatum est accipiens et hunc prae

GALLICANUS.	MOZARABICUS.
	Et dicunt omnes Symbolum, bini ac bini videlicet: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium conditorem. Et in in unum Dominum nostrum Iesum Christum, filium Dei unigenitum et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, Omoousion Patri, hoc est eiusdem cum
Aspicere BF. dignare BF. acceptum sicuti acceptum BF.	Patre substantiae, per quem omnia facta sunt, quae in coelo et quae in terra: qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine et homo factus est. Passus sub Pontio Pilato, sepultus, tertia die resurrexit, ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare vivos et mortuos,
Rogamus et petimus F. iube perferri F. sublimi altari tuo. F. ex hoc altari sanctificationis F. Per Christum BF.	cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, vivificatorem et ex Patre et Filio procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum: qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Exspectans Resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen. *Interim Sacerdos frangit hostiam per medium in duas partes et accepta una parte facit ex ea*

ROMANUS.

tractanda est, usque ad ablutionem digitorum. Tunc detecto Calice dicit:

Simili modo postquam coenatum est *ambabus manibus accipit Calicem* accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas item tibi gratias agens *Sinistra tenens Calicem dextra signat super eum* bene ✝ dixit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes.

Profert verba Consecrationis secrete super Calicem tenens illum parum elevatum.

Hic est enim Calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Prolatis verbis Consecrationis deponit Calicem super Corporale et dicens secrete:

Haec quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis.

Genuflexus adorat, surgit, ostendit populo, deponit, cooperit et iterum adorat.

XXIV. *Deinde iunctis manibus dicit:*

Unde et memores Domine nos servi tui, sed et plebs tua sancta eiusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis nec non ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis:

AMBROSIANUS.

clarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens benedixit deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes.

Hic est enim Calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

In textu Pamelii:

Hic est enim sanguis meus.

Haec quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis.

[*Ut plurimi sentiunt Textus Pamelii est antiquior ac postmodum Romanae consuetudini accommodatus. Refragatur, vetustorum codicum testimoniis innisus, I. Saxius: iam in antiquissimis membranis Romanam exstare formulam autumat. Cf. Muratorii Lit. Rom. I. p. 130 sqq. At vero in Pseudo-Ambrosio exstat formula Pamelii. Binterim l. c. p. 77.*]

Unde et memores Domine nos servi tui, sed et plebs tua sancta eiusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis:

GALLICANUS.

ex hoc F. effunditur B.

Dicitur Collectio post Mysterium s. Post Secreta *officio diei conveniens.*

Inde F. memores sumus BF.

MOZARABICUS.

Hic ✝ est calix novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Hic elevatur Calix coopertus filiola.

Quotiescunque biberitis hoc facite in meam ✝ commemorationem.

℟. Amen.

Quotiescunque manducaveritis panem hunc et calicem istum biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniet. In claritatem ✝ de coelis.

℟. Amen.

Dicitur Oratio post Pridie, *pro diversitate Missarum diversa.*

Postea dicat Presbyter:

Te praestante sancte Domine, quia tu haec omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas, sancti ✝ ficas, vivificas, ✝ bene ✝ dicis ✝ ac praestas nobis, ut sit benedicta a te Deo nostro in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Accipit Corpus Domini de patena et ponit super Calicem discoopertum et ait:

Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Dicat Presbyter: Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus. *Et elevat Corpus Christi, ut videatur a populo.*

ROMANUS.

offerimus praeclarae maiestati tuae de tuis donis ac datis *Iungit manus et signat ter super Hostiam et Calicem simul* Hostiam ✝ puram, hostiam ✝ sanctam, hostiam ✝ immaculatam *Signat semel super Hostiam et semel super Calicem* Panem ✝ sanctum vitae aeternae et Calicem ✝ salutis perpetuae.

XXV. *Extensis manibus prosequitur:* Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel et sacrificium patriarchae nostri Abrahae: et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Profunde inclinatus iunctis manibus et super Altare positis dicit:

XXVI. Supplices te rogamus omnipotens Deus: Iube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime Altare tuum in conspectu divinae maiestatis tuae, ut quotquot *Osculatur Altare* ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui *Iungit manus et signat semel super hostiam et semel super Calicem* Cor ✝ pus et San ✝ guinem sumpserimus *Se ipsum signat* omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

AMBROSIANUS.

offerimus praeclarae maiestati tuae de tuis donis ac datis Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, Panem sanctum vitae aeternae et Calicem salutis perpetuae.

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel et sacrificium patriarchae nostri Abrahae et quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus omnipotens Deus: Iube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinae maiestatis tuae, ut quotquot ex hac altaris participatione. sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

GALLICANUS.

Aspicere BF. dignare BF. acceptum sicuti acceptum BF.

Rogamus et petimus F. iube perferri F. sublimi altari tuo. F. ex hoc altari sanctificationis F. Per Christum BF.

MOZARABICUS.

t dicunt omnes Symbolum, bini ac bini videlicet:

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium conditorem. Et in in unum Dominum nostrum Iesum Christum, filium Dei unigenitum et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, Omoousion Patri, hoc est eiusdem cum Patre substantiae, per quem omnia facta sunt, quae in coelo et quae in terra: qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine et homo factus est. Passus sub Pontio Pilato, sepultus, tertia die resurrexit, ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, vivificatorem et ex Patre et Filio procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum: qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Exspectans Resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

Interim Sacerdos frangit hostiam per medium in duas partes et accepta una parte facit ex ea

ROMANUS.

Commemoratio pro Defunctis.

XXVII. Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. *Iungit manus, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit deinde extensis manibus prosequitur:* Ipsis Domine et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. *Iungit manus et caput inclinat.* Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

AMBROSIANUS.


Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

GALLICANUS.

Et eorum nomina BF. Per Christum BF.

MOZARABICUS.

quinque particulas et ponit in patena recta linea, habentque singulae proprium nomen. Accepta similiter altera parte facit ex ea quatuor particulas et eas collocat in patena, ordine hic expresso:



Statim digitos bene purgat et cooperto calice orat secreto pro Fidelibus viventibus vel facit

ROMANUS.

Manu dextera percutit sibi pectus elata parum voce dicens:

XXVIII. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis Sanctis Apostolis et Martyribus: cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia et omnibus Sanctis: intra quorum nos consortium non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte. *Iungit manus.* Per Christum Dominum nostrum.

XXIX. Per quem haec omnia Domine semper bona creas *Signatter super Hostiam et Calicem simul dicens* sancti ✝ ficas, vivi ✝ ficas, bene ✝ dicis et praestas nobis *Discooperit Calicem, genuflectit, accipit Sacramentum dextra, tenens sinistra Calicem: signat cum Hostia ter a labiis ad labium Calicis dicens:* Per ip ✝ sum et cum ip ✝ so et in ip ✝ so *bis signat inter Calicem et pectus* est tibi Deo Patri ✝ omnipotenti in unitate ✝ Spiritus sancti *elevans parum Calicem cum Hostia dicit* omnis honor et gloria. *Reponit Hostiam*

AMBROSIANUS.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus: cum Ioanne, Stephano et Andrea, Petro, Marcellino, Agnete, Caecilia, Felicitate, Perpetua, Anastasia, Agatha, Euphemia, Lucia, Apollonia, Iustina, Sabina, Thecla, Pelagia atque Catharina, et omnibus Sanctis: intra quorum nos consortium non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem haec omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria.

Frangit Hostiam dicendo: Corpus tuum frangitur Christe, calix benedicitur. Sanguis tuus sit nobis semper ad vitam et ad salvandas animas. *Et particula in Calicem missa dicit Antiphonam Officio diei congruam, quae appellatur* Confractorium.

GALLICANUS.

F. *habet solummodo initium Orationis* Nobis quoque. *Cetera desunt. Bobiensis in his discrepat:* partem aliquam societatis. — — Petro, Perpetua, Agne, Caecilia, Felicitate, Anastasia, Agathe, Lucia, Eugenia.

Binterim l. c. p. 153: *In dem im ersten Theile des Museum Italicum enthaltenen Sacramentarium Gallicanum fehlen die Orationes post mysterium, überhaupt der ganze Theil der Messe nach der Wandlung, woraus sich vermuthen lässt, dass nach Beendigung des Römischen Canons, der bei allen Messen gebraucht wurde, auch die übrigen Orationes z. B. Postcommunio etc. entweder nach Römischer Art gebetet wurden, oder bei allen Messen ebenfalls allgemein waren. Aber auch in dem Missale Gothicum fehlt bei mehreren Messen der Theil nach der Consecration. Hatte man vielleicht dafür ein anderes Buch, wie bei den Mozarabern das Missale Offerentium?*

In Gallicano quoque ritu praemittitur Orationi Dominicae Praefatio quaedam sed pro diversitate festivitatum diversa. Sic in Natali Domini: Non nostro praesumentes Pater sancte, merito, sed Domini nostri Iesu Christi obedientes imperio, audemus dicere. *Porro certum est orationem dominicam non a solo Sa-*

MOZARABICUS.

Memento pro vivis. Haec autem omnia fere complentur, dum Chorus cantat symbolum.

Tum recitat Orationem Domini praemissa brevi Praefatione, quae in singulis Missis variatur e. g. in Nativitate Domini: Quod Via ut sequeremur ostendit, quod Vita ut eloqueremur edocuit, quod Veritas ut teneremus instituit, tibi summe Pater cum tremore cordis proclamemus e terris:

Pater noster, qui es in coelis. ℟. Amen.

ROMANUS.	AMBROSIANUS.
cooperit Calicem, genuflectit, surgit et dicit:	
XXX. Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.	
Oremus. Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere: *Extendit manus.*	*Statimque subdit:* Oremus. Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere:
Pater noster, qui es in coelis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.	Pater noster, qui es in coelis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo. *Sacerdos secrete dicit* Amen.	℟. Sed libera nos a malo. *Dicit Sacerdos:* Amen.
Deinde accipit Patenam inter indicem et medios digitos et dicit:	*Dicit alta voce:*
XXXI. Libera nos quaesumus Domine ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris: et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea et omnibus Sanctis *Signat se cum Patena a fronte ad pectus et eam osculatur* da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adiuti et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi.	Libera nos quaesumus Domine ab omnibus malis, praeteritis praesentibus et futuris et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea et beato Ambrosio et omnibus Sanctis tuis da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adiuti et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.
Submittit Patenam Hostiae, discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Hostiam, frangit eam super Calicem per medium dicens:	

GALLICANUS.

sacerdote, sed etiam ab adstante populo prolatam fuisse. Cf. Mabillon l. c. p. 49.

MOZARABICUS.

Sanctificetur nomen tuum. ℟. Amen.

Adveniat regnum tuum. ℟. Amen.

Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. ℟. Amen.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. ℟. Quia Deus es.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. ℟. Amen.

Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Subiicitur Oratio varia pro diversis Missis e.g. in Nativitate Domini: Libera nos omnipotens Deus ab omni malo et custodi nos in omni opere bono, perfecta veritas et vera libertas Deus, qui regnas in saecula saeculorum. *Mabillon l. c. p.* 51.

Dicat Presbyter: Liberati a malo, confirmati semper in bono tibi servire mereamur Deo ac Domino nostro. Pone Domine finem *Hic percutiat pectus* peccatis nostris: da gaudium tribulatis, praebe redemptionem captivis, sanitatem infirmis, requiem defunctis: concede pacem et securitatem in omnibus diebus nostris. Frange audaciam inimicorum nostrorum et exaudi Deus orationes servorum tuorum omnium fidelium Christianorum in hac die et in omni tempore. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiri-

ROMANUS.

Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum. *Partem, quae in dextra est, ponit super patenam. Deinde ex parte, quae in sinistra remansit, frangit particulam dicens:* Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. *Aliam mediam partem cum ipsa sinistra ponit super patenam et dextra tenens particulam super calicem, sinistra calicem dicit:* Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Cum ipsa particula signat ter super calicem dicens:

Pax ✝ Domini sit ✝ semper vobis ✝ cum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Particulam ipsam immittit in calicem dicens secrete:

XXXII. Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Cooperit calicem, genuflectit, surgit et inclinatus Sacramento iunctis manibus et ter pectus percutiens dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.

In Missis pro Defunctis non dicitur Miserere nobis, *sed eius loco* dona eis requiem *et in tertio additur* sempiternam.

AMBROSIANUS.

Pax et communicatio Domini nostri Iesu Christi sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Offerte vobis pacem. ℟. Deo gratias.

Agnus Dei *dicitur in Missis pro defunctis tantum.*

tus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Sic faciat Presbyter: Accipiat modo particulam, quae dicitur Regnum, *de patena et ponat super calicem. In tempore Resurrectionis videlicet dicat tribus vicibus:* Vicit leo de tribu Iuda radix David Alleluia. *Respondeat Chorus qualibet vice:* Qui sedes super Cherubim Radix David Alleluia. *Et postea dicat istam orationem inter se submissa voce:*

Sancta sanctis et coniunctio corporis Domini nostri Iesu Christi sit sumentibus et potantibus nobis ad veniam et defunctis fidelibus praestetur ad requiem.

Communionem subsequentem praecedebat benedictio ab Episcopo vel Sacerdote impertita e. g. in festivitate S. Iacobi Apostoli:

Deus, qui tuos Apostolos pretiosa gentium lumina praeparasti: dum Ioannem et Iacobum ad illustrandas animas inter vasa ecclesiae candelabro fidei praetulisti. ℟. Amen.

Da plebi tuae imitari, quod unus exorando alius docendo formavit. Amen.

Fructificet in hoc populo, quod seminavit iste verbo, plantavit ille martyrio. Ut eorum interventu haec turba illius reficiatur dulcedine, supra cuius pectus carus Ioannes recubuit. ℟. Amen.

Et mittat particulam in calicem et dicat alta voce sic, si non fuerit ibi Diaconus.

Humiliate vos benedictioni.

Dominus sit semper vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Tum Benedictionem tribus distinctis petitionibus largitur, quibus singulis respondetur Amen. *Benedictio convenit cum officio diei. Sic in Nativitate Domini:*

Dominus Iesus Christus, qui olim pro nobis hodie dignatus est nasci: ipse vos sua nativitate vivificet. ℟. Amen.

Et qui infantiam sumens humanitatis vilibus indutus est pannis, coelestium nos virtutum induat vestimentis. ℟. Amen.

ROMANUS.

Deinde iunctis manibus super Altare inclinatus dicit:

XXXIII. Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiae tuae eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

In Missa sollemni, ubi danda est pax, Diaconus genua flectens et praemissa oratione finita, manibus iunctis osculatur Altare simul cum Celebrante, extra Corporale tamen, et ab eodem accipit pacem iungendo sinistram genam sinistrae Celebrantis. Dein praemissa genuflexione, comitante ad sinistram caerimoniario recedit ad chorum, ac pacem ibidem distribuit.

In Missis Defunctorum non datur pax, neque dicitur praecedens Oratio.

Deinde dicit sequentes. Orationes:

XXXIV. Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis et a te nunquam separari permittas. Qui cum

AMBROSIANUS.

Domine Iesu Christe, q
dixisti Apostolis tuis: Pace
relinquo vobis, pacem meam d
vobis: ne respicias peccata me
sed fidem ecclesiae tuae eamqu
secundum voluntatem tuam pac
ficare et coadunare digneri
Qui vivis et regnas per omn
saecula saeculorum. Amen.

Domine Iesu Christe, Fili D
vivi, qui ex voluntate Patris co
operante Spiritu Sancto per mo
tem tuam mundum vivificast
libera me per hoc sacrosanctu
Corpus et Sanguinem tuum a
omnibus iniquitatibus meis e
universis malis: et fac me tu
semper inhaerere mandatis et
te nunquam separari permitta
Qui cum eodem Deo Patre et Sp

GALLICANUS.

Quod ipse praestare digneris qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

MOZARABICUS.

Sitque vestrorum cordium interior pastus, qui in praesepio positus credentibus se voluit monstrare vescendus. ℟. Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus et vivit et omnia regit in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Dicat Chorus:

Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Alleluia, Alleluia, Alleluia. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Alleluia, Alleluia, Alleluia. Redimet Dominus animas servorum suorum et non derelinquet omnes, qui sperant in eum. Alleluia, Alleluia, Alleluia. Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto in saecula saeculorum.

ROMANUS.

eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

XXXV. Perceptio Corporis tui, Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Genuflectit, surgit et dicit:

XXXVI. Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo.

Deinde parum inclinatus accipit ambas partes Hostiae inter pollicem et indicem sinistrae manus et patenam inter eundem indicem et medium et dextra percutiens pectus elevata aliquantulum voce dicit ter devote et humiliter:

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea.

Postea dextra se signans cum Hostia super patena dicit:

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Sumit reverenter ambas partes Hostiae, iungit manus et quiescit aliquantulum in meditatione sanctissimi Sacramenti. Deinde cooperit calicem, genuflectit, colligit fragmenta si quae sint, extergit

AMBROSIANUS.

ritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed dic tantum verbo et sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Iesu Christi proficiat mihi sumenti et omnibus, pro quibus hoc sacrificium attuli ad vitam et gaudium sempiternum.

Interim Chorus cantat Gustate et videte *accipiat Presbyter etiam particulam sequentem, quae dicitur* Gloria, *et ponat super calicem et dicat cum silentio istam orationem:* Panem coelestem de mensa Domini accipiam et nomen Domini invocabo. *Et dicat Sacerdos* Memento pro Mortuis, *tenendo illam particulam ceteris maiorem super calicem et dicto* Memento *dicat istas orationes, quae sequuntur:*

Domine Deus meus, da mihi corpus et sanguinem filii tui Domini nostri Iesù Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere et tuo Sancto Spiritu repleri. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ave in aevum sanctissima caro Christi, in perpetuum summa dulcedo: panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo.

Hic faciat signum cum Hostia et sumit particulam, quam in manu habet, et cooperiat calicem et ve-

ROMANUS.	AMBROSIANUS.
patenam super calicem interim dicens:	
Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi. Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero.	Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi. Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero.
Accipit calicem manu dextra et eo se signans dicit:	
Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.	Deo gratias, Deo gratias, accepta Christi munera sumamus Dei gratia non ad iudicium sed ad salvandas animas Deus noster.
Sumit totum sanguinem cum particula.	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto sicut erat in principio et nunc et in saecula saeculorum. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Suscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dextram patris. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.
XXXVII. *Si qui sunt communicandi in Missa (id quod optat ecclesia), Sacerdos post sumptionem Sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione ponat particulas consecratas in pyxide vel, si pauci sint communicandi, super patenam, nisi a principio positae fuerint in pyxide seu alio calice. Interim minister ante eos extendit linteum seu velum album et pro eis facit Confessionem dicens* Confiteor (*ut est c. II.*). *Tum Sacerdos iterum genuflectit et manibus iunctis se vertens ad populum in cornu evangelii dicit:* Misereatur vestri *etc.* et Indulgentiam, absolutionem *etc.* (c. *II.*) *et manu dextra facit signum crucis super eos. Postea genuflectens accipit manu sinistra pyxidem seu patenam cum sacramento, dextra vero sumit unam particulam, quam inter pollicem et indicem tenet aliquantulum elevatam super pyxidem seu patenam et*	

GALLICANUS.

Post benedictionem et Sacerdotis communionem Fideles communicaturi ad altare accedebant, etiam mulieres. Sumta Eucharistiae particula calix porrigebatur a Diacono. Quid tempore Communionis apud Gallos caneretur incertum.

MOZARABICUS.

niat ad patenam et consumat omnes particulas per ordinem primo sumens eas, quae postremae fuerint in patena. Et statim populo communionem impertit. Et deinde accipiat patenam et ponat super calicem et purget bene cum digito pollicem et dicat hanc orationem:

Ave in aevum coelestis potus, qui mihi ante omnia et super omnia dulcis es.

Corpus et Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat corpus et animam meam in vitam aeternam. Amen.

Hic accipiat sanguinem et dum Sacerdos sumserit sanguinem, dicat immediate hanc orationem:

Domine Deus meus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus: fac me te semper quaerere et diligere et a te per hanc sanctam communionem, quam sumsi, nunquam recedere, quia tu es Deus et praeter te non est alius in saecula saeculorum. Amen.

Chorus cantat Communionem: Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus Domine, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Facta ablutione defertur Missale Offerentium et ponitur in cornu epistolae liber, ex quo recitatur Missae exordium ac peroratio. Dein dicit Presbyter ad cornu altaris hanc orationem:

Refecti Christi corpore et sanguine pariterque sanctificati Deo Patri omnipotenti gratias referamus, ut nos eandem resurrectio-

ROMANUS.	AMBROSIANUS.
conversus ad communicandos in medio altaris dicit: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Deinde dicit:* Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed dic tantum verbo et sanabitur anima mea. *Quibus verbis tertio repetitis accedit ad eorum dextram h. e. ad latus epistolae et unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum crucis super pyxidem vel patenam et simul dicens:* Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam ad vitam aeternam.	*Apud Ambrosianos dicitur sacerdote, qui porrigit Sacramentum* Corpus Christi. *Respondetur* Amen.
Omnibus communicatis revertitur ad altare, nihil dicens et non dat benedictionem, quia illam daturus est in fine missae. Si particulae positae erant super Corporale, extergit illud cum patena et si qua in ea fuerint fragmenta in calicem immittit.	
Postea dicit:	
Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.	
Interim porrigit calicem ministro, qui infundit in eo parum vini, quo se purificat, deinde prosequitur:	
Corpus tuum Domine, quod sumpsi et Sanguis, quem potavi adhaereat visceribus meis: et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.	
XXXVIII. *Abluit digitos, extergit et sumit ablutionem; ex-*	

GALLICANUS. MOZARABICUS.

nem et sanctificationem habentes. hic et in futuro saeculo gloriam percipiamus. ℟. Amen.

Dicat Presbyter in medio altaris: Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus et vivis et omnia regis in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

ROMANUS.

tergit os et calicem, quem operit et plicato corporali collocat in altari ut prius. Deinde in cornu epistolae legit Antiphonam, quae dicitur Communio *ac convenit cum Officio e. g. in festivitate B. Stephani:*

Video coelos apertos et Iesum stantem a dextris virtutis Dei: Domine Iesu accipe spiritum meum et ne statuas illis hoc peccatum.

Iunctis manibus ante pectus vadit ad medium altaris et eo osculato vertit se ad populum et dicit:

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Redit ad librum et dicit orationem, quae dicitur Postcommunio, *unam vel plures ut postulat ordo officii. Quibus finitis claudit librum et iungens manus ante pectus revertitur ad medium altaris, ubi eo osculato vertit se ad populum, dicens:*

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde dicit si dicendum est:

Ite, missa est. *Tempore paschali additur:* Alleluia

Si vero non sit dicendum, ut inter Adventum et Quadragesimam etc. dicto Dominus vobiscum, *stans versus altare dicit:* Benedicamus Domino. *In Missis Defunctorum:* Requiescant in pace.

AMBROSIANUS.

Dicit in cornu epistolae Antiphonam, quae dicitur Transitorium.

Dominus vobiscum.
℟. Et cum spirito tuo.

Sequitur Postcommunio.

Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleïson, Kyrie eleïson, Kyrie eleïson.

In medio altaris se signat dicens: Benedicat et exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

Procedamus in pace. ℟. In nomine Christi.

Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

GALLICANUS.

In libris Gallicanis duae commemorantur orationes post Communionem. Altera dicitur Collectio post Communionem, *altera* Consummatio Missae *vel* ad Plebem. *Variasse videntur pro diversitate officii. Missale Gothicum in Vigilia Nativitatis Domini has habet collectas:*

Post communionem.

Coelesti cibo potuque saginati, omnipotenti Deo laudes et gratias, Fratres carissimi, referamus, poscentes ut nos, quos dignos habuit participatione Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi unigeniti sui, dignos etiam coelesti remuneratione percenseat. Per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum Filium suum.

Collectio sequitur.

Quod ore sumpsimus Domine mentibus capiamus et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Alias adiicimus Collectas Libri Bobiensis.

Post Communionem.

Quos coelesti Domine dono satiasti, praesta quaesumus, ut a nostris mundemur occultis et ab hostium liberemur insidiis.

MOZARABICUS.

Dicat in medio altaris:

Sollemnia completa sunt in nomine Domini nostri Iesu Christi, votum nostrum sit accepturus pro pace.

℟. Deo gratias.

sive in feriali officio:

Missa acta est in nomine Domini nostri Iesu Christi, perficiamus in pace. ℟. Deo gratias.

Recitat denique flexis genibus ante altare Salve regina *cum oratione* Concede nos famulos tuos. *Et conversus ad populum dat ei benedictionem dicens:*

In unitate Spiritus Sancti benedicat vos Pater et Filius. Amen.

Statimque discedit ab altari. Et notandum quod Sacerdos nunquam se vertit ad populum, nisi cum hanc postremam benedictionem largitur et cum dicit: Adiuvate me fratres in orationibus vestris.

Confessionem more Romano et alias orationes ante Introitum et Antiphonam Salve Regina *in*

ROMANUS.

In officio Quadragesimali Orationem post Communionem alia excipit oratio super populum, *praemissis:* Oremus. Humiliate capita vestra Deo. *Deinde* Dominus vobiscum *ut supra.*

Dicto Ite, missa est *vel* Benedicamus Domino *Sacerdos inclinat se ante medium altaris et manibus iunctis super illud dicit:*

XXXIX. Placeat, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae et praesta: ut sacrificium, quod oculis tuae maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde osculatur altare et elevatis oculis, extendens, elevans et iungens manus caputque cruci inclinans dicit: Benedicat vos omnipotens Deus *et versus ad populum semel tantum benedicens etiam in Missis sollemnibus prosequitur:* Pater et Filius ✠ et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

In Missa pontificali ter benedicitur.

XL. *Deinde in cornu evangelii dicto:* Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo *signans altare vel librum et se ut supra in Evangelio Missae legit* Evangelium secundum Ioannem I, 1—14: In principio erat verbum. *Cum dicit* Et verbum caro factum est *genuflectit. In fine respondetur* Deo gratias.

AMBROSIANUS.

Dicat Presbyter:

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae et praesta: ut sacrificium, quod oculis tuae maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicit populum hoc more:

Benedicat vos divina maiestas Pater ✠ et Spiritus Sanctus ✠. ℟. Amen.

GALLICANUS.

Consummatio Missae.

Gratias tibi agimus, Domine sancte Pater omnipotens aeterne Deus, qui nos Corporis et Sanguinis Christi filii tui communione satiasti, tuamque misericordiam humiliter postulamus: ut hoc tuum Domine sacramentum non sit nobis reatus ad poenam sed intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum. Haec nos Domine communio purget a crimine et coelestis gaudii tribuat esse participes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

MOZARABICUS.

fine addidit officio Gothico Franciscus Ximenius.

Valde discrepat ordo officii in Missis Defunctorum. Recitata Confessione dicit Presbyter in medio altari: Erigite vos, Dominus sit semper vobiscum. *Et statim incipit Introitum:* Tu es portio mea Alleluia, in terra viventium Alleluia. *Reticetur* Alleluia *tempore Quadragesimae. Ut alia praetermittamus orat in hostiae confractione:* Requiem aeternam det eis Dominus, lux perpetua luceat

ROMANUS.

Si inciderit in ferias Quadragesimae et Quatuor Temporum, in Vigilias et Dominicas alia festivitas superioris ordinis legitur Missa de festo sed Evangelium diei legitur in fine. In tertia Missa Nativitatis Domini sumitur Evangelium Epiphaniae : Cum natus esset Iesus.

In Missis Defunctorum non datur benedictio, sed dicto Requiescant in pace *dicit* Placeat. *Deinde osculato altari legit Evangelium S. Ioannis. Discedens ab altari pro gratiarum actione dicit Canticum trium puerorum et plures Collectas.*

AMBROSIANUS.

In festivitatibus Sanctorum a ditur nomen Sancti v. c. Precib et meritis B. Pontificis et Conf soris Ambrosii Deus vos ben dicat ✝ et perducat ad gaudia p radisi. ℟. Amen.

Dein legit Initium Evangelii cundum Ioannem.

Recedens dicit Canticum tri puerorum.

GALLICANUS. MOZARABICUS.

tibi et repleatur splendoribus anima tua et ossa tua reviviscant de loco suo.

ADNOTATIONES

AD ORDINEM ROMANUM.

I. Praemitti solet libris missalibus **Praeparatio ad Missam p opportunitate Sacerdotis facienda.** Complectitur Psalmos *Qu dilecta*, *Benedixisti Domine*, *Inclina Domine aurem tuam*, *Credidi prop quod locutus sum*, *De profundis clamavi:* praeterea Antiphonam, Responso atque septem collectas. Sequuntur Orationes dicendae, cum Sacerdos indui sacerdotalibus paramentis. Cum lavat manus, dicat: *Da Domine virtutem m nibus meis ad abstergendam omnem maculam: ut sine pollutione mentis corporis valeam tibi servire.* Ad Amictum dum ponitur super caput dicit; *I pone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursu* Ad Albam cum ea induitur: *Dealba me Domine et munda cor meum: ut in sa guine agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.* Ad Cingulum dum se ci git: *Praecinge me Domine cingulo puritatis et extingue in lumbis meis humon libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.* Ad Manipulı dum imponitur brachio sinistro: *Merear Domine portare manipulum flet et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laborum.* Ad Stolam dum i ponitur collo: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi praevaricatione primi parentis et quamvis indignus incedo ad tuum sacra mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.* Ad Casulam cum assumitı *Domine, qui dixisti: Iugum meum suave est et onus meum leve: fac, ut ist portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.* Aliae et plur orationes dicendae sunt ab episcopo, quando in pontificalibus celebrat. magna in omnibus, quae ad Praeparationem missae spectant in ecclesiis me aevi, adeo saeculi decimi sexti diversitas. Alii Psalmum *Iudica* cum Antipho prorsus omittunt et statim incipiunt a Confessione: alii loco eius ponunt alin Porro a quibusdam privatim in sacristia dici solitus, etiam antequam casu sumeretur, aut in ipso processu ad altare. Ita Missale Romanum a Paulo I recognitum et Lugduni editum 1550 dici hunc psalmum praecipit a sacerdo manifeste vel sub silentio, antequam excedat ad altare. Pius V. demum omnibus, qui Romanis ritibus utuntur, eum Confessioni praemitti institu

Apud Carmelitas hodieque sacerdos Psalmum cum Antiphona recitat, dum pergit ad altare.

II. Neque in formulis Confessionis et Absolutionis ad Pii V. usque aetatem consentiebant. Exstabant apologiae breviores ut in antiquo Cluniacensium ordine: *Confiteor Deo et omnibus Sanctis eius et vobis Patres, quia peccavi cogitatione, locutione et opere: mea culpa, precor vos orare pro me.* Multi erant alii in peccatis enumerandis vel in Sanctorum invocatione. Ita Missale Augustanum circa 1570 editum: *Ego reus et conscius omnium malorum meorum confiteor Deo Patri omnipotenti et B. Mariae semper virgini et omnibus Sanctis et vobis in Christo, quod ego miser et indignus peccator peccavi nimis in vita mea, mala cogitatione, locutione, consensu, visu, ore, opere et omissione, mea culpa, mea gravissima culpa. Ideo precor gloriosissimam virginem Mariam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum atque Andream, Udalricum, Sebastianum, Vitum, sanctas Mariam Magdalenam, Catharinam, Barbaram, Afram cum sodalibus suis, istos et hodiernos et omnes Sanctos Dei et patronos et vos orare pro me peccatore.* Ut exemplum habeas formulae Absolutionis a consueta discrepantis adeas Missale Curiense anni 1589: *Dominus noster Iesus Christus vos absolvat et ego auctoritate ipsius qua fungor, absolvo vos a vinculis excommunicationis minoris si incidistis; et restituo vos septem sacramentis et communioni matris ecclesiae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Nunc quoad sciam idem mos confitendi et absolvendi servatur in ecclesia Romana, excepta ecclesia Lugdunensi, multis propriis ritibus ac formulis insigni. Dissentit cum in Praeparatione ad Missam in universum, tum in Confessione: *Deus, qui non mortem sed poenitentiam desideras peccatorum, me miserum fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate neque adspicias ad peccata et scelera mea et immundas turpesque cogitationes, quibus flebiliter disiungor a tua voluntate, sed ad misericordias tuas et fidem devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam expetunt misericordiam. Et quia me indignum medium inter te et populum tuum fieri voluisti, fac me talem, ut digne possim exorare misericordiam tuam pro me et pro eodem populo tuo. Et adiunge voces nostras vocibus Angelorum, ut sicut illi te laudant in excelsa beatitudine, ita nos quoque eorum interventu mereamur te laudare in hac peregrinatione. Per Dominum.* At vero cum apud Gallos studium ferveat *οὐ κατ' ἐπίγνωσιν* veteres ac laudabiles Gallicanae ecclesiae consuetudines commutandi cum Romanis, haud scio an apud Lugdunenses adhuc servetur haec pulchra et pia oratio.

III. Varii ritus olim in versiculis et collectis, confessionem proxime sequentibus erant in usu; doceat nos Ordo Missae pontificalis S. Gregorii in in valle Gregoriana dioecesis Basileensis *Martene* de ant. rit. I. p. 655: *Primum Diaconus praebet abbati plenarium ad osculandum. Postea accedat dicens:* Aufer a nobis Domine etc. *Quo dicto abbas osculatur altare, deinde*

inclinet se abbas et dicit: Oramus te Domine etc. *Deinde accedit abbas ad crucem ad osculandum dicens:* Tuam crucem adoramus etc. *Deinde accedit ad librum Missalis et osculatur Evangelium officii dicens:* Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet et conservet corda et corpora nostra in vitam aeternam. Amen. Similia servabant multae ecclesiae ad finem usque saeculi decimi sexti. Cf. Gerbert. L. A. I. p. 296. Nunc eadem viget ubique consuetudo.

IV. Introitum repetebant veteres in sollemnioribus festivitatibus ter vel quater: imo quinquies recitabatur ab Turonensibus in Nativitate Domini. Item in summis festivitatibus ante Introitum cantabantur *Τρόποι*, Tropi, ad maius gaudium repraesentandum, ut docet Durandus. Nomen interpretatur Synodus Lemovicensis a. 1031 (Harduin VI. p. 875). *Inter laudes, quae τρόποι graeco nomine dicuntur a conversione vulgaris modulationis.* Aliquando Tropus ponitur proxime ante Introitum, aliquando ipsi intermiscetur, una parte chori ipsum Tropum, altera Introitum concinente. Recte *Bona: A monachis privata quorundam abbatum auctoritate, ut prisca ferebant tempora, haec additamenta originem traxisse puto, qui non solum Introitus, sed alias etiam liturgicas preces eodem modo interpolarunt.* Poterat afferre Eckehardum in vita B. Notkeri: *Non solum ea, quae beatus vir Notkerus dictaverat, verum etiam ea, quae socii et fratres eius in eodem monasterio S. Galli composuerant, omnia canonizavit Pontifex, videlicet hymnos, sequentias, tropos* etc. Inde a saeculo decimo usque ad saeculum sextum decimum in multis Missalibus adsignantur Tropi in Missarum sollemniorum principio. Sic in die St. Stephani:

A. Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur.
B. Nulli unquam nocui usque legum iura resolvi.
A. Et iniqui persecuti sunt me.
B. Christe tuus fueram tam diu, quia rite minister.
A. Adiuva me Domine.
B. Ne tuus in dubio frangar certamine miles.
A. Quia servus tuus eximebatur in tuis iustificationibus.

Quae litera B. insignita sunt, efficiunt Tropum. Nunc omnem Troporum farraginem et in Introitu, et in Kyrie et in Sanctus etc. ecclesia prorsus abrogavit, utpote sanctae ecclesiasticae liturgiae simplicitati parum congruam. Cf. Muratorium L. R. I. p. 100.

Laudanda est Romanorum pontificum sapientia, quae sublatis hisce peregrinis mercibus, quibus onerata potius quam ornata fuerat sacra liturgia in antiquam puritatem ac moderationem pensum Romanae missae restituit.

V. Invenit *Bona* in multis libris post saeculum tredecimum compositis Kyrie quoque interpositis quibusdam clausulis interpolatum. Imo in Missali Romano sub pontificatu Pauli III. edito Lugduni hac praefixa inscriptione:

Sequuntur quaedam devota verba super Kyrie eleïson, Sanctus *et* Agnus Dei, *ibi ob nonnullorum Sacerdotum pascendam devotionem positae, licet non sint de Ordinario Romanae ecclesiae, tamen in certis missis ibidem annotatis licite dicendae.* Item *Ioannes a Ioanne* De Divinis Siculorum Officiis 1736 eiusmodi tropos usurpatos fuisse tradit in festis duplicibus Sanctorum. *Muratorius* similia observavit in Missalibus Italiae. Duo exhibemus exempla: alterum ex Missali Pauli III. depromptum recitandum in festivitatibus Christi; alterum complectens appendices ad Kyrie eleïson simulque Hymnum metrice concinnatum ex Ordinario vetusto Mutinensi.

Kyrie cunctipotens genitor Deus omnicreator eleïson.
Fons et origo boni, pie luxque perennis eleïson.
Sacrificet pietas tua nos bone rector eleïson.
Christe Dei splendor, virtus Patrisque Sophia eleïson.
Plasmatis humani sator, lapsi reparator eleïson.
Ne tua damnetur Iesu factura benigne eleïson.
Amborum sacrum spiramen nexus amorque eleïson.
Purgator culpae, veniae largitor optime eleïson.
Offensas dele, sacro nos numero reple eleïson.

Kyrie Mutinense.

Kyrie eleïson, omnipotens genitor lumenque et lucis origo.
Kyrie eleïson, de nihilo iussu verbi, qui cuncta creasti.
Kyrie eleïson, humano generi, peccati pondere presso.
Christe eleïson, ad coenum terrae missus genitoris ab arce,
Christe eleïson, indueras carnem de casta virgine natus.
Christe eleïson, tu mundi culpam mundasti Sanguine tuo.
Kyrie eleïson, aequales Patri seu Nati Spiritus almus.
Kyrie eleïson, trinis personis Deus in Deitate sed unus etc.

Martene de antiq. monachorum ritibus p. 388 observat ritum peculiarem monasterio Corbiensi, non dici in missa feriae V. in Coena Domini Kyrie eleïson. Deest praeterea in Missa vetusta Mutinensi, prorsus singulari apud Muratorium L. R. I. p. 86. sqq. Haec post incensationem altaris ita procedit: *Procedens paulilum prope altare, inclinatus dicat hanc orationem:* Domine Iesu Christe, mundi redemptor etc. *Deinde erigat se et osculetur altare et dicat hanc orationem:* Domine Deus omnipotens, qui es magnus etc. *Tunc dicat* Gloria in excelsis Deo, *si adest tempus. Et eo plane finito dicat hanc orationem:* Ante conspectum divinae maiestatis tuae etc. Memoratu dignum est, tres illas collectas exstare in Missa Illyrici cf. p. 4. De Kyrie eleïson a plebe cantato adeas praeclarum *Henr. Hoffmanni* librum: *Geschichte des deutschen Kirchenliedes bis auf Luthers Zeit p. 4 sqq.*

Olim diebus, quibus omittitur Gloria in excelsis immediate post Kyrie prolixas preces pro omni statu hominum recitare consueverunt. Permansit hic ritus in ecclesia Latina usque ad saeculum nonum et nunc etiam permanet in ecclesia Mediolanensi diebus Dominicis Quadragesimae. Has autem

preces pro variis rebus et personis compositas Diaconus in Missa pronuntiare solebat. Haec *Bona* R. L. II. 4. Damus lectori missalem Litaniam ex antiquo Codice Bibliothecae Fuldensis a Wicelio transscriptam.

Dicamus omnes ex toto corde totaque mente: Domine exaudi et miserere.

Qui respicis terram et facis eam tremere. Oramus te Domine, exaudi et miserere.

Pro altissima pace et tranquillitate temporum nostrorum Oramus etc.

Pro sancta Ecclesia Catholica, quae est a finibus usque ad terminos orbis terrarum Oramus etc.

Pro patre nostro Episcopo, pro omnibus Episcopis, Presbyteris et Diaconis omnique Clero Oramus etc.

Pro hoc loco et habitantibus in eo Oramus etc.

Pro piissimo Imperatore et toto Romano exercitu Oramus etc.

Pro omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, pro virginibus viduisque et orphanis Oramus etc.

Pro poenitentibus et catechumenis Oramus etc.

Pro iis, qui in sanctae ecclesiae fructus misericordiae largiuntur, Domine Deus virtutum exaudi preces nostras Oramus etc.

Sanctorum Apostolorum et Martyrum memores sumus ut orantibus eis pro nobis veniam mereamur Oramus etc.

Christianum ac pacificum finem concedi a Domino comprecamur. Praesta, Domine, Praesta.

Et divinum in nobis permanere vinculum caritatis Dominum comprecamur Praesta, Domine, Praesta.

Conservare sanctitatem et puritatem catholicae fidei sanctum Deum comprecamur Praesta, Domine, Praesta.

Dicamus omnes: Domine exaudi et miserere.

His similes sunt preces, qui ritu Ambrosiano hodie dicuntur Dominica prima Quadragesimae immediate ante Collectam incipiente Diacono et Choro respondente:

Divinae et pacis et indulgentiae munere supplicantes ex toto corde et ex tota mente precamur te Domine miserere.

Pro Ecclesia Sancta Catholica, quae hic et per universum orbem diffusa est, precamur te Domine etc.

Pro Papa nostro N. et pontifice nostro N. et omni Clero eorum, omnibusque Sacerdotibus ac ministris precamur te Domine etc.

Pro famulis tuis N. Imperatore et N. rege duce nostro et omni exercitu eorum precamur te Domine etc.

Pro pace ecclesiarum, vocatione gentium et quiete populorum precamur te Domine etc.

Pro civitate hac et conservatione eius omnibusque habitantibus in ea precamur te Domine etc.

Pro aëris temperie ac fructu ac fecunditate terrarum precamur te Domine etc.

Pro virginibus, viduis, orphanis, captivis ac poenitentibus precamur te Domine etc.

Pro navigantibus, iter agentibus, in carceribus, in vinculis, in metallis, in exiliis constitutis precamur te Domine etc.

Pro iis, qui diversis infirmitatibus detinentur, quique spiritibus vexantur immundis precamur te Domine etc.

Pro iis, qui in sancta ecclesia tua fructus misericordiae largiuntur, precamur te: Miserere Domine.

Exaudi nos Deus in omni oratione atque deprecatione nostra precamur te: Domine etc.

Dicamus omnes: Domine miserere.

VI. Hymnus angelicus in summis festivitatibus, praecipue in Nativitate Domini latine et graece decantatus est cf. *Thesaur. Hymnol.* *Tom. II. p.* 272. Neque vero ab hoc angelorum carmine temeraria interpolatorum manus se abstinuit. In multis aevi medii Missalibus legitur Gloria Marianum i. e. in festis Beatae Virginis dicendum hoc modo: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus rex coelestis, Deus pater omnipotens. Domine Fili unigenite Iesu Christe. Spiritus et alme orphanorum paraclite. Domine Deus agnus Dei, filius patris, primogenitus Mariae virginis matris. Qui tollis peccata mundi suscipe deprecationem nostram ad Mariae gloriam. Qui sedes ad dextram patris miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus Mariam sanctificans. Tu solus Dominus Mariam gubernans. Tu solus altissimus Mariam coronans, Iesu Christe cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.* Sed iam Nicolaus V. pontifex prohibuit, ne haec paraphrasis in sua capella diceretur, pro tota ecclesia denuo reiecit Pius V. Tamen, cum huius formulae usus irrepsisset in multas provincias, hodieque Ordo missae Romanus haec iubet: Sic dicitur Gloria etiam in Missis beatae Virginis. Apud Pamelium in fine Tomi II. Liturgicorum, aliae exstant interpolationes, alia in Nativitate Domini, alia in Dedicatione ecclesiae. Nunc una cum Tropis prorsus abrogata sunt eiusmodi ψευδεπίγραφα, quae, ut recte ait Bona, ecclesiasticam gravitatem minime redolent cultumque divinum non augent sed diminuunt.

VII. In Officio Pontificali, si in Missa dicitur Gloria, dicitur a Celebrante Pax vobis et respondetur Et cum spiritu tuo. Si non dictum est Gloria, utitur formula Dominus vobiscum.

Olim Romae Diaconi, Cardinales, Subdiaconi et alii ordines cum scriniariis faciebant laudes Domino Papae proxime post Collectam hoc ordine. Archidiaconus cum aliis Diaconis et Subdiaconis stabant iuxta altare et incipiebant alta voce: Exaudi Christe. *Scriniarii vero stantes in Choro cum pluvialibus respondebant:* Domino nostro papae vita. *Idque tertio repetebatur. Deinde Archidiaconus dicebat tribus vocibus:* Salvator mundi *ad singulas respondentibus scriniariis* Tu illum adiuva. *Tum sequebantur Litaniae, videlicet* Sancta Maria, Tu illum adiuva *et* Sancte Michael Tu illum adiuva *et quae sequuntur. Quibus finitis dicebat Archidiaconus:* Kyrie eleïson, Christe eleïson, Kyrie eleïson *idem semper respondentibus scriniariis. Et post haec Subdiaconus legebat Epi-*

stolam. Similes laudes, quae Graecorum Imperatorum ceremonias sapiunt, hodie dicuntur in Coronatione Pontificis tantum. Gerbertus Lit. I. p. 305: *Sic die* 22 *Februarii anni huius* 1775 *in inauguratione hodierni pontificis, postquam primus Diaconus Cardinalis Alexander. Albani incepisset cantare Laudes ter dicendo:* Exaudi Christe; *reliquus ordo Cardinalium assistentium succinebat:* Domino nostro Pio VI. a Deo decreto Pontifici et universali papae vita. *Prosecutus est itidem ter idem Cardinalis:* Salvator mundi. *Responderunt reliqui ordines* Tu illum adiuva. *Paullo ante in accessu Pontificis ad altare ter idem magister caerimoniarum eidem acclamavit:* Pater sancte sic transit gloria mundi *stupam ardentem manu ostentans.*

Similes Laudes sive acclamationes intra Missarum sollemnia fieri solebant Imperatoribus Graecis et illis absentibus illorum imaginibus. Postea factas Carolo Magno a Leone coronato more antiquorum Principum referunt veteres. Saeculo nono per Germaniae ecclesias hunc morem invaluisse, compertum habemus e Codice San-Gallensi, quem Gerbertus circa DCCCLX conscriptum esse existimat. Goldastus in Secundo Tomo antiquitatum Alemannicarum has acclamationes ex illo codice ita transscripsit.

Finita oratione post Gloria dicit Sacerdos tribus vocibus semper respondente Clero: Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. Tum ait Sacerdos Exaudi Christe. Respondet Clerus: Nicolao summo Pontifici et universali Papae vita. Sequitur Litania: Salvator mundi tu illum adiuva. S. Petre, S. Paule, S. Andrea, S. Clemens, S. Xixte, S. Cyriace et singulis respondetur: Tu illum adiuva. Sequitur Exaudi Christe. Ludovico a Deo coronato magno et pacifico Regi vita et victoria. Redemptor mundi tu illum adiuva. S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, S. Ioannes, S. Stephane, S. Theodule cum responsione ad singulos Tu illum adiuva. Addit Sacerdos: Exaudi Christe. Hemmae Reginae nostrae vita. S. Felicitas, S. Perpetua, S. Petronilla, S. Lucia, S. Agnes, S. Caecilia. Et semper respondetur Tu illam adiuva. Iterum ait Sacerdos: Exaudi Christe. Nobilissimae probi regali vita S. Sylvester, S. Laurenti, S. Nazari, S. Pancrati, S. Anastasia, S. Genovefa, S. Columba addita singula responsione: Tu illam adiuva. Rursum dicit Sacerdos: Exaudi Christe. Omnibus Iudicibus vel cuncto exercitui Francorum et Alamannorum vita et victoria S. Hilari, S. Martine, S. Mauriti, S. Dionysi, S. Albane, S. Crispine, S. Crispiniane, S. Gereon: Tu illos adiuva. Post haec repetit Sacerdos: Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, et haec quae sequuntur Christi attributa commemorat atque ad singula respondet Chorus: Christus vincit etc. Rex regum. Rex noster. Spes nostra. Gloria nostra.

Misericordia nostra. Auxilium nostrum. Fortitudo nostra. Liberatio et Redemptio nostra. Victoria nostra. Arma nostra invictissima. Murus noster inexpugnabilis. Defensio et exaltatio nostra. Lux, via et vita nostra. Denique Sacerdos ait: Ipsi soli gloria et potestas per immortalia saecula saeculorum. Respondet Clerus: Amen. Ipsi soli honor, laus et iubilatio per infinita saecula saeculorum. Amen. Ipsi soli virtus, fortitudo et victoria per omnia saecula saeculorum. Amen. Christe audi nos etc. Kyrie eleison ter. Feliciter ter. Tempora bona habeas ter. Multos annos ter. Scribit Ioannes Lucius lib. 2 de regno Dalmatiae c. 6, adhuc in ea provincia laudum sive acclamationum intra missarum sollemnia consuetudinem permanere.

VIII. In eruditissimis voluminibus Martenii ritus quidam commemorantur omnino singulares, qui spectant ad Epistolam: sed in arctioribus finibus vigebant neque unquam ad totam ecclesiam permigrarunt. Ita Ambrosiani duplicem recitant Epistolam in festivitate S. Stephani, unam ex Actibus Apostolorum: *Stephanus plenus gratia* usque ad *obdormivit in Domino*, alteram ex epistola ad Timotheum *Omnis scriptura* usque ad *qui diligunt adventum eius.* Item monachi Cassinenses et Dionysiani (S. Denis) in Epiphania Domini iuxta consuetam epistolam: *Surge illuminare Ierusalem* secundam legebant de Apostolo: *Apparuit benignitas.* Porro hoc memoratu dignum est, quod ad declarandam ecclesiae orientalis atque occidentalis unitatem et consensum instituerunt: epistolam atque evangelium latine ac graece in nonnullis festivitatibus recitari. Vetusti ordines docent hoc fieri in Missa papali, quae celebratur in Nativitate Domini aeque ac in Resurrectione: neque praetermittendum est Martenii testimonium, hunc usum sua aetate observatum esse in percelebri S. Dionysii in Francia monasterio. Imo patrono suo, e Graecia oriundo in summa eius festivitate totam Missam graece cantabant.

Sequentiae, ut supra dictum est p. 28, proprie nominantur νεύματα illa quae in fine vocis Alleluia prolixe decantabantur et in litera A. longo protrahebantur halitu. Posthac, primum ut videtur in monasterio S. Gallensi, confecta sunt cantica ecclesiastica, quae post Alleluia verbis explerent illud A. longa iubilatione, ut hac voce utar, modulizatuum. Hae cantilenae sacrae vocantur Sequentiae vel Prosae: et tantum nova proles tulit assensum, ut inde a saeculo nono per totam ecclesiam Romanam cantarentur sequentiae, praecipue ad festivitatum augendum splendorem ac dignitatem. Vulgo traditur, in Italia minus acceptas fuisse, et sane rarissime adhibitae sunt apud Romanos. Tamen ut cautius haec in libris nostris exscribantur e vetustis, cum suadeant exempla in Tomo secundo Thesauri Hymnologici collecta, tum Muratorii monet auctoritas. Etenim in vetusto Missali Mutinensi, cuius supra mentionem fecimus, ponuntur Sequentiae in festivitatibus sollemnioribus, quae prorsus conveniunt

cum Germanis. Ita in Nativitate Domini recitantur: *Eia recolamus*, *Grates nunc omnes*, *Natus ante saecula*. Saeculo decimo sexto cum in ingentem molem crevisset sequentiarum numerus, inundanti Prosarum flumini, quod ex parte satis lutulentum fluebat, aggerem opposuit ecclesia. Obtruncavit Sequentias omnes, quinque exceptis, quae hodie in officio Romano cantantur, perpulcris sane et praeclaris. Iuvat apponere hos celebratissimos cantus secundum textum Missalis Romani.

Prima cantatur in Octava Paschali usque ad Dominicam in Albis exclusive.

Victimae paschali laudes immolent Christiani.
Agnus redemit oves, Christus innocens patri reconciliavit peccatores.
Mors et vita duello conflixere mirando: dux vitae mortuus regnat vivus
Dic nobis Maria, quid vidisti in via?
Sepulcrum Christi viventis et gloriam vidi resurgentis.
Angelicos testes, sudarium et vestes.
Surrexit Christus spes mea, praecedet vos in Galilaeam.
Scimus Christum surrexisse a mortuis vere.
Tu nobis victor rex miserere. Amen. Alleluia.

Secunda magna cum celebritate decantatur intra hebdomadem Pentecostes.

Veni Sancte Spiritus, et emitte coelitus lucis tuae radium.
Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.
Consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium.
In labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium.
O lux beatissima reple cordis intima tuorum fidelium.
Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.
Lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium.
Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium.
Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen. Alleluia.

Tertia, quae vulgo tribuitur Thomae Aquinati, ornat Festum Corporis Christi.

Lauda Sion Salvatorem, lauda ducem et pastorem in hymnis et canticis.
Quantum potes tantum aude quia maior omni laude nec laudare sufficis.
Laudis thema specialis, panis vivus et vitalis hodie proponitur.
Quem in sacrae mensa coenae turbae fratrum duodenae datum non ambigitur.
Sit laus plena, sit sonora, sit iucunda, sit decora mentis iubilatio.
Dies enim sollemnis agitur, in qua mensae prima recolitur huius institutio.
In hac mensa novi regis, novum Pascha novae legis phase vetus terminat.
Vetustatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat.
Quod in coena Christus gessit faciendum, hoc expressit in sui memoriam.
Docti sacris institutis, panem, vinum in salutis consecramus hostiam.
Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides praeter rerum ordinem.
Sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus latent res eximiae.
Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub utraque specie.
A sumente non concisus, non confractus, non divisus integer accipitur.
Sumit unus, sumunt mille: quantum isti tantum ille, nec sumptus conficitur.

Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali vitae vel interitus.

Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.

Fracto demum sacramento ne vacilles sed memento, tantum esse sub fragmento quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura: signi tantum fit fractura: qua nec status nec figura signati minuitur.

Ecce panis angelorum, factus cibus viatorum, vere panis filiorum non mittendus canibus.

In figuris praesignatur, cum Isaac immolatur, agnus Paschae deputatur, datur manna patribus.

Bone pastor, pastor vere, tu nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium.

Tu qui cuncta scis et vales, qui nos pascis hic mortales, tuos ibi commensales, cohaeredes et sodales fac sanctorum civium. Amen. Alleluia.

Quarta eaque paene divina locum obtinet in Missis Defunctorum:

Dies irae, dies illa
Solvet saeclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus,
Quando iudex est venturus,
Cuncta stricte discussurus.

Tuba, mirum spargens sonum,
Per sepulcra regionum
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
Quum resurget creatura,
Iudicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus iudicetur.

Iudex ergo, cum sedebit
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus,
Quem patronum rogaturus,
Quum vix iustus sit securus.

Rex tremendae maiestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis.

Recordare, Iesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die.

Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti cruce passus:
Tantus labor non sit cassus.

Iuste iudex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Ingemisco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus:
Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam absolvisti
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae,
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta
Et ab hoedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis
Gere curam mei finis.

Lacrimosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Iudicandus homo reus,

Huic ergo parce Deus.
Pie Iesu Domine
Dona eis requiem. Amen.

Quinta est laudatissima illa de Compassione Virginis, quae recitatur in sollennitatibus dolorosae matris:

Stabat mater dolorosa
Iuxta crucem lacrimosa,
Dum pendebat filius:
Cuius animam gementem,
Contristatam ac dolentem
Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti:
Quae moerebat et dolebat,
Et tremebat, cum videbat
Nati poenas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio:
Quis non posset contristari,
Piam matrem contemplari
Dolentem cum filio.

Pro peccatis suae gentis
Vidit Iesum in tormentis
Et flagellis subditum,
Vidit suum dulcem natum,
Morientem, desolatum,
Dum emisit spiritum.

Eia mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

Sancta mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.

Fac me tecum vere flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero;
Iuxta crucem tecum stare
Te libenter sociare
In planctu desidero.

Virgo virginum praeclara,
Mihi tam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac, ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem filii.
Inflammatus et accensus,
Per te, virgo, sim defensus
In die iudicii.

Fac me cruce custodiri,
Morte Christi praemuniri,
Confoveri gratia;
Quando corpus morietur,
Fac, ut animae donetur
Paradisi gloria.

Quamquam ne caecum quidem fugit, has quinque sequentias e multitudine aliarum singulari virtute emicare, dolendum tamen est quod cum ineptarum Prosarum grege eiecta sunt ex ecclesia multa carmina et a pietate et a poetico fervore admodum commendata. Singula confugiebant ad monachos, quorum ordines etiamnunc alias habent Sequentias praeter illas toti ecclesiae communes. Porro Gallicana ecclesia ad hodiernum usque diem (nisi immutarunt huius aetatis novatores) multas et praeclaras psallit sequentias. Missale Metense anni 1778 duodecim continet proprias Sequentias: in appendice ad libitum Celebrantis adiectae sunt viginti octo. Ne desit exemplum, apponimus Prosam in Praesentatione Domini:

Ave plena gratia
Cuius inter brachia
Se litat Deo Deus.

Fas me templum visere;
Tibi fas occurrere
Amor o Iesu meus.

Est in templo Dominus,
Angeli stant cominus:
Nil in coelis amplius.

Habet Deum hominem
Et parentem Virginem
Coelo templum ditius.

Spirant sacra gaudium·
Mane sacrificium
Plausus inter redditur.

Vespertinum fletibus
Et amaris questibus
In cruce miscebitur.

Haec iam est oblatio
Cuius omnes pretio
Deo restituimur.

Iam non nobis debiti
Tibi Deus subditi
Vivimus et morimur.

Nunc dimitte famulos:
Nil tenet hic oculos;
Da te palam cernere.

Si iubes hic vivere
Da cum Iesu crescere,
Da per hunc resurgere.

IX. Collecta, quae Evangelium praecedit, non apud omnes eadem est. Missale Carthusiensium, editum Parisiis 1603 Sacerdotem haec ante Evangelii recitationem facit orantem: *Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut recte pronuntiem Evangelium pacis.* Vel si in Conventu Missa celebratur, petit Diaconus benedictionem more consueto, respondet Celebrans: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut recte nobis pronunties Evangelium pacis.*

Evangelium aeque atque Epistolam in summis festivitatibus graece et latine perlectum esse, nunc legi in missa papali, iam supra exposuimus. Bona VII, 2: *Cum summus pontifex missam sollemniter cantat tam Epistola quam Evangelium Graece et Latine leguntur. Diacono Latino, qui Cardinalis est, praecedunt septem acolythi cum septem candelabris et cereis accensis eidemque legenti assistunt: et post ipsum Evangelium graece legit Diaconus Graecus. Eundem morem servatum in monasterio Cassinensi narrat in Chronico I. 23 Leo Ostiensis et hunc ipsum adhuc vigere diebus sollemnioribus in monasterio S. Dionysii in Francia retulit mihi vir fide dignus* cf. p. 121. Narrat Martenius ex vetusto Gallicano ritu tria lecta esse in Epiphania Domini Evangelia uno contextu eodemque tenore: primum de Magis, secundum de Baptismo, tertium de nuptiis in Cana Galilaeae. Simili modo in Circumcisione Evangelio Octavae: *Pastores loquebantur* subiungebant festivum: *Et postquam consummati sunt.*

Quod ad Doxologiam in fine Evangelii, hanc apud antiquos ab hodierna discrepare discas ab Alexandro Alesio 4 Part. Summae. Tract. de Missa: „Perlecto Evangelio dicunt assistentes *Amen*; quasi dicant: faciat nos Deus perseverare in doctrina Evangelii. Alii dicunt *Deo gratias*, in gratiarum actionem pro beneficio doctrinae tantae et tam salutaris. Nunc dicimus *Laus tibi Christe.* Deinde subiicit Sacerdos: *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.*"

Restat singulares quasdam commemorare caerimonias, in ipsa lectione Evangelii olim usitatas et nunc quoque passim adhibitas. Statim ac Diaconus incipiat Evangelium omnes baculos deponebant, ut est apud *Hildebertum: Plebs baculos ponit, stat retegitque caput.* Nunc milites religiosi et equestris ordinis viri ensi manum admovent vel educunt de vagina cum recitatur Evangelium, ut eo gestu testentur se paratos esse pro Evangelii defensione viriliter pugnare et sanguinem effundere. Praesertim in Polonia hic usus vigebat. Deponebantur etiam coronae aut si quid aliud in capite operimentum esset: quod hodieque servant infulati praelati. Mitras deponunt, pedum pastorale inter manus ante pectus tenent. Neque iniucundum est attendere ad priscam consuetudinem, ex qua inter iura et dignitates Imperatoris erat ea, Romae in missa papali decantare Evangelium. Hoc fecit e. g. Carolus IV., hoc Sigismundus, idem et ultimus quidem, nisi fallor Fridericus tertius, sed in officio matutino. *Iacobus Papiensis* VII. p. 438. — — *In eo Caesar vetusto sedis ritu ense de manu eius cum benedictione accepto, illoque ut erat nudus, armigero adstanti tradito: camis eum stolamque albam et pluviale ministrantibus diaconis cardinalibus, sumsit: iisdemque eius latus claudentibus Evangelium lectionis septimae non iniucunde cantarit, lectionem ipsam eorum alteri prosequendam relinquens. Admonuerat inter vestiendum caerimoniarum magister, ut transversam stolam et pluviale ad sinistram apertum acciperet. Sed ille (me audiente qui proximus eram) non faciam inquit et utrumque a collo ad pectus rectum induens, conversusque ad magistrum: sic inquit semper sum solitus* etc.

X. *Berno Augiensis* in libro de quibusdam rebus ad Missam spectantibus c. 2. (Bibl. PP. Colon. XI. p. 52) narrat, quod moleste tulerunt nonnulli viri docti Romanae ecclesiae adscripti: *Si ideo ut saepe dictum illum angelicum hymnum prohibemur in festivis diebus cantare* (p. 25) *eo quod Romanorum presbyteri non solent eum canere, possumus simili modo post Evangelium symbolum reticere, quod Romani usque ad haec tempora divae memoriae Henrici imperatoris nullo modo cecinerunt: sed ab eodem interrogati: cur ita agerent, me coram assistente audivi eos huiusmodi responsum reddere videlicet, quod Romana ecclesia non fuisset aliquando ulla haereseos faece infecta, sed secundum S. Petri doctrinam in soliditate Catholicae fidei permanere inconcussa et ideo magis his necessarium esse illud symbolum saepius cantandis frequentare, qui aliquando ulla haeresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non ante desiit, quam omnium consensu a Domino Benedicto Apostolico* (octavo huius nominis, anno MXIV) *persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent. Sed utrum hanc consuetudinem servent adhuc affirmare non possumus, quia certum non tenemus.* Mira excogitavit *Martene*, ut hanc symboli negligentiam, turpem atque ignominiosam, uti putabat, a Romana ecclesia averteret: Romanos Symbolum in Missa nunquam cantasse, semper legisse,

id stomachum movisse Bernoni. Quod magnopere displicuit *Binterimio:* ipse Vir Doctus hanc profert sententiam, argumentis ut videbimus non satis idoneis probatam: *Wie die Päpste und Bischöfe bei der feierlichen Messe das Gloria nach dem Zeugnisse der Römischen Ordines sangen, so sangen sie allein auch bis zu der Zeit Benedicts VI. das Credo in unum Deum oder das Nicänische, nicht das Constantinopolitanische Symbolum. Die Französischen und Deutschen Kirchen waren also in zwei Punkten zur Zeit Berno's von der Römischen Kirche verschieden. Erstens, dass die Römischen Priester bei der Privatmesse nie das Symbolum beteten; und zweitens dass die Bischöfe statt des Constantinopolitanischen mit dem Zusatze filioque, wie die Deutschen und Franzosen, das Nicänisch-Apostolische sangen.* Nam quin alia placeat Bernonis sententia prohibent, inquit, Ordines Romani vetusti, in quibus Symbolum ponitur post Evangelium. Concedit quod concessit Mabillonius, illis ordinibus additamenta facta fuisse posterioribus temporibus: affert tamen simul Amalarium, in ecloga sua de Symbolo disserentem. Porro in testimonium vocantur Leo III. et Ioannes VIII. Romani pontifices: quorum alter legatis Imperatoris commendavit morem ecclesiae Romanae in symbolo recitando, alter mandavit Duci Moraviae Sfentopulcro, ut Symbolum caueretur inter Missarum sollemnia, sicuti sancta teneret Romana ecclesia. Nihili facio Ordines illos Romanos sine dubio interpolatos, aliorum auctoritate, qui non commemorant Symbolum, superatos, non magni habeo Amalarium, Gallicanae et Germanae ecclesiae consuetudinem secutum: quod ad Leonem non diserte loquitur de symbolo utpote Missae parte. At vero Ioannis epistola invictum praeberet testimonium, nisi alium sensum commendaret sententiarum connexus a *Binterimio* neglectus. Non satisfaciunt paucula verba a Binterimio exscripta: damus locum integrum (Acta Conciliorum et Epistolae Decretales ac Constitutiones Summorum Pontificum. Parisiis MDCCXIV. VI, 1. p. 85). *Igitur hunc Methodium venerabilem archiepiscopum vestrum interrogavimus coram positis fratribus nostris episcopis si orthodoxae fidei symbolum ita crederet et inter sacra Missarum sollemnia caneret, sicuti sanctam Romanam ecclesiam tenere et in sanctis sex universalibus synodis, a sanctis patribus secundum evangelicam Christi Dei nostri auctoritatem promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est se iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam sicut sancta ecclesia Romana docet et a patribus traditum est, tenere et psallere.* Ex his verbis minime evincitur, Romanam ecclesiam tempore Ioannis intra missarum sollemnia Symbolum recitasse. Pontifex non ignorans Methodium, vel ex Graecae, vel ex Germanae ecclesiae more, Symbolum in Missa posuisse, id sciscitatus est ex eo, quale sit illud symbolum, an congruum sit illi, quod Romana ecclesia teneret. Haec de argumentis a *Binterimio* allatis: quod ad ipsam hypothesin, male conveniunt cum illa verba Bernonis. Si tum Romae fuisset symboli alicuius usus, tenebatur Berno dicere, de quo symbolo imperator pontificem rogasset. Porro nemo non

intelligit responsioni clericorum Romanorum veluti nervos auferri, si ab epicopis et ab ipso summo pontifice iam recitatum esse credamus in missa Symbolum qualeidcunque fuerit. Accedit quod non vero simile sit praesente Caesare presbyterum celebrasse: puto episcopum. Denique attendas velim ad verba Bernonis accuratius: non dicit Romanos presbyteros Symbolum non recitasse, sed simpliciter Romanos. Sed mittamus haec omnia: fingamus cum *Binterimio* Symbolum aeque ac Hymnum angelorum a solis episcopis in Missa ad Benedicti VII. usque tempora lectum esse: qui fit, ut in omnibus Sacramentariis mentio iniecta sit Hymni angelici, apposita illa de episcopis, lege: contra ut in omnibus codicibus Italis, imo decimi saeculi alto silentio praetermissum sit Symbolum? Sane exspectanda erant haec: *Item dicitur Symbolum, si episcopus fuerit tantummodo die dominico etc.* Haec fere sunt, quibus deterremur a *Binterimii* opinione: neque nobis placent alii, qui Symbolum Apostolorum antiquitus in usu fuisse, ex tempore Henrici imperatoris Nicaenam fidem in Missa decantatam esse opinantur. Intelligo Bernonem sicuti intellexerunt *Menardus* et *Bona*: ab anno millesimo decimo quarto iubente Benedicto VIII. coepit Romae cantari Symbolum: cum tamen multo ante in Hispania, Gallia et Germania cantaretur. Neque Romanae ecclesiae dedecori est: alio loco exposuimus, sancta simplicitate alienam fuisse illo tempore a δογματιστῶν in cultu divino consuetudinibus, a festivitatibus dogmata, non historias celebrantibus etc. Thesaur. Hymnolog. II. p. 51.

In summis festivitatibus Symbolum graece ab antiquis recitatum esse notum est. Ipse vidi in codicibus vetustis textum graecum, saepissime mirum in modum latinis literis descriptum.

XI. Iam supra docuimus Offertoria olim plures habuisse versiculos, ut toto illo tempore, quo populus offerebat, psallentium voces audirentur. *Bona* testatur Lugdunenses sua aetate in aliquot missis prolixiorem cantum retinuisse. *Martenius* refert ex Ordinario Argentino in festivitate Omnium Sanctorum tria in missa cantata esse Offertoria Ave Maria, Stetit Angelus, Laetamini in Domino. At celebratissimum anni Offertorium apud vetustos est Epiphaniae, in quo olim Francorum reges exemplo Magorum aurum thus et myrrham ad altare offerebant. Omnino in diversis ecclesiis in illa festivitate singulares caerimoniae servabantur. Non iniucundum est discere a Martenio usum antiquae ecclesiae Lemovicensis. Cantato offertorio, antequam eant ad offerendam, tres chorarii induti vestibus sericis habentes singuli coronam auream in capite suo, et cyphum deauratum, seu aliud iocale pretiosum in manibus suis ad instar trium Regum, qui venerunt adorare Dominum, ingrediuntur per portam maiorem chori, incedentes cum gravitate, cantantes sequentem prosulam:

O quam dignis celebranda dies ista laudibus,
In qua Christi genitura proponatur gentibus.
Pax terrenis nunciatur, gloria coelestibus.
Novi partus signum fulget orientis patria
Currunt Reges Orientis stella sibi praevia
Currunt Reges et adorant Deum ad praesepia.
Tres adorant Reges unum, triplex est oblatio.

Primus dicit elevando cyphum *Aurum primo*, deinde secundus dicit *Thus secundo*, item tertius *Myrrham dante tertio.* Ordine praedicto primus dicit *Aurum Regem*, secundus *Thus coeleste*, tertius *Mori notat unctio.* Deinde existentes circa medium chori, unus eorum elevat manum ostendentem stellam pendentem in filo, quae antecedit eos, cantando altiori voce. *Hoc signum magni Regis.* Tunc tres simul pergunt versus maius altare cantantes *Eamus inquiramus eum, et offeramus ei munera, aurum, thus et myrrham.* Et vadunt ad offerendam relinquentes ibi sua iocalia. Post haec unus puer psallit retro maius altare, adinstar angeli alloquendo Reges cantat: *Nuncium vobis fero de supernis, natus est Christus Dominator orbis in Bethleem Iudae, sic enim propheta dixerat ante.* Qua visione attoniti reges, et admirantes, redeunt per portam, quae ducit ad sacristiam cantando antiphonam *In Bethleem natus est Rex coelorum.* Nunc sollemnis fit oblatio in corônatione regum, ut est in Pontificali Romano: Dicto Offertorio Metropolitanus residet in faldistonio suo ante medium altaris cum mitra et Rex a suis praelatis et Baronibus associatus venit ante Metropolitanum, coram quo genuflexus detecto capite offert ei aurum, quantum sibi placet, et manum Metropolitani recipientis osculatur. Similiter in coronatione reginae.

XII. XIII. Recte *Binterimius* l. c. p. 386. *Die jetzigen Formulae oder Orationes bei der Darbringung der Hostie und des Kelches waren bis zum 15ten Jahrhundert bei den wenigsten Kirchen angenommen. — — Micrologus bemerkte schon zu seiner Zeit, dass mehr eine Gewohnheit als eine Vorschrift die Gebete bei der Aufopferung eingeführt habe.* Et sane maior est vetustae ecclesiae in his formulis diversitas quam ut omnium ritus afferri possint. Unum sufficiat exemplum Ordinis Coloniensis saeculi XIV.

„Ad praeparationem calicis et hostiae. Ad panem dicat: *Benedicat Dominus hanc creaturam panis: in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Ad vinum: *Ille benedicat hoc vinum, qui in Cana Galilaeae ex aqua fecit vinum.* Ad aquam: *Ille benedicat hanc aquam, de cuius latere exivit sanguis et aqua. Fiat haec commixtio vini et aquae pariter in nomine Patris etc.* Oremus. *Deus qui humanae etc.* Haec collecta iam in Missa Illyrici reperitur. Postea spargat corporale in locum suum et faciat crucem super calicem coopertum, recipiendo dicat: *In Nomine Patris* etc. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi. Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. In spiritu humilitatis* etc. Ad patenam dicit: *Acceptum sit omnipotenti Deo sacrificium altari suo superpositum. Amen.* Collocato utroque

loco suo, extendendo brachia in altum et manus in unum coniungendo dicit: *Veni invisibilis sanctificator omnipotens aeterne Deus, benedic † et sanctifica hoc sacrificium nomini tuo praeparatum. Per etc.*

Neque hodie diversae ecclesiae atque ordines in his orationibus consentiunt. Sic Lugdunenses dicunt, cum aquam infundunt: *De latere Domini nostri Iesu Christi exivit sanguis et aqua tempore passionis: id est mysterium S. Trinitatis. Ioannes Evangelista vidit et testificatus est et scimus quia verum est testimonium eius.* Similiter Hispalenses et Carthusiani secundum Missale anni 1624. Hi S. Brunonis discipuli, qui aquam vino miscendam parvo cochleari excipere solent, inter infundendum haec pronuntiant: *De latere Domini nostri Iesu Christi exivit sanguis et aqua in remissionem peccatorum. In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Et ipsae oblationis formulae apud varios variae sunt. Ritu ecclesiae Lugdunensis cum Sacerdos calicem discooperit ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi. Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo.* Tum accipiendo calicem dicit: *Hanc oblationem quaesumus omnipotens Deus, ut placatus accipias et omnium offerentium et eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge.* Deinde elevat calicem dicens: *In spiritu humilitatis* etc. Nolumus tamen his variarum ecclesiarum varietatibus immorari: sufficiunt quae attulimus exempla.

XIV. XV. XVI. Et in his quae sequuntur Missae partibus diversa est ecclesiarum mens, contrarii mores usque ad Pii V. tempora: neque hodie consentiunt omnes. Discrepant in benedictione incensi, atque in ipsa altaris incensatione. Sollemnissima incensatio per anni circulum fieri consuevit in festivitate S. Michaelis. Tunc enim (ut legimus verbi causa in Constitutionibus Hirsaugiensibus) finito versu Offertorii factaque repetitione *Et ascendit fumus* duo Diaconi accedentes ad maius altare, latus ipsius utrumque incensant, copioso imposito thure. Quo facto accedentes ad posteriora cornua verso ad invicem vultu superiorem altaris partem iugiter incensant, non cessantes donec repetitio Offertorii finiatur. Locum singulari huic caerimoniae dedit Offertorium diei: *stetit angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu sua* etc. Nunc a vulgari incensandi more recedunt Carthusiani: iidem manus tantum lavant in Missis sollemnibus, cum incenso celebrari solitis. In Ordine Coloniensi manus lavant finita Praefatione proxime ante Canonem. In Missali Coloniensi anni 1514 ad abluendum digitos dicitur tantum: *Lavabo inter innocentes manus meas et circumdabo altare tuum Domine,*

Itidem oratio Suscipe Sancta Trinitas apud vetustos saepius dissimilitudinem habet cum ista, quae nunc recepta est. Ordo Coloniensis, de quo supra egimus, habet prolixiorem: Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Domini nostri Iesu Christi et in honorem sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae et omnium coelestium virtutum et sanctorum patriarcharum et prophe-

O quam dignis celebranda dies ista laudibus,
In qua Christi genitura proponatur gentibus.
Pax terrenis nunciatur, gloria coelestibus.
Novi partus signum fulget orientis patria
Currunt Reges Orientis stella sibi praevia
Currunt Reges et adorant Deum ad praesepia.
Tres adorant Reges unum, triplex est oblatio.

Primus dicit elevando cyphum *Aurum primo*, deinde secundus dicit *Thus secundo*, item tertius *Myrrham dante tertio*. Ordine praedicto primus dicit *Aurum Regem*, secundus *Thus coeleste*, tertius *Mori notat unctio*. Deinde existentes circa medium chori, unus eorum elevat manum ostendentem stellam pendentem in filo, quae antecedit eos, cantando altiori voce. *Hoc signum magni Regis*. Tunc tres simul pergunt versus maius altare cantantes *Eamus inquiramus eum, et offeramus ei munera, aurum, thus et myrrham*. Et vadunt ad offerendam relinquentes ibi sua iocalia. Post haec unus puer psallit retro maius altare, adinstar angeli alloquendo Reges cantat: *Nuncium vobis fero de supernis, natus est Christus Dominator orbis in Bethleem Iudae, sic enim propheta dixerat ante*. Qua visione attoniti reges, et admirantes, redeunt per portam, quae ducit ad sacristiam cantando antiphonam *In Bethleem natus est Rex coelorum*. Nunc sollemnis fit oblatio in corônatione regum, ut est in Pontificali Romano: Dicto Offertorio Metropolitanus residet in faldistonio suo ante medium altaris cum mitra et Rex a suis praelatis et Baronibus associatus venit ante Metropolitanum, coram quo genuflexus detecto capite offert ei aurum, quantum sibi placet, et manum Metropolitani recipientis osculatur. Similiter in coronatione reginae.

XII. XIII. Recte *Binterimius* l. c. p. 386. *Die jetzigen Formulae oder Orationes bei der Darbringung der Hostie und des Kelches waren bis zum* 15*ten Jahrhundert bei den wenigsten Kirchen angenommen. — — Micrologus bemerkte schon zu seiner Zeit, dass mehr eine Gewohnheit als eine Vorschrift die Gebete bei der Aufopferung eingeführt habe*. Et sane maior est vetustae ecclesiae in his formulis diversitas quam ut omnium ritus afferri possint. Unum sufficiat exemplum Ordinis Coloniensis saeculi XIV.

„Ad praeparationem calicis et hostiae. Ad panem dicat: *Benedicat Dominus hanc creaturam panis: in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen*. Ad vinum: *Ille benedicat hoc vinum, qui in Cana Galilaeae ex aqua fecit vinum*. Ad aquam: *Ille benedicat hanc aquam, de cuius latere exivit sanguis et aqua. Fiat haec commixtio vini et aquae pariter in nomine Patris etc.* Oremus. *Deus qui humanae etc.* Haec collecta iam in Missa Illyrici reperitur. Postea spargat corporale in locum suum et faciat crucem super calicem coopertum, recipiendo dicat: *In Nomine Patris* etc. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi. Calicem salutaris accipiam et nomen* [illegible] *invocabo. In spiritu humilitatis* etc. Ad patenam dicit: *Acceptum sit* [illegible] *superpositum. Amen*. Collocato utroque

tremunt potestates, coeli coelorumque virtutes ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur supplici confessione dicentes: S.

De sancta Cruce.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, ut unde mors oriebatur inde vita resurgeret; et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, per Christum Dominum nostrum, per quem maiestatem.

In Resurrectione Domini.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, te quidem omni tempore, sed in hac potissimum die gloriosius praedicare, cum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit. Et ideo.

In Ascensione Domini.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus; per Christum Dominum nostrum, qui post Resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit et ipsis cernentibus est elevatus in coelum, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes. Et ideo.

In die Pentecostes.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum, qui ascendens super omnes coelos, sedensque ad dexteram tuam promissum Spiritum Sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis, totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed et supernae virtutes, atque angelicae potestates hymnum gloriae tuae concinunt, sine fine dicentes: S.

De sanctissima Trinitate.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus; qui cum unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto unus es Deus, unus es Dominus, non in unius singularitate personae, sed in unius Trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto sine differentia discretionis sentimus. Ut in confessione verae sempiternaeque deitatis et in personis proprietas et in essentia unitas et in maiestate adoretur

aequalitas. Quem laudant angeli atque archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, qui non cessant clamare quotidie una voce dicentes: S.

De beata Maria.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus; et te in veneratione beatae Mariae semper Virginis laudare, benedicere et praedicare; quae unigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit et virginitatis gloria permanente, huic mundo lumen aeternum effudit Iesum Christum Dominum nostrum. Per quem.

De Apostolis et Evangelistis.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, te Domine suppliciter exorare, ut gregem tuum pastor aeterne non deseras sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti praeesse pastores. Et ideo.

De communi.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum, per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, coeli coelorumque virtutes ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur supplici confessione dicentes: S.

Reliquarum terrarum, Germaniae, Galliae, Angliae etc. ecclesiae ingentem excogitarunt Praefationum numerum: illa enim aetate quisque, indignabundo Radulpho „gaudebat novitatibus suis". Multas habuisse praeclaras testantur libri vetusti: multas ineptas et superstitiosas aeque certum est. Commemorat *C. Schultingius* in Bibl. eccles. II. p. 188 librum vetustum de ritibus antiquis et baptismi et confessionis et praefationibus Coloniae apud Ioannem Soterem anno 1530 editum. *Depromptus est*, inquit, *a doctissimo viro* Henrico Gravio (rectius Gualter Ruys a Gravia) *e bibliotheca Collegii Nermagensis B. Stephani, ubi asservatur volumen divinorum officiorum vel ornatissimis literis descriptum et venerandam ac canam antiquitatem contestans. Inveniuntur in hoc libello Praefationes valde antiquae et piae, numero CCXL. — — hodie ita obliteratae ut earum usus plane interierit. Quoniam autem istae sunt Coloniae impressae anno* 1530 *et sic exemplaria vix amplius haberi possint, propter venerandae antiquitatis studiosos recudi non omnino abs re foret.* Addit *Binterimius: Es ist in der That zu bedauern, dass Schulting uns nicht mehr aus diesem verlorenen Schatze aufbewahrt hat.* At ille Thesaurus non prorsus deperditus est: possidet librum rarissimum Bibliotheca Orphano-

trophei nostri et sane utilis est ad antiquissimos ritus perspiciendum. Tamen quod ad Praefationes, fere omnia Missalia Diocesana, quae ante Tridentini concilii tempora prodiere multas continent proprias: ita ut per totam occidentalem ecclesiam plus quam mille Praefationes in usu fuisse mihi persuasum sit.

Iam nunc strictior ecclesiae disciplina hos luxuriantes Praefationum palmites circumcidit et amputavit: retinuit tamen multas proprias easque excellentissimas ecclesia Gallicana. Ipsa horum carminum eximia indoles mihi necessitatem imponit Romanis Praefationibus addere Gallicanas. Apponimus igitur Praefationes Ecclesiae Metensis proprias, dignas, quae ab omnibus legantur, ab omnibus laudibus celebrentur.

In Adventu.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum: quem perdito hominum generi Salvatorem misericors et fidelis promisisti, cuius veritas instrueret inscios, sanctitas iustificaret impios, virtus adiuvaret infirmos. Dum ergo prope est, ut veniat quem missurus es, et dies affulget liberationis nostrae, in hac promissionum tuarum fide piis gaudiis exultamus. Et ideo.

De S. Stephano.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum, cuius gratia beatus Levita Stephanus Martyrii viam aperiens, Dominicae Passionis praedicator et caritatis fuit imitator. Et ideo.

In Feria quinta in Coena Domini.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum, verum aeternumque Pontificem et solum sine peccati macula sacerdotem: qui in novissima coena formam sacrificii perennis instituens, hostiam se tibi primum obtulit et primus docuit offerri: cuius carne pro nobis immolata dum pascimur, roboramur et fuso sanguine dum potamur, abluimur. Et ideo.

In Festo Corporis Christi.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum, qui remotis carnalium victimarum inanibus umbris, corpus et sanguinem suum nobis in sacrificium commendavit, ut in omni loco offeratur nomini tuo, quae tibi sola complacuit, oblatio munda. In hoc igitur inscrutabilis

sapientiae et immensae caritatis mysterio, idipsum quod semel in cruce perfecit, non cessat mirabiliter operari, ipse offerens, ipse et oblatio. Et nos unam secum hostiam effectos, ad sacrum invitat convivium, in quo ipse cibus noster sumitur, recolitur memoria Passionis eius, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur. Et ideo.

In Dedicatione Ecclesiae.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui hanc orationis domum, quam aedificavimus, bonorum omnium largitor inhabitas et ecclesiam, quam ipse fundasti, incessabili operatione sanctificas. Haec est enim vere domus orationis visibilibus aedificiis adumbrata, templum habitationis gloriae tuae, sedes incommutabilis veritatis, sanctuarium aeternae caritatis. Haec est arca, quae nos a mundi ereptos diluvio in portum salutis inducit. Haec est dilecta et unica sponsa, quam acquisivit Christus sanguine suo, quam vivificat Spiritu suo, cuius in sinu, renati per gratiam tuam, lacte verbi pascimur, pane vitae roboramur, misericordiae tuae subsidiis confovemur. Haec fideliter in terris, sponso adiuvante, militat, et perenniter in coelis, ipso coronante triumphat. Et ideo.

De S. Clemente, primo Metensium Episcopo.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui nos secundum misericordiam tuam magnam de tenebris ad lucem vocare dignatus es, et de potestate satanae ereptos, in filios adoptionis assumere. Tua enim Domine misericordia, tua gratia, verbum fidei in nobis beati Clementis labore seminatum est et meritis foecundatum. Nunc ergo, Pater sancte, confirma hoc, quod operatus es in nobis: et gregem istum, quem Filio tuo donasti, conserva tuae virtutis auxilio, ut sanctificatum in veritate, perfectum in unitate, consummare digneris in gloria: Per eundem Christum Dominum nostrum, per quem maiestatem tuam trementes adorant Angeli et omnes Spirituum coelestium chori socia exultatione concelebrant. Cum quibus.

De Sanctis.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui glorificaris in concilio Sanctorum et eorum coronando merita, coronas dona tua, qui nobis in eorum praebes et conversatione exemplum et communione consortium et intercessione subsidium: ut tantam habentes impositam nubem testium per patientiam curramus ad propositum nobis certamen et cum eis percipiamus immarcessibilem gloriae coronam, per Iesum Christum Dominum nostrum, cuius

Sanguine ministratur nobis introitus in aeternum regnum. Per quem maiestatem tuam trementes.

In nuptiis.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui foedera nuptiarum blando concordiae iugo et insolubili pacis vinculo nexuisti, ut multiplicandis adoptionum filiis, sanctorum connubio foecunditas pudica servaretur. Tua enim Domine providentia, tua gratia ineffabilibus modis, utrumque dispensas, ut quod generatio ad mundi edidit ornatum, regeneratio ad ecclesiae perducat augmentum. Et ideo.

Pro defunctis.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum, in quo nobis spem beatae resurrectionis concessisti, ut dum naturam contristat certa moriendi conditio, fidem consoletur futurae immortalitatis promissio. Tuis enim fidelibus Domine vita mutatur, non tollitur, et dissoluta terrestris huius habitationis domo, aeterna in coelis habitatio comparatur. Et ideo.

Restat, ut adnotemus, ea licentia, quam sequioris aevi religiosi sibi inconsulto usurparant, Hymno Cherubico versus quosdam esse interpositos. Ita exstat interpretatio rhythmica in missa Thomae Aquinati adscripta de sanctissimo Sacramento.

Sanctus. Sanctum divinum mysterium semper declaratur,
Et mens infidelium tremens excaecatur,
Firma spes credentium fide roboratur.

Sanctus. Fides est summopere credere in Deum,
Panem sanctum edere et tractare eum,
lubens dicit: Sumite, hoc est corpus meum.

Sanctus. Panis prius cernitur, sed dum consecratur,
Caro Christi sic mutatur, quomodo convertitur,
Deus operatur Dominus Deus Sabaoth.

De vino similiter si sit benedictum,
Et tunc est veraciter sanguis Christi dictum,
Credamus communiter verum et non fictum.

Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Osanna in excelsis.

Nobis celebrantibus istud Sacramentum,
Et cunctis fidelibus fiat nutrimentum,
Iudaeis negantibus fit in detrimentum.

Benedictus qui venit etc.

XVIII. Innocentius III. Myster. Missalis III, 2 postquam memoravit in Canone recoli memoriam dominicae passionis *Propter quod*, subdit, inter.

Praefationem et Canonem in plerisque Sacramentariis imago Christi depingitur, ut non solum intellectus literae, verum etiam adspectus picturae memoriam dominicae passionis inspiret. Et forte divina factum est providentia, licet sit humana industria procuratum, ut ab ea litera (T) Canon inciperet, quae sua forma signum crucis ostendit et exprimit in figura. Solent autem imagines illae circa pedes esse maculatae atque detersus est aliquantum color ex osculo: nam ut nunc osculantur in principio Canonis altare, tum osculabantur imaginem crucifixi. *Gerbertus* talia osculorum vestigia observavit adhuc in Missali Constantiensi impresso saec. XV., Binterimius in Missali Coloniensi anno 1514 recuso. In Missali Eremitarum S. Augustini Venetiis impresso 1497, quod mihi ad manus est, praemissa est Canoni pictura a consuetis aliquantulum diversa. Repraesentat effigiem salvatoris cruci affixi cum tribus clavibus ac perizonio. Sol et luna, in superioribus tabulae angulis posita mirantur filium Dei. Duo angeli excipiunt sanguinem redemptoris: alter unum calicem deauratum admovet sinistrae, alter duobus calicibus similibus accipit cruorem dextrae ac lateris. Iuxta crucem Maria et Ioannes: crucem amplectitur Magdalena. Osculorum sordem in imagine non deprehendi: praecipue apud Germanos mos ille divulgatus fuisse videtur. Ita in Ordine Coloniensi saec. XIV.: Tunc osculatur altare et crucifixum dicens: *Adiuva Domine infirmitatem meam, quia imperfectum meum viderunt oculi mei.* Postea ecclesia hanc consuetudinem suppressit: expunctae sunt insuper diversae oratiunculae, quae in diversis libris Canoni praemittuntur. Nam ut Bonae hoc concedamus, haec semper summorum Pontificum cura fuit, ne quid irriperet inordinatum, superfluum aut superstitiosum.

Christianos ex antiquissimis temporibus in liturgiis preces fudisse pro Imperatore, Regibus et omnibus qui in sublimitate sunt (I. Timoth. II. v. 2), quis est, qui nesciat. Testes sunt Tertullianus, Arnobius, Origenes atque innumeri alii. Quando ex Diptychis commemoratio fiebat vivorum, nomine Imperatoris vel Regis prolato, orabant fideles ut mittat ei Dominus auxilium de Sion eumque salvum faciat. Ubi Diptychorum usus obsolevit, nomen Regis intersertum est primae Canonis Orationi post nomina Papae atque Episcopi: raro Episcopum antecedit. Adeas Missalia medii aevi quaecunque velis: perpaucis exceptis obvium tibi erit nomen Imperatoris vel Regis. Tanquam Apostolicam traditionem hanc Regis in Canone Commemorationem laudat et commendat Innocentius III. in libro de Mysteriis Missae. Merito igitur miramur, nomen Principis in plurimis hodierni temporis Missalibus esse praetermissum. Qua ratione et via haec pessima consuetudo in ecclesiam Romanam irrepserit, docte et subtiliter exponit *Binterimius* in laudatissima Disquisitione „*Ueber das Gebet für die Könige und Fürsten in der Liturgie*“, qua *Pelliciae* librum non solum fecit germanicum, immo auxit et locupletavit. (Adiecta est velut appendix parti secundae tomi quarti archaeologiae suae christianae: „*Der*

Papst gab 1570 *ein neues Messbuch heraus, dem er auch die Bulle über die Verbesserungen desselben vordrucken liess. Es war hauptsächlich bearbeitet für die römische Kirche und für jene Kirchen, die zum römischen Bezirk gehören. Weil nun aber in Rom der Papst zugleich und allein Regent ist, so hielt man es nicht nur für überflüssig, sondern auch für unanständig, die Formel et pro Rege nostro einzurücken. Allein die andern Kirchen, die zum weltlichen römischen Gebiete nicht gehören, nahmen das römische Missal unbedingt an, ohne dass sie diesen Punkt berücksichtigten. So ging der Name der Regenten, anfangs auf eine unbedachtsame Art, nachher vielleicht auch mit Vorsatz aus dem Canon verloren. Was aber anfangs ohne Wissen des Papstes unbedachtsamer Weise war eingeführt worden, gewann durch die Länge der Zeit ein gewisses Ansehen; daher kam es, dass einige lehrten, nicht anders als aus einem besonderen Privilegium des Papstes dürfe der Name des Königs im Canon genannt werden. Diese aus einer schändlichen Unwissenheit hervorgegangene Meinung schämten sich nicht andere neuere Rubricisten nachzuschreiben. — — Doch wir wollen uns bei dergleichen Erdichtungen nicht aufhalten, sondern vielmehr aus den damaligen bewährtesten Autoren nachweisen, dass, selbst nach der Verbesserung durch Pius V. im Messcanon der Name des Königs ist beibehalten worden, wie so viele spanische, französische und deutsche Missalia aus dem sechszehnten und siebzehnten Jahrhundert beweisen.*" Utinam haec aurea verba inculcare possim obturatis auribus fanaticorum et pessimorum hominum, quos pacem ecclesiae misere disturbare non sine lacrimis video. Sunt enim qui ne catholici quidem principis nomen admittant in Canone, Pharisaico fastu magis tumentes quam luce evangelii collustrati. Sunt qui nefariam illam regii nominis rapinam publice confiteantur, immo defendant. Acatholicos principes ab hominibus huiuscemodi farinae minime dignos haberi, qui in Missa nominentur, facili assequimur coniectura. *Binterimius*, quem nemo unquam vocavit Latitudinarium vel Syncretistam, in Dissertatione supra commemorata, laudabili studio in hos zelotas invehitur: *Die Frage einiger unzeitigen Eiferer neuerer Zeit muss sonderbar in dem Ohre eines wahren Katholiken klingen: Ob man auch für einen nichtkatholischen Landesfürsten beten soll? Sie steht mit der Frage in der engsten Verbindung: Ob ein nicht katholischer auch ein rechtmässiger Regent sein könne? Die zweite Frage wird Niemand verneinend beantworten, aber damit beantwortet sich auch die erste Frage.*" Vetusti Deum invocabant pro Neronibus atque Deciis: neoterici illi enthusiastae ac υἱοὶ βροντῆς nolunt orare pro baptizatis. Baptizet eos Dominus Deus spiritu atque igni veri amoris, verae et infucatae caritatis, ut obtusa acies cognoscat, quid sit ecclesiae utile, quid beneplacitum Deo.

XIX. XX. XXI. XXII. Iam supra disseruimus de additamentis et interpolationibus his orationibus factis apud antiquos: neque in medii aevi Missalibus

unanimi consensu exhibentur. Quod investigavit *Martenius* in Sacramentario Carthusiae Longipontanae: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum propter pietatem tuam Deus meus in bonum et deleas peccata mea gravia, et efficias me toto orbe devotum et patris mei* etc., multis aliorum librorum comparari potest exemplis. Item accuratius disputatum est, formulam illam, p r o q u i b u s t i b i o f f e r i m u s, sequiori aetate ad Canonem accessisse. Recte monet *Gerbertus* in Alemanicis antiquioribus haud reperisse, nisi quandoque recentiori manu in ora paginarum additum. Ipse multos vidi libros saeculi decimi quinti adeoque sexti, illius formulae nescios, e. g. Missale secundum consuetudinem fratrum ordinis Cisterciensis, quod prodiit 1487. Nunc ad splendorem summarum festivitatum paucula adiici in C o m m u n i c a n t e s et H a n c o b l a t i o n e m in ipsa Tabula quadripartita diximus.

XXII. Primo notandum est, in quibusdam libris ipsi Consecrationis formulae praemissam esse orationem παρασκευαστικήν vel Intentionem, ut dicebant. Referenda huc sunt, quae in ordine Missae monasterii Ursinensis saec. XV. habentur: „Intentio ante consecrationem, quae tamen dicitur sine strepitu verborum. *Intendo nunc clementissime Deus consecrare panem in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi in memoriam passionis et mortis eius per verba eiusdem salvatoris nostri Iesu Christi. Qui pridie.* Porro diversa erat ecclesiarum consuetudo atque institutum in ritu elevationis. Binterimius l. c. p. 431: *Der alte Kölnische Ordo hat bei den Worten accepit panem die Rubrik: hic levat hostiam und vor der Consecrationsformel bei den Worten: accipite et manducate: hic levat altius. Dieser Ritus war im XI. bis zum XIV. Jahrhundert in Deutschland fast allgemein, obschon er mehrmal von den Concilien ist verboten worden. Die Synode von Trier* 1227 *sagt: Hostia ante transsubstantiationis verba non elevetur ad populum (Tom. III. Concil. Germ. p.* 527). *So auch die Synode von Köln* 1287*: Nullus Sacerdos elevet hostiam ad ostendendum populo, nisi postquam dixerit haec verba: Hoc est enim Corpus meum, et pulsetur nola tribus ictibus ex una parte, ut fideles, qui audierint, ubicunque fuerint veniant et adorent l. c. d.* 662. Nunc uno eodemque modo fit elevatio. Missale Carmelitarum post elevationem calicis recitari praecipit diebus ferialibus Quadragesimae in Missa conventuali Psalmum: *Deus venerunt gentes* cum hac oratione: *Pientissime Deus, qui iniquitatem ad te conversorum non recordaris, sed eorum gemitus clementer exaudis: respice templa tua infidelium manibus profanata et tui electi gregis afflictionem. Reminiscere haereditatis tuae effusione pretiosissimi sanguinis tui unigeniti acquisitae; vineamque tua plantatam dextra, quam ferus aper exterminare conatur, ferventer visita: ac illius cultores adversus devastantium rabiem tua virtute corrobora, victores effice, in eaque bene operantes tui fac regni possessores. Perteundem.* Diebus vero Dominicis et festis eodem

loco dicunt Psalmum: *Laetatus sum* cum orationibus *Ecclesiae tuae. Hostium nostrorum. Deus a quo sancta desideria.*

XXIII. XXIV. XXV. XXVI. Pauca sunt quae ad haec capita adiicienda videntur. In collecta Supplices olim indulgebatur sacerdoti, ut apud se orare possit, quaecunque voluerit. Sic in missali saec. XII. Einsidlensi: „Supplices te rogamus. *Hic orat apud se inclinatus, quae velit. Deinde* Iube." Similia in aliis legit *Gerbertus.* Item in multis libris Alemanicis prolixae et verbosae reperiuntur preces ante Memento pro Defunctis, de quibus iam supra lectorem admonuimus p. 79. In Msc. Sublacensi anni 1075 haec habentur: *Memento mei Domine peccatoris et miserere. Haec tibi, sancte Pater, licet meis manibus offerantur indigne, qui nec invocare sanctum ac venerabile nomen tuum dignus sum: sed quia per sanctum atque sanctificatum Filii tui nomen offero sicut incensum in conspectu tuo, cum odore suavitatis ascendant. Per eundem Dominum nostrum.* Alia apud alios leguntur. In Collecta pro Defunctis multorum librorum Alemanicorum est scriptura: famularumque tuarum N. et eorum qui.

XXVIII. XXIX. XXX. Missale Romanum ad verba: Est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria, parum elevari iubet calicem cum hostia. Haec Elevatio, quae minor dicitur apud Rubricistas, diverso ritu peragebatur in antiquis ecclesiis et nunc peragitur in Gallia. Narrant enim de Vert ac De Moleon, apud nonnullos hic fieri sonum cymbali, genuflecti atque incensari; Viennae ac Lugduni hanc elevationem fieri cum reverentia sub ipsa oratione dominica ad verba sicut in coelo et in terra, apud Lingonos vero ad verba Panem nostrum. Alium ritum commemorat Binterimius l. c. p. 457: *In der Diöcese Köln herrschte im XIV. Jahrhundert ein sonderbarer Ritus. Der Priester drehte sich in einem Kreise herum und zeigte dem Volke die h. Hostie. Davon findet man zwar Nichts in den Kölnischen Missalen, aber die Christianitäts-Statuten von Xanten verbieten: Ne aliquis post consecrationem factis signis vel per ipsum et cum ipso etc. retrorsum corpus Christi populo videndum ostendat. Nam ex hoc periculum evenire possit, nec est de institutione canonum. Quia Christus in cruce elevatus fore creditur, quam haec elevatio corporis Christi in altum designat. Nec simile post Agnus Dei in sumptione faciendum. Dieser Ritus hatte sich nichts destoweniger bis zum siebzehnten Jahrhundert in der ganzen Provinz erhalten. Denn der päpstliche Legat Frangipani berührt ihn noch als bestehend in seinem Directorium, das im Jahre* 1596 *geschrieben ist.* Ipse vidi Vindobonae in Mechitaristarum sacello hostiam girando in altum tolli, ac per semicirculum populo videndam exhiberi: tamen qua in parte Missae hoc factum sit, non teneo memoria. Sane vero ritus ille Coloniensis nobilissimam refert originem ad orientalium ecclesiarum vetustas consuetudines.

XXXI. XXXII. Mittimus diversa diversorum Sanctorum nomina in Oratione **Libera** usque ad saeculum decimum sextum adiecta, tacemus minutas et angustas de ritu confractionis concertationes et dissonas apud medii aevi homines in his caerimonias. Graviora sunt, quae refert *Bona* l. c. II. c. 16: *Nicolaus III. ad impetrandam pacem inter Principes Christianos statuit in Missa sollemni, postquam Sacerdos dixit Pax Domini sit semper vobiscum ante Agnus Dei cantari Psalmum Laetatus sum cum aliquot versiculis et Collecta pro pace. Idemque constituit Ioannes XXII. pro tollendo schismate, ut testatur Angelus Rocca in Paralipomenis commentarii de campanis.* Idem Psalmus cum precibus exstat in Missali Cisterciensi dicendus post Pater noster pro pace ecclesiastica et temporali. Missale Sarisburiense editum Parisiis anno 1555 in Quadragesima et certis feriis tres psalmos dici decernit antequam dicatur *Pax Domini*, nempe *Deus venerunt gentes. Deus misereatur. Domine in virtute tua*, cum Antiphona *Tua potentia* et post eam precibus ac tribus orationibus, quarum prima est pro recuperatione Terrae sanctae, altera pro Pontifice, tertia pro rege. In libro Sacramentorum Romanae ecclesiae ante annos nongentos scripto post salutationem *Pax Domini* etc., haec ex usu illorum temporum adnotantur: „*Post haec commonenda plebs pro ieiuniis quarti, septimi et decimi mensis temporibus suis: sive pro scrutiniis vel aurium apertione: sive orandum pro infirmis vel annuntianda Natalitia Sanctorum.* Exemplo sit Denuntiatio pro Natalitiis Sanctorum:

Noverit vestra devotio sanctissimi fratres, quod B. Martyris illius anniversarius dies intrat, quo diaboli tentationes exsuperans universitatis creatori gloriosa passione coniunctus est. Ideoque Dominum collaudemus, qui est mirabilis in sanctis suis, ut qui illis victoriae coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In illo igitur loco, vel in illa via, illa feria hanc eandem festivitatem solita devotione celebremus.

Antiqua olim fuit consuetudo, ut post Pater noster et Pax Domini locum haberent in Missa ante Communionem sollemnes **Benedictiones Episcopales**, apud Gallos et Mozarabes, ex Gallicanae ecclesiae imitatione tamen in Romanum ritum passim invectae. Legimus quidem in Secundo Ordine Romano apud Mabillonium, quae huic sententiae contraria esse videntur: Cumque Episcopus Pater Noster finierit, accipiens Archisubdiaconus patenam ab acolytho, offeret eam Archidiacono. Ille autem, ut Episcopus dicit: *Da propitius pacem*, patenam illi accommodans, humerum eius osculetur, statimque Episcopo dicente *Per omnia saecula saeculorum* accipiat benedictionalem librum et conversus ad populum dicat: *Humiliate vos ad Benedictionem* et Clero respondente *Deo gratias* porrigat Episcopo librum. Expleta autem benedictione veniens Presbyter accipiat benedictionem ab episcopo. At vero *Mabillonius* recte statuit haec ex ritu Gallicano in librum Romanum intrusa esse, cum ipse Zacharias Pontifex in epistola ad S. Bonifacium missa hunc benedicendi ritum ante Com-

munionem vituperet et damnet, utpote ab apostolica traditione alienum. Utut est, longe lateque haec consuetudo per ecclesias Galliae et Germaniae propagata erat. Permulti Codices habent in calce Benedictiones episcopales, pro festorum varietate diversas. Gabriel Biel adhuc agit de hac benedictione sollemni lectione LXXXIX. *Gerbertus* in Pontificali monasterii Murensis anni 1508 investigavit sollemnem Benedictionem ante Agnus Dei positam in festivitate S. Ioannis. *De Moleon* in itinere liturgico in nonnullis Galliae ecclesiis eundem ritum observavit. *Martenius* refert, anno 1724 Leodii in festo S. Lamberti (Patroni urbis) se praesentem missae pontificali benedictionem hoc loco ante *Agnus Dei* percepisse. Num hodie uspiam ita benedicatur, pro certo non habeo.

In formula Haec commixtio etc. plurimi veteres omittunt vocem sane superfluam atque ambiguam et consecratio. In Missali Cisterciensium anni 1487 sic habetur: *Haec sacrosancta commixtio — — fiat mihi et omnibus sumentibus salus mentis et corporis ad vitam aeternam promerendam et capessendam praeparatio salutaris.* Carthusiani totam precationem repudiant, omnino in hoc Missae capite singulares. Orant enim semel Agnus Dei pro vivis, semel pro Defunctis: dein praetereunt orationem: Domine Iesu Christe qui dixisti, in multis variant sequentem Domine Iesu Christe fili Dei vivi, ac repetunt Agnus Dei bis pro vivis, semel pro Defunctis. Sed iam supra monuimus, ecclesiam olim non unum eundemque ritum servasse in decantando Agnus Dei. Multi igitur libri non discrepant a Carthusiana religione vel alia ratione ab hodierno usu dissentiunt.

Cantum Agnus Dei privata licentia olim interpolatum esse non est quod repetamus. *Bona* in antiquo libro legit hunc tropum:

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, crimina tollis, aspera mollis, agnus honoris miserere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi vulnera sanas, ardua planas, agnus amoris miserere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, sordida mundas cuncta fecundas, agnus odoris dona nobis pacem.

Rupertus Tuitiensis de div. offic. c. 17 habet hoc additamentum: *Qui sedes ad dextram patris miserere nobis.* Ita invenit *Gerbertus* in Codice Weingartensi. In San-Gallensibus obvii erant Viro Docto „Versus super Agnus Dei in summis festivitatibus.“ In Bibliotheca sua San-Blasiana similia legit v. c. versus super Agnus Dei cum Biscantu: *Summe Deus rex coelorum, vera salus fidelium, ave panis angelorum vera salus peccantium.* De Musica sacra I. p. 456 sq.

XXXIII. Quantum ad Missae capita novissima, saeculo demum decimo sexto ita legum sanctionibus custodita est disciplina, ut nunc plurimae ecclesiae cum Romana fere in omnibus conspirent. Sane ubique antiquitus recepta erat Oratio Domine Iesu Christe qui dixisti, quae occurrit in Missa Illyrici:

at vero in Pace danda, quam varii fuerint ritus nunc paucis aperiam. Apud vetustos Christianos osculum signum erat mutuae dilectionis et pacis, a quo procul aberat omnis suspicio impuri affectus. Verum aetate Amalarii *viri et feminae sequestratae erant in ecclesia non solum ab osculo carnali sed et situ locali.* Veteri tandem simplicitate paullatim in malitiam degenerante, subtractum est osculum et eius vice mos introductus est porrigendi tabellam cum crucis vel Christi imagine, quam Osculatorium vocabant. Hanc dum primum Sacerdos, tum reliqui osculantur, eandem mutuam caritatem et fidem se habere testantur, quae olim per osculum indicabatur. Alii mutuo amplexu idem munus persolvunt. Osculum oris adhuc vigebat tempore Innocentii III., qui de eo loquitur Myst. Missae VI, 5, atque hinc inferre probabiliter possumus osculi consuetudinem permansisse, donec a Fratribus Franciscanis plerique ritus ecclesiae Romanae sublati aut immutati sunt. Ex *Binterimii* sententia illa osculatoria primum apud Anglos erant in usu l. c. p. 487. Qua ratione ac formula nunc Pax impertiatur fidelibus in ipsa tabula ostendimus p. 77: addamus necesse est antiquarum ecclesiarum exhortationes et supplicationes. Ex lege Ordinis Coloniensis saec. XIV. Sacerdos dat Pacem dicens: *Habete vinculum pacis et caritatis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Christi. Pax Christi et ecclesiae abundet in cordibus vestris:* ad apicem convenit cum hoc ordine Missa Illyrici. In Missali anni 1418 haec legit *Gerbertus:* Osculato altari et libro dicat: *Pax Christi et ecclesiae maneat semper in cordibus nostris. Amen.* Postea. convertens se ad circumstantes dicat: *Habete etc.* Et accipienti a se osculum dicat: *Pax tecum.* Et respondeat: Et cum spiritu tuo. In Missali Augustano anni 1510 adnotatur: Post Orationem: *Domine Iesu Christe* etc. dat osculum altari dicendo: *Pax Christi et ecclesiae abundet in cordibus vestris. Habete vinculum pacis et caritatis.* Da osculum Crucifixo. *Ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Christi. Pax tibi et ecclesiae.* Et hoc tantum dicatur, quando minister recipit a sacerdote osculum pacis. Eadem inveni in Missali anno 1500 impresso. Missale Halberstadense anni 1511: *Habete* etc. *Pax tibi. Pax Christi et ecclesiae abundet et regnet in cordibus nostris.* Neque hodie omnes ecclesiae in pacis formula consentiunt. Missale Metense anni 1778: *Pax tibi frater et ecclesiae sanctae Dei.*.

Monet *Gerbertus* in nonnullis libris hoc loco fieri Denuntiationes ieiuniorum etc., quas § XXXII commemoravimus.

XXXIV. XXXV. Utraque Oratio est pervetusta. Occurrunt in Missa Illyrici et in aliis perantiquis libris. Tamen tantum abest, ut ab omnibus ecclesiis medio aevo receptae sint, ut potius in permultis libris desiderentur, in aliis secunda manu ad marginem adnotentur. *Binterimius* l. c. p. 488: *Es herrscht in den Missalen eine grosse Verschiedenheit, woraus man schliessen will, diese Gebete seien dem Gutbefinden und der Frömmigkeit des Priesters überlassen gewesen.*

XXXVI. Quam modo adnotavimus librorum varietas conspicitur quoque in omnibus quae pertinent ad Communionem Sacerdotis et populi. Formula illa praeclarissima, quae multum habet devotionis, Domine non sum dignus etc. haud facile invenies in libris medii aevi, si excipias unum Codicem Muratorii Mutinensem, anxie scripturam retinentem — *et sanabitur puer meus*. *Binterimius* in Missali Coloniensi anni 1514 precationem vidit: vergente saeculo decimo sexto ad finem in omnibus fere ecclesiis usitatam fuisse demonstrat Patrum nonnullorum in Concilio Tridentino iusta querimonia: *Quidam stulti devoti, quando ventum est ad illa verba Agnus Dei et Domine non sum dignus ita magno impetu pectus tundunt, ut indignati in se ipsos saevire velle videantur. At tunsionem ipsam levem esse decet, ne indignationis potius, quam humilis compunctionis significationem prae se ferat.* (*Le Plat Monum. V. p.* 433.) At vero in aliis quoque ritus hodiernus tantam a pristino habet dissimilitudinem, ut necesse videatur nonnullas Communionis sacerdotalis formulas diligenter exscribere.

Ordo Coloniensis saec. XIV.: Ad sumendum Corpus: *Averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates dele. Cor mundum crea in me Deus et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Dum sumit, dicat: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam et corpus meum in vitam aeternam. Amen.* Dum sanguinem sumit, dicat: *Sanguis Domini nostri Iesu Christi sit mihi remedium sempiternum in vitam aeternam. Amen.*

Missale Halberstadense anni 1511: *Deus propitius esto mihi peccatori. Panem coelestem etc. Corpus Domini nostri Iesu Christi proficiat mihi peccatori et omnibus fidelibus vivis et defunctis in remissionem omnium peccatorum et conservet nos in vitam aeternam.* Ad Calicem: *Sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat mihi peccatori et omnibus fidelibus defunctis et conservet nos in vitam aeternam. Amen.*

Missale vetustum circa 1500 inpressum: *Panem coelestem accipiam de mensa Domini et nomen eius invocabo. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed salvum me fac et salvus ero, quoniam laus mea tu es. Perceptio Corporis tui, Domine Iesu Christe, quam ego indignus sumere praesumo, non mihi veniat ad iudicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit omni sanctae ecclesiae ad perpetuam pacem et mihi ad tutamentum mentis et corporis. Qui vivis. Corpus Domini nostri Iesu Christi sit mihi ad remedium sempiternum, in vitam aeternam, in remissionem omnium peccatorum meorum. Amen. Ave in aeternum calicis potus, mihi ante omnia et super omnia dulcis. Quid retribuam etc. Communicatio et confirmatio sancti sanguinis tui Domine Iesu Christe sit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum et conservet me ad vitam perpetuam.*

Bona ex Missali Sarisburiensi atque Missali Romano MS., quod ei ostendit Camillus de Maximis Patriarcha Hierosolymitanus haec exscripsit: *Deus*

Pater, fons et origo totius bonitatis, qui ductus misericordia unigenitum tuum pro nobis ad infirma mundi descendere et carnem sumere voluisti: quem ego indignus hic in manibus meis teneo, te adoro, te glorifico, te tota mentis ac cordis intentione laudo et precor, ut nos famulos tuos non deseras, sed peccata nostra dimittas, quatenus tibi soli vivo ac vero Deo puro corde et casto corpore servire valeamus. Tum proxime ante Communionem: *Ave in aeternum sanctissima caro Christi, mihi ante omnia et super omnia summa dulcedo.* Et ad sumptionem sanguinis: *Ave in aeternum coelestis potus mihi ante omnia et super omnia summa dulcedo.*

At non tantum verbis sed ritibus quoque Communio apud antiquos ab hodierna recedebat. Nosti ecclesiae orientalis morem, hostia consecrata, antequam sumatur tangere os, oculos, frontem, vultum denique, commendatum a Cyrillo in Catechesi vigesima tertia. Hanc caerimoniam huc atquè illuc latinam ecclesiam invasisse haud facile est ad credendum: laetamur tamen eam abrogatam et reprobatam, cum non longe absit a superstitione. Recte igitur vetant Statuta ecclesiae Suessonensis (*Martene Ampl. Coll. VIII. p.* 1541), ne quis corpore Christi tangat oculos vel os. Alia consuetudo magis placet. Voluit vetus ecclesia, ut, retenta nominis *Communionis* vero significatu, non solus Celebrans sacramenti particeps fieret, sed cum aliis acciperet sacra dona. Itaque quando non aderant, qui ex populo ad mensam Domini accederent, saltem Diaconus et Subdiaconus communicarunt cum Celebrante. Semper hic mos observabatur in Missa pontificali, unde in Missa Illyrici haec habentur:

Deinde Presbyteris et Diaconis corpus in manus accipientibus et communicantibus, dicitur singulis: *Pax tecum.* Respondetur: *Et cum spiritu tuo* Vel: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Calicem vero cum sacrosancta commixtione dando unicuique dicat: *Haec sacrosancta commixtio corporis et sanguinis D. N. I. C. prosit tibi ad vitam aeternam.* Subdiaconis autem ac alii Clero communicet hoc modo dicens: *Perceptio corporis et sanguinis D. N. I. C. sanctificet corpus et animam tuam in vitam aeternam. Amen.* Conferas gravissimum locum *Gerberti* L. A. I. 388: *Apud Graecos constanter diaconus saltem in Missa communicat, ut observat De Moleon. Eundem Martenius in itinere literario notat usum in ecclesia cathedrali Cadonensi. Cluniaci et apud S. Dionysium etiamnum moris est, diaconum et subdiaconum etiam sub utraque specie communionem sumere in sollemnibus missis, fuitque apud nos paucis abhinc saeculis adhuc frequentatum: id quod etiam Rituale Rothomagense testante De Moleon fieri peroptat.*

Reliquum est, ut transscribamus *Bonam*, optimum *Communionis Papalis* interpretem. Summus Pontifex cum sollemniter celebrat, sedens communicat hoc modo. Data pace Episcopo et duobus Diaconis assistentibus, qui os eius et pectus osculantur, ascendit ad sedem suam, comitantibus ipsum Diaconis et Episcopis. Tum Diaconus Evangelii apud altare patenam cum Sacramento

reverenter accipiens, ambabus manibus in altum elevat usque ad oculos, habentem desuper auream stellam cum nominibus XII Apostolorum, ne hostia labi possit. Et primo vertit se ad latus Epistolae cum summa gravitate et per eandem viam revertitur ad medium altaris: postea eodem modo vertit se ad latus Evangelii, ubi Subdiacono genuflexo patenam tradit cum Sacramento. Tum surgit Subdiaconus, et ipse Diaconus flectit genua, donec ille discesserit portans Sacramentum Pontifici, qui ei advenienti profunde inclinat, ac ipsum reverenter adorat. Subdiaconus vero cum pervenerit ad Pontificem stat rectus ad eius sinistram. Post haec Diaconus, accipiens calicem parvo velo aureo coopertum eodem modo se vertit ad utrumque latus altaris, sicut cum patenam tenebat: et inde cum ipso calice ad dextrum latus Pontificis accedit. Pontifex vero sumit unam partem hostiae, et aliam in duas partes dividit pro communione Diaconi et Subdiaconi. Sumpto autem a Pontifice Christi corpore Episcopus Cardinalis assistens porrigit ei calamum aureum, quo sanguinis partem sugit, residuum dimittens pro Diacono et Subdiacono. Tum Pontifex communicat Diaconum stantem et tenentem dextra manu calicem, calamum sinistra: qui accepto corpore Christi faciem Pontificis osculatur et reversus ad altare partem sanguinis sugit. Eodem modo corpus Christi porrigit Pontifex Subdiacono coram se genuflexo et patenam tenente, qui et ipse ad comma altaris accedens residuum sanguinis cum calamo sugit. Unus autem ex ipsis particulam hostiae, quae calici de more immissa fuerat, ad labia ipsius calicis retrahit et sumit.

XXXVII. Constat in antiqua ecclesia intra missarum sollemnia omnem populum ordine suo communicasse. Tepescente successu temporis fervore, cum plerumque Celebrans tantum Sacramentum sumeret, orta est doctrina de spirituali laicorum communione. Posteriori aevo ipsa communio fidelium ante vel post Missam invaluit, non sine magna rituum ecclesiasticorum perturbatione, ut conqueritur *Bona*. Nam Orationes, quae post Communionem sunt, semper ita sunt compositae, ut multitudinem communicantium significent. Quapropter Rituale Parisiense anni 1697 communionem Cleri et fidelium intra Missam praescribit teste De Moleon, qui idem alibi quoque observari testatur.

Distributionis formula variat apud antiquos. In vita Gregorii apud Ioannem Diaconum legitur, matronam quandam cum Gregorius mysteria illi tradens, diceret: *Corpus Domini nostri conservet animam tuam*, subrisisse ac dixisse: Id quod ego obtuli corpus Christi vocas. Ubi nota, sollemnia verba fuisse Sacerdotum tradentium panem et vinum: *Corpus et Sanguis Domini conservet animam tuam.* Porro sancitum est in Concilio Rothomagensi saec. IX. congregato: *Nulli laico aut feminae Eucharistiam in manibus ponat* (ut olim fieri solebat), *sed tantum in os eius cum his verbis: Corpus Domini et Sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum et vitam aeternam.* Apud Radulphum: *Corpus et Sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in vitam aeternam.*

Amen. Haec verba tenet adhuc Agenda Moguntinensis Urielis archiepiscopi anni 1513. Formula autem illa *Corpus et Sanguis etc.* adhiberi solebat, quando Communio sub una tantum specie iam dari consuevit. Inter opuscula Thomae Aquinatis est quoddam de officio Sacerdotis n. 65, in quo sic ritus communicandi praescribitur: *Quando communicat sanum vel infirmum, debet in porrectione sacrae Eucharistiae facere signum crucis cum ipsa hostia in facie recipientis, dicens Corpus et Sanguis etc. Sanguis enim datur cum corpore per modum unionis.* Consentio cum *Gerberto* L. A. I. p., 397 hanc formulam adhibitam esse, cum primum communio sub una specie inoleverit; postea enim nullum eius quoad sciam exstat vestigium. In Ordine Coloniensi saec. XIV.: *Corpus Domini nostri Iesu Christi conservet animam et corpus tuum in vitam aeternam. Amen.* Saeculo decimo sexto praeterlapso ubique formula Romana hodierna recepta est. Narrat tamen De Moleon Parisiis apud B. Virginem et Aureliani, qui communicent de manu Sacerdotis, ad verba: *Corpus Domini nostri Iesu Christi*, respondere *Amen* iuxta vetustissimum usum ecclesiae Graecae et Latinae.

Sed, quod rei gravitas postulare videbatur, tres adieci communicandi formulas prolixiores, diverso tempore in ecclesia usitatas.

Ex Missali MS. Benedictoburano saec. XV. apud Gerbertum L. A. I. p. 394.

Post primam purificationem Sacerdotis fratres dicunt *Confiteor.* Tunc Sacerdos dicit *Misereatur* et *Indulgentiam.* In fine addit: *Pro poenitentia salutari dicatis Pater Noster vel Ave Maria.* Dein Sacerdos recipit particulas super patenam et vertens se ad communicantes cum sacramento facit largam crucem. Tunc communicandi ter dicunt *Domine non sum dignus.* Quo expleto Sacerdos dicit: *Accipite fratres viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui vos custodiat ab hoste maligno et perducat animas vestras in vitam aeternam. Amen.* Et faciens crucem ante quemlibet communicantem dicit: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.* Post fratrum Communionem acolythus praeparatum vino calicem singulis offert flectentibus ad dextram secundum ordines suos.

Ex Agenda Wolfgangi Archiepiscopi Moguntini anni 1590.

Initium dum S. Eucharistia publice in ecclesia administratur fiat per Sacerdotem exhortatione hac: *Allerliebste* vel *Allerliebster in Christo* etc. Sacerdos germanice dicat Confessionem generalem, admoneat communicaturos ut in genua procumbant eandemque secum dicant: *Ich armer Sünder etc.* Dein dicat *Misereatur etc.* et *Indulgentiam etc.* Ad Eucharistiam conversus, candelis accensis, inclinatus Eucharistiam adorandam exhibens ter dicat: *Domine non sum dignus etc.* Vel dicat germanice: *Schlaget an eure Brust und sagt mir nach: Herr*, idque ter, *ich bin nicht würdig, dass du etc.* Porrigens sin-

gulis dicat: *Corpus Domini custodiat etc.* Oratio: *Deus qui nobis sub Sacramento etc.* post Communionem. Conversus ad populum benedicat: *Benedictio Dei † Patris et Fi † lii et Spiritus † Sancti descendat etc.* — Quotiescunque defertur S. Eucharistia ab uno loco ad alium 1) candelae accensae praeferri ac sonitus campanulae audiri debent, 2) flexis genibus Eucharistia accipienda atque habeatur mappa munda inter communicantem et Sacerdotem. 3) Praebeantur in vase honesto ablutio ab honestioribus et mappa munda ad os abstergendum. 4) Percepta S. Eucharistia memores Passionis Domini non statim recedant ex ecclesia.

Ex Rituali Ioannis Philippi Archiepiscopi Moguntini 1671.

Minister flexis genibus nomine populi dicat: *Confiteor Deo etc.* Sacerdos: *Misereatur* et *Indulgentiam. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit etc.*, dum duobus digitis ostendit sacramentum. *Siehe das Lamb Gottes: siehe der hinwegnimmt etc.* Hoc ter repetat. Distribuens incipiat ex parte Epistolae. Distribuens unicuique porrigendo Sacramentum faciat signum crucis super pixidem cum Sanctissimo dicat: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat etc.* Sacerdos peracta distributione reversus ad altare dicere poterit Antiphonam *O sacrum convivium etc.* et Orationem: *Deus qui nobis etc.*, tempore Paschali: *Spiritum nobis Domine etc.* Ablutione digitorum facta reponat Sacramentum et extenta manu benedicat iis, qui communicarunt. *Benedictio Dei omnipotentis* etc. unam crucem formando. Communio intra Missam statim post Sacerdotis communionem fiat: finita ea non detur Benedictio. —

Gerbertus De Mus. Sacr. I. p. 458 sq. optime exponit, quales fuerint cantilenae, quae olim inter communicandum ab choro cantari consueverint. Memoratu dignissimus est locus Membranae Argentinensis saec. X. vel XI: *Communicantibus etiam primum canitur canticum* Agnus Dei, *ut fideles quique corporis et sanguinis Domini communicantes, quem percipiunt ore, hauriant modulatione ut scilicet, quem gustant quodammodo versum in corporalem cibum, recolant esse crucifixum, mortuum ac sepultum et eum exorent, tollere peccata sua, quem ad hoc venisse omnis confitetur ecclesia. Canitur etiam illi adiunctum aliud carmen, quod* Communio *vocatur, ut quamdiu populus fidelis suscipit coelestem benedictionem, dulcissima modulatione mens eius trahatur in sublimem contemplationem.* Antiphona, cui nomen est Communio, nunc brevis est, unum plerumque versiculum scripturae continens; olim excipiebat illam integer Psalmus inter communicandum decantatus. Passim apud De Moleon in itinere liturgico et Martenium invitatoriae aut commonitoriae ad communionem populi notantur antiphonae, e. g. in ecclesia Lugdunensi: *Venite populi etc.*, uti etiam cum notis musicis Gerbertus reperit in cod. San-Gallensi, Emmeranensi aliisque. Apud Martenium consuetudo ecclesiae

Rothomagensis ex vetusto Missali describitur: Ut ante Communionem cum suavi vocis modulatione Sacerdos tenens corpus Domini cantet: *Hoc est Corpus, quod pro vobis tradetur*, chorus hoc idem repetat et interim Sacerdos corpus Domini sumat: quo sumto cantet elevando modicum calicem illud quod sequitur: *Hic calix novi testamenti est in meo sanguine dicit Dominus;* chorus idem illud repetat producendo ad finem, et Sacerdos interim sumat sanguinem. In antiquissimo Antiphonario Benchorensi habes hymnum, quando communicant Sacerdotes: *Sancti venite*, *Christi corpus sumite* (Thesaur. Hymnol. I. p. 193). Et apud Canisium versus habentur Ratperti ad communicandum: *Laudes omnipotens etc.* (Thes. Hymnol. III. in Paralipomenis).

XXXVIII. Orationes post Communionem secretae variant pro diversitate temporum: illa Quae ore sumpsimus occurrit iam in Missa Illyrici. Nunc idem valet quoad sciam ubique usus. Similiter nihil in antiquissimis ordinibus praecipitur de ablutione Sacerdotis, quamquam antiquitus summopere curabant, ne quae reliquiae sacramenti peracta Synaxi remanerent. Olim aqua, qua vasa sacra abluebantur, effundebatur in Sacrarium: postea mos invaluit, quem malim dicere superstitiosam quam laudabilem consuetudinem. Tradebatur ablutio vel homini bonae et honestae vitae in ecclesia praesenti: vel mittebatur aegrotis, vel infundebatur infantibus. Narrant scriptores S. Henricum imperatorem solitum esse quotidie in missa ablutionem sumere; narrat Gerbertus sua aetate alicubi moris esse, infantium ori guttulas quasdam ablutionis sacerdotalis infundere dicendo: Haec ablutio calicis sit tibi salutaris et ad vitam aeternam capessendam. Amen. Dubito an hodie quis has ineptias curet: ubique ipse Sacerdos bibit ablutionem.

Nihil admodum habeo, quod proferam de Postcommunione vel de Oratione super populum, nunc intra Quadragesimam usitata, olim ut videtur omnibus Missis adnexa. Adeas *Binterimium* l. c. p. 521 sq. Neque accuratius tractemus tortuosam quaestionem, quae pertinet ad dimissionem vel ἀπόλυσιν populi. Antiquos enim in nonnullis missis, quae hodie sibi postulant Ite missa est, adhibuisse Benedicamus Domino exploratum habens e. g. in prima et secunda Missa in Nativitate Domini. Id unum non praetermittimus neque ab hac formula interpolatores manus abstinuisse. Legit *Gerbertus* tropos in codice San-Gallensi atque in membrana San-Emeranensi saeculi noni. Unum addimus exemplum:

Ite!

Sit rex coelestis vestris propitius armis. Amen.
Omnibus atque horis vos muniat ex inimicis. Amen.
Salvos vosque regat sua quousque potentia regnat. Amen.

Ite Deo!

Nunc illi dignas simul omnes pangite laudes missa est
Deo salus semper laus et gloria cuncta per saecula. Amen.

gulis dicat: *Corpus Domini custodiat etc.* Oratio: *Deus qui nobis sub Sacramento etc.* post Communionem. Conversus ad populum benedicat: *Benedictio Dei † Patris et Fi † lii et Spiritus † Sancti descendat etc.* — Quotiescunque defertur S. Eucharistia ab uno loco ad alium 1) candelae accensae praeferri ac sonitus campanulae audiri debent, 2) flexis genibus Eucharistia accipienda atque habeatur mappa munda inter communicantem et Sacerdotem. 3) Praebeantur in vase honesto ablutio ab honestioribus et mappa munda ad os abstergendum. 4) Percepta S. Eucharistia memores Passionis Domini non statim recedant ex ecclesia.

Ex Rituali Ioannis Philippi Archiepiscopi Moguntini 1671.

Minister flexis genibus nomine populi dicat: *Confiteor Deo etc.* Sacerdos: *Misereatur* et *Indulgentiam*. *Ecce Agnus Dei*, *ecce qui tollit etc.*, dum duobus digitis ostendit sacramentum. *Siehe das Lamb Gottes: siehe der hinwegnimmt etc.* Hoc ter repetat. Distribuens incipiat ex parte Epistolae. Distribuens unicuique porrigendo Sacramentum faciat signum crucis super pixidem cum Sanctissimo dicat: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat etc.* Sacerdos peracta distributione reversus ad altare dicere poterit Antiphonam *O sacrum convivium etc.* et Orationem: *Deus qui nobis etc.*, tempore Paschali: *Spiritum nobis Domine etc.* Ablutione digitorum facta reponat Sacramentum et extenta manu benedicat iis, qui communicarunt. *Benedictio Dei omnipotentis* etc. unam crucem formando. Communio intra Missam statim post Sacerdotis communionem fiat: finita ea non detur Benedictio. —

Gerbertus De Mus. Sacr. I. p. 458 sq. optime exponit, quales fuerint cantilenae, quae olim inter communicandum ab choro cantari consueverint. Memoratu dignissimus est locus Membranae Argentinensis saec. X. vel XI: *Communicantibus etiam primum canitur canticum* Agnus Dei, *ut fideles quique corporis et sanguinis Domini communicantes, quem percipiunt ore, hauriant modulatione ut scilicet, quem gustant quodammodo versum in corporalem cibum, recolant esse crucifixum, mortuum ac sepultum et eum exorent, tollere peccata sua, quem ad hoc venisse omnis confitetur ecclesia. Canitur etiam illi adiunctum aliud carmen, quod* Communio *vocatur, ut quamdiu populus fidelis suscipit coelestem benedictionem, dulcissima modulatione mens eius trahatur in sublimem contemplationem.* Antiphona, cui nomen est Communio, nunc brevis est, unum plerumque versiculum scripturae continens; olim excipiebat illam integer Psalmus inter communicandum decantatus. Passim apud De Moleon in itinere liturgico et Martenium invitatoriae aut commonitoriae ad communionem populi notantur antiphonae, e. g. in ecclesia Lugdunensi: *Venite populi etc.*, uti etiam cum notis musicis Gerbertus reperit in cod. San-Gallensi, Emmeranensi aliisque. Apud Martenium consuetudo ecclesiae

Rothomagensis ex vetusto Missali describitur: Ut ante Communionem cum suavi vocis modulatione Sacerdos tenens. corpus Domini cantet: *Hoc est Corpus, quod pro vobis tradetur*, chorus hoc idem repetat et interim Sacerdos corpus Domini sumat: quo sumto cantet elevando modicum calicem illud quod sequitur: *Hic calix novi testamenti est in meo sanguine dicit Dominus;* chorus idem illud repetat producendo ad finem, et Sacerdos interim sumat sanguinem. In antiquissimo Antiphonario Benchorensi habes hymnum, quando communicant Sacerdotes: *Sancti venite*, *Christi corpus sumite* (Thesaur. Hymnol. I. p. 193). Et apud Canisium versus habentur Ratperti ad communicandum: *Laudes omnipotens etc.* (Thes. Hymnol. III. in Paralipomcnis).

XXXVIII. Orationes post Communionem secretae variant pro diversitate temporum: illa Quae ore sumpsimus occurrit iam in Missa Illyrici. Nunc idem valet quoad sciam ubique usus. Similiter nihil in antiquissimis ordinibus praecipitur de ablutione Sacerdotis, quamquam antiquitus summopere curabant, ne quae reliquiae sacramenti peracta Synaxi remanerent. Olim aqua, qua vasa sacra abluebantur, effundebatur in Sacrarium: postea mos invaluit, quem malim dicere superstitiosam quam laudabilem consuetudinem. Tradebatur ablutio vel homini bonae et honestae vitae in ecclesia praesenti: vel mittebatur aegrotis, vel infundebatur infantibus. Narrant scriptores S. Henricum imperatorem solitum esse quotidie in missa ablutionem sumere; narrat Gerbertus sua aetate alicubi moris esse, infantium ori guttulas quasdam ablutionis sacerdotalis infundere dicendo: Haec ablutio calicis sit tibi salutaris et ad vitam aeternam capessendam. Amen. Dubito an hodie quis has ineptias curet: ubique ipse Sacerdos bibit ablutionem.

Nihil admodum habeo, quod proferam de Postcommunione vel de Oratione super populum, nunc intra Quadragesimam usitata, olim ut videtur omnibus Missis adnexa. Adeas *Binterimium* l. c. p. 521 sq. Neque accuratius tractemus tortuosam quaestionem, quae pertinet ad dimissionem vel *ἀπόλυσιν* populi. Antiquos enim in nonnullis missis, quae hodie sibi postulant Ite missa est, adhibuisse Benedicamus Domino exploratum habens e. g. in prima et secunda Missa in Nativitate Domini. Id unum non praetermittimus neque ab hac formula interpolatores manus abstinuisse. Legit *Gerbertus* tropos in codice San-Gallensi atque in membrana San-Emeranensi saeculi noni. Unum addimus exemplum:

Ite!

Sit rex coelestis vestris propitius armis. Amen.
Omnibus atque horis vos muniat ex inimicis. Amen.
Salvos vosque regat sua quousque potentia regnat. Amen.

Ite Deo!

Nunc illi dignas simul-omnes pangite laudes missa est
Deo salus semper laus et gloria cuncta per saecula. Amen.

XXXIX. Oratio Placeat tibi in plurimis iisque vetustissimis libris iuxta hodiernum usum notatur. Exstat item in Missa Illyrici, sed uti solet adiungit aliam: *Meritis et intercessionibus beatae Mariae semper virginis et istorum et omnium Sanctorum tuorum misereatur nostri omnipotens Deus.* Eandem habet, omisso tamen Placeat Missa Muratorii Mutinensis.

Sequitur recentiori ritu Benedictio populi, quam olim ante Communionem largiri solebat Episcopus. Illa, quae est presbyteri, legitur in tabula nostra: Episcoporum alia est quam hic apponere iuvat ex Caerimoniali Monastico Congregationis Bursfeldensis Coloniae 1684 p. 273: Dicto Placeat Abbas stans in medio altaris, imposita sibi a Diacono mitra dicit in tono: *Sit nomen Domini benedictum*, pollice dextro signo crucis sibi in pectore ponens, sinistram interim super altare tenens, dumque a choro respondetur: *Ex hoc nunc et usque in saeculum.* Deinde cantans *Adiutorium nostrum in nomine Domini* dextra se signat a fronte ad pectus, eandem iterum super altare reponens, dum a choro respondetur *Qui fecit coelum et terram.* Tunc cantans *Benedicat vos omnipotens Deus* oculos et manus simul ad coelum elevat, caput cruci inclinans et manu sinistra accipiens baculum pastoralem benedicit populum ter faciens signum crucis, primo versus latus Epistolae dicens *Pater*, deinde directe ad populum in medio dicens *Filius*, tandem versus latus Evangelii dicens *et Spiritus Sanctus* perficiendo circulum.

Sed in hac quoque Missae parte a Clemente VIII. demum uniformis ratio stabilita est. Etenim apud antiquos vel diversae in usu erant Benedictionum formulae, ut haec: *Coelesti benedictione benedicat et custodiat vos divina maiestas et una Deitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus*: .— vel Benedictio, quae hodie Episcopis est propria, presbyteris quoque communis est. De urbis Remensis metropolitana ecclesia refert Ruinart in itinere per Alsatiam et Lotharingiam, in fine missae neminem unquam nisi Archiepiscopum benedicere, sed dicto per Diaconum *Ite missa est*, nisi adsit Archiepiscopus, omnes in sacristiam reverti. In ecclesia Antisiodorensi S. Stephani Sacerdotem nec benedictionem dare nec Evangelium S. Ioannis ad altare dicere perhibet De Moleon in itinere liturgico.

Monachi, ut solent, non mediocriter ab ecclesiastica consuetudine discrepant. Ritu veteri Cisterciensi, qui nunc abrogatus est, nulla exstat in fine Missae Benedictio, sed Sacerdos dicta oratione Placeat osculatur altare dicens: *Meritis et precibus istorum et omnium Sanctorum suorum misereatur nostri omnipotens Deus. Amen.* Sicque signans se et inclinans recedit. Eodem ritu utuntur Carthusiani. Carmelitae post benedictionem ante medium altaris genuflexi dicunt Antiphonam Salve regina cum versu et oratione: tempore paschali autem dicunt stantes: Regina coeli. *Bona* l. c. II. c. 20.

XL. Initium Evangelii S. Ioannis, in quo fidei orthodoxa ἀνακεφαλαίωσις quaedam continetur, ex antiquissimis temporibus singulari observantia apud

Christianos colitur. Hoc Pius V. in fine cuiusque missae legi praecepit, ita tamen, ut si incidat in Dominicas per annum, in ferias Quadragesimae vel Quatuor Temporum, in Vigilias Festivitatis, quae praetermisso diei officio celebranda sit, Evangelium diei legatur in fine. Unde, si missa peracta Sacerdos non ex tabula in cornu Evangelio, in qua inscriptum esse solet: In initio erat verbum etc., legat Evangelium, sed ex libro, missali a latere epistolae ad latus evangelii delato, pro certo habeas, missam fuisse non de Dominica etc., sed de festo. Quod sane saepius occurrit, quam ut possit probari. Apud antiquos nihil de Evangelio S. Ioannis in fine missae legendo occurrit, quamquam in nonnullis ecclesiis dici solitum est, dum Sacerdos vestes exueret aut in recessu ab altari, prout id hodie servatur in missa pontificali. Martenius de ant. Mon. rit. II. 4 primam eius mentionem occurrere sibi testatur in Ordinario Bursfeldensium. Prorsus singularis est ritus, qui praescribitur in Missali Ordinis S. Benedicti reformatorum nigrorum Bursfeld. Badensis ed. 1608 per Germaniam: Subiungitur, nisi sit pro Defunctis, *Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen. Sit nomen Domini benedictum. Ex hoc nunc et usque in saeculum.* Oremus. *Coelesti benedictione bene † dicat nos omnipotens Pa † ter et Fi † lius et Spiritus † Sanctus. Amen. Placeat tibi etc. Dominus vobiscum. Initium S. Evangelii etc. Ostende nobis Domine misericordiam tuam etc.* Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus dirige actus nostros etc.* Antiphona Trium puerorum.

CAPUT III.

De Processione in Festo Corporis Christi [1]).

EX RITUALI ROMANO.

Decenter ornentur Ecclesiae et parietes viarum, per quas est transeundum, tapetibus et aulaeis et sacris imaginibus, non autem profanis aut vanis figuris, seu indignis ornamentis. Sacerdos primum Missam celebret, in qua duas hostias consecret, et sumta una, alteram in tabernaculum in Processione deferendam ita reponat, ut per vitrum seu crystallum, quo ipsum tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adorantibus appareat [2]), veloque operiatur,

---

1) Non extra dubitationis aleam positum est, quod contendit Gretserus in Tractatibus de Processionibus et de Festo Corporis Christi, sollemnissimam hanc processionem simul cum ipsa festivitate in ecclesia celebratam esse. Multum tamen dandum est pervetusto Directorio Ecclesiae Leodiensis ab Henschenio et Papebrochio in lucem edito, in quo haec leguntur: „Officium novae sollemnitatis sacrosanctae Eucharistiae totum duplex. — — Post sextam remaneant ministri altaris omnes induti ut in Missa fuerunt — — vadantque singuli in suo ordine. Primo crux nostra, postea Scholares et Capellani etc. Tandem venit Decanus, qui Missam celebravit, deferens Corpus Christi etc.“ Sane haec sententia verosimillima videtur, in aliis ecclesiis processionem habitam esse, ex quo festum Corporis Christi receptum fuerit, in aliis postmodum esse invectam. Ceterum longe ante illius festi institutionem sacramentum in processionibus in die Palmarum, in Coena Domini etc. circumgestatum est, Gerbert. L. A. III. p. 995 sq.
2) Martene de ant. eccl. disc. c. XXIX: An statim ab initio patenter delata fuerit Eucharistia dubitare videtur I. B. Thiersius in singulari Tractatu, quem de SS. altaris Sacramenti expositione inscripsit lib. 2, 4. in eamque propendet sententiam, quae Corpus Christi in calice seu vase alio absconditum deportatum fuisse sustinet. Verum huic opinioni obviat antiquum Missale monasterii Fiscamensis ad usum ecclesiae Rothomagensis scriptum circa MCCC: in quo ante huius diei missam praemittuntur ea quae in processione sint canenda, atque in prima initiali litera efformatur imago duorum presbyterorum Sacramentum in vase gestatorio omnino apertum, ut nunc fit, gestantium. — Item appicta est Missali Melodunensi, eodem tempore conscripto, imago

donec auferatur ab Altari. Peracto autem Sacrificio, et Processione iam inchoata, ordine, quo iam supra dictum est in Litaniis maioribus, Sacerdos pluviali albo indutus ter incenset Sacramentum genuflexus. Deinde Diaconus oblongum ac decens velum circumponit scapulis Sacerdotis, qui parte veli ante pectus pendente, utraque manu cooperta, ostensorium seu tabernaculum a Diacono sibi porrectum reverenter suscipit in supremo Altaris gradu, mox ad Altare ascendit et Sacramentum ante faciem tenens vertit se ad populum, inde descendit sub umbellam comitantibus ministris, et duo Acolythi vel Clerici cum thuribulis effumantibus praecedunt[1]). Omnes praecedent nudo capite accensos cereos gestantes et sequentes Hymnos pro longitudine Processionis devote concinentes. Dum vero Sacerdos discedit ab Altari, Clerus et Sacerdos cantare incipit sequentes Hymnos:

Pange lingua gloriosi[2])
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium etc.

Sacerdotis sacram eucharistiam manu gestantis, sub baldachino a quatuor viris delato. Ordinarium Silvanectense eiusdem aetatis iubet in aperto vasculo sacramentum deferri. Contra Thiersii opinionem confirmant constitutiones chori S. Martialis Lemovicensis anno 1470 scriptae; ex earum enim lege portatur Corpus Christi in calice pulchriori. Puto et in his variam fuisse ecclesiarum consuetudinem: plus iusto tamen aestimat Martenius picturas antiquas. Ea quae data est pictoribus venia poterant in devotionem spectantium sacramentum depingere etsi in calice vel in vase clauso deportaretur. Porro ambiguae nationis sunt voces clausum et apertum. Et nunc circumfertur Eucharistia non aperte, ita tamen ut per vitrum appareat populo.

1) Addo accuratiorem Processionis descriptionem ex Caerimoniali Monastico Congregationis Bursfeldensis: pauca ex locorum consuetudine mutantur. Dirigente Caerimoniario Processio inchoatur. Primo ordine procedunt scholae puerorum, aut puellarum vexillis propriis distinctae: deinde confraternitates laicorum similiter cum suis vexillis, postmodum curiales et officiales, aliique portantes intortitia accensa, inter quos ultimo loco ibunt nobiliores aut magistratus aliique viri praeclariores. Deinde subsequetur Subdiaconus, sive alius superpelliceo paratus portans crucem, medius inter duos ceroferarios; tum fratres floccis induti bini et bini incipiendo a iunioribus. Conventum sequuntur quatuor aut ad minus duo acolythi facibus accen is, tum minister sive Presbyter assistens, dein thuriferarii ante S. Sacramentum moventes thuribula sua; tandem Abbas sub Baldachino nudo ca pite portans Saramentum ambabus manibus, medius inter ministros sacros paratos. Si adsit Legatus de latere, Cardinalis, Episcopus loci (vel Imperator, Rex, princeps etc.) immediate post Abbatem incedent. Fratres, qui intra ecclesiam portarunt baldachinum ipsum extra fores illius relinquent totidem nobilibus seu aliis honestis viris. 2) Thesaurus Hymnolog. I. p. 251.

Sacris solemniis iuncta sint gaudia[1]),
Et ex praecordiis sonent praeconia:
Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces et opera etc.

Verbum supernum prodiens[2]),
Nec patris linquens dexteram
Ad opus suum exiens
Venit ad vitae vesperam etc.

Salutis humanae Sator[3])
Iesu voluptas cordium
Orbis redempti Conditor
Et casta lux amantium etc.

Aeterne Rex altissime[4]),
Redemtor et fidelium,
Cui mors peremta detulit
Summae triumphum gloriae etc.

Te Deum laudamus.
Benedictus.
Magnificat.

Peracta Processione et sanctissimo Sacramento ad Ecclesiam reportato et super altare deposito, omnes Ecclesiastici, qui adsint, hinc inde ordine genuflexi illud reverenter adorantes, dum Sacerdos de more incensat, sequentem hymni partem concinant:

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque
Laus et iubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

Postea duo Clerici dicant:

Panem de coelo praestitisti eis, Alleluia. ℟. Omne delectamentum in se habentem. Alleluia.

Deinde Sacerdos stans dicit:

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus:

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemtionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos, facta genuflexione, cum Sacramento semel benedicat populum in modum Crucis, nihil dicens, postea illud reverenter reponat. Hic autem modus benedicendi servatur etiam in aliis Processionibus faciendis cum sanctissimo Sacramento.

(Haec habet Rituale Romanum Pauli V. iussu editum de sollemnissima illa Processione. At vero cum praesertim in hac nostra Germania maiori cum

---

1) Thesaurus Hymnolog. I. p. 252. 2) Ibidem I. p. 254. 3) Ibidem I. p. 63. 4) Ibid. I. p. 196.

pompa haberi soleat novaeque adiectae sint caerimoniae necessarium videtur, adscribere ex Agenda quadam Germaniae catholicae, quo ordine et cultu nunc celebretur. Quatuor altaria, quae infra commemorantur, eriguntur in foris vel plateis, per quas ingreditur Processio.

EX AGENDA DIOECESIS MONASTERIENSIS ANNI 1712.

Postquam ad primum altare pervenerit Processio, Diaconus si adsit, cum debita reverentia et genuflexione de manu Sacerdotis accipiat S. Sacramentum, et illud super altare collocabit, alias Sacerdos ipse deponit reverenter et thurificat Sacramentum, dein Diaconus genuflexus ante venerabile Sacramentum dicat: Munda cor meum etc. (p. 62) et accepto libro ex altari cum debita reverentia ante Officiatorem dicit: Iube Domine benedicere etc. Habita benedictione decantat, Subdiacono si adsit librum tenente, Evangelium primum. Quae omnia, omissis omittendis alias ipse Sacerdos exequitur.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Initium S. Evangelii secundum Matthaeum ℟. Gloria tibi Domine. (Cap. I. vs. 1 — 16.) Sacerdos osculatur librum sibi delatum, dicens: Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta. Amen. Et incensatur more solito a Diacono si adsit.

Officiator ante Venerabile in genua provolutus canit Peccatores Chorus respondet: Te rogamus, audi nos. Officiator: Ut Pontificem nostrum N. una cum grege commisso in sancta religione conservare digneris. Chorus respondet: Te rogamus, audi nos. Si statio sit prope aliquam ecclesiam, eiusdem Patroni fit memoria cum Versu: Ora pro nobis N. Chorus: Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus: Omnipotens sempiterne Deus, te supplices exoramus famulum tuum Pontificem nostrum N. et Antistitem nostrum N. una cum grege illis commisso ab omnibus erroribus et adversitatibus custodi.

Ecclesiae tuae quaesumus Domine preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis secura tibi serviat libertate.

Si sit apud ecclesiam, additur tertia Collecta de eius ecclesiae Patrono et concluditur: Per Dominum nostrum etc. ℟. Amen.

Deinde Officiator imponit thus absque benedictione in thuribulum, genuflectit et thurificat venerabile Sacramentum et dat benedictionem cum Sanctissimo.

Cum pervenerit Processio ad secundum altare, fiant omnia sicut ad stationem primam et legitur Initium S. Evangelii secundum Marcum (I, 1—8).

Officiator: Peccatores. Chorus: Te rogamus, audi nos.

Officiator: Ut Imperatori nostro N. Regibus et Principibus Christianis pacem et veram concordiam largiri digneris. Chorus: Te rogamus, audi nos. Officiator: Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundans in turribus tuis.

Oremus: Deus regnorum omnium et christiani maxime protector imperii: da servo tuo, Imperatori nostro N. triumphum virtutis tuae scienter excolere, ut qui tua institutione est princeps tuo munere semper sit potens.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Deus refugium nostrum et virtus, adesto piis ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis et praesta: ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum. ℟. Amen.

Ad tertium altare eodem ritu recitatur Initium S. Evangelii secundum Lucam (I, 5—17).

Officiator: Peccatores. Chorus: Te rogamus, audi nos. Officiator: Ut fructus terrae nobis dare et conservare digneris. Chorus: Te rogamus, audi nos. Officiator: Fiat misericordia tua super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te.

Oremus: Clementiam tuam omnipotens Deus suppliciter deprecamur, ut benedicere, visitare et irrigare digneris fruges et fines servorum tuorum, noxias tempestates amoveas, inundationem coërceas imbrium, spirituales repellas nequitias, aërem salubrem indulgeas: et ab omni nos inimicorum infestatione in pace defendas, quos corpore et sanguine filii tui a morte perpetua redemisti.

Deus qui nobis sub Sacramento ut p. 154.

Pateant aures tuae misericordiae omnipotens Deus, precibus supplicantium et ut petentibus desiderata concedas, fac eos, qui tibi placita sunt, postulare. Per Dominum. ℟. Amen.

Ad quartum altare praemissis praemittendis legitur Initium S. Evangelii secundum Ioannem (I, v. 1—14.)

Officiator: Peccatores. Chorus: Te rogamus, audi nos. Officiator: Ut locum hunc a fulgure et tempestate, peste, fame, bello et omnibus malis praeservare digneris. Chorus: Te rogamus, audi nos. (Si sit in coemeterio: Ut animabus omnium fidelium defunctorum propitiari digneris. Chorus: Te rogamus, audi nos.)

V. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus: Benedic Deus omnipotens locum istum, ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas et mansuetudo, plenitudo legis et gratiarum actio Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto: et haec benedictio maneat super hunc locum et super habitantes in eo, nunc et in saecula saeculorum.

Parce Domine, parce populo tuo et nullis nos patiaris adversitatibus, bellis, morbis, tempestatibus ac periculis fatigari, quos pretioso Filii tui Domini nostri Iesu Christi corpore et sanguine redemisti.

Absolve quaesumus Domine animas fidelium tuorum hic et ubique in Christo quiescentium, ut defuncti saeculo tibi vivant; et quae per fragilitatem carnis humana conversatione peccata commiserunt, tu venia misericordissimae veritatis clementer indulge. Per Dominum. ℟. Amen.

Et incensatur ut supra; et redit Processio ad ecclesiam: ubi habetur Sacrum nisi ante habitum fuerit. Dein canitur Te Deum laudamus quo absoluto omnes genuflectunt. Sacerdos adorato et incensato Venerabili Sacramento canit cum eo ad populum conversus: Tantum ergo etc., Genitori genitoque etc. respondente Choro reliquos versus, dataque benedictione reponitur Monstrantia in tabernaculum, atque a Sacerdote clauditur[1].

---

1) Preces et Benedictiones in diversis Dioecesibus sunt paullisper diversae.

CAPUT IV.

Ordines ad Communicandum Infirmum.

I. EX AGENDA URIELIS ARCHIEPISCOPI MOGUNTINENSIS ANNI 1513.

Antequam Sacerdos apportet Sacramentum Eucharistiae, accedat ad Infirmum, ut audiat eius Confessionem attente et integraliter cum immoratione debita: secundum quod visum fuerit saluti infirmantis expedire et adversa eius valetudo permiserit [1]). Postea indutus superpelliceo et stola deferat Corpus Domini ex ecclesia reverenter. Praecedente eum aliquo, qui portet lumen et tintinnet nolam [2]) et cum pervenerint ad locum Infirmi dicat Sacerdos:

---

1) Canones ecclesiae Cameracensis saec. XIII. (Martene Coll. Ampl. VII. p. 1300): Cum infirmus communicari voluerit, prius visitet eum Presbyter sine Corpore Domini et diligenter audiat Confessionem eius et post ad ecclesiam redeat. 2) Statuta Ecclesiae Cenomanensis saec. XIII. (Martene l. c. p. 1384). Item cum presbyteros ad communicandum infirmos contigerit evocari, omni dilatione et occasione postpositis, ad eos accedant et Corpus Christi cum magna reverentia et maturitate deferant in pyxide idonea et bene clausa propter casum, nec ad hoc Diaconos mittant: ac eundo et redeundo septem Psalmos poenitentiales vel saltem Litaniam dicant. Moneant etiam parochianos et diligenter inducant, ut cum Presbyterum deferre contigerit corpus Christi, creatori suo cum manuum iunctione et genuum flexione dum transit, orantes devotius studeant inclinare. Eis siquidem qui corde contrito presbyterum cum corpore Christi devote duxerint et reduxerint, decem dies de condigna poenitentia misericorditer relaxamus. Statuta Cameracensis eccl. saec. XIII. (Martene l. c.) Cum iturus erit ad communicandum infirmum, prius aliquanto spatio campana aliquo certo signo ad hoc distincto, ut fideles ad ecclesiam conveniant: qui Sacerdotem deferentem Dominum suum et omnes reverenter et ordinate subsequantur, et orationes suas, quas sciunt, dicant devote pro infirmo eundo et redeundo. Sacerdos autem eat et redeat dicendo septem psalmos; et si via fuerit longior, addat quindecim psalmos et litaniam et ceteras orationes: Incedat autem cum lucerna et campanula praecedentibus. Deferatur autem corpus Christi venerabiliter et sollemniter, posito decenti cooperculo super calicem, cruce superposita panno et fimbriis sericis adornato.

Pax huic domui etc.

Salvum fac servum etc. et quosdam alios versiculos.

Oratio. Domine sancte Pater omnipotens aeterne Deus etc.

Dein hortetur Infirmum confiteri, siquid in priori Confessione oblitus fuerit, qua facta vel si nihil in conscientia noverit, faciat eum dicere praesente populo generalem Confessionem lingua materna: Ich sündiger Mensch etc.

Presbyter: Misereatur tui etc. Indulgentiam et remissionem etc.

Et absolvat eum dicendo:

Dominus noster Iesus Christus per suam magnam misericordiam te absolvat et ego auctoritate ipsius, qua fungor absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, si ligaris, insuper ego absolvo te a peccatis tuis. In nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus Sancti. Amen[1]).

Tandem cum magna reverentia porrigit ei Eucharistiam dicens:

Corpus Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in vitam aeternam. Pax tibi.

Vel dicat:

Accipe viaticum Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno et perducat in vitam aeternam. Amen[2]).

Deinde abluat digitos vino vel aqua et det Infirmo lotionem et dicat Psalmum: Deus misereatur nostri et benedicat etc.

Oratio. Deus infirmitatis humanae singulare etc.

Alia. Exaudi nos Domine sancte pater etc.

Tandem dicat concludendo:

Benedictio Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti descendat super te et maneat semper. Amen.

---

1) Canones Cameracenses: Ante autem quam communicet Sacerdos infirmum, dicat ei: si credit quod sub illa specie panis sit corpus Christi natum de virgine, passum in cruce et resuscitatum tertia die: quod si confessus fuerit de verbo ad verbum communicet eum. 2) In Pontificali Prudentii Trecensis Episcopi saec. IX. haec iubentur: In primis dicat Collectam ad diem pertinentem, et epistolam: postea legat Evangelium, deinde dicat: Sursum corda gratias agamus Domino. Sequitur Praefatio usque ad Sanctus. Inde dicat Oremus. Praeceptis salutaribus cum oratione dominica usque per omnia saecula saeculorum. Postea communicet eum. Sequitur oratio post Communionem. Absolvebatur igitur praeter Consecrationem integrum Missae officium. Ad saeculum usque duodecimum porrigebat Sacerdos infirmo hostiam vino consecrato intinctam. Cf. Binterim Denkw. II, 2 p. 198 sqq. Apud Theodulphum Aurelianensem Episcopum saec. VIII. (Baluzius Misc. Tom. VII. p. 42) haec leguntur: Tunc Sacerdos det ei pacem et communicet eum dicens: Corpus et sanguis Domini sit tibi remissio omnium peccatorum tuorum et custodiat te in vitam aeternam. Tunc data oratione in fine dicat Sacerdos: Benedicamus Domino. Et respondeant omnes: Deo gratias. Et expletum est.

Quando Infirmus propter vomitum aut aliud infirmitatis impedimentum non fuerit communicandus: potest sibi ostendi corpus Domini ad ipsius infirmi maiorem devotionem et digitorum lotio sibi detur, si voluerit, dicendo Psalmum: Deus misereatur nostri etc. 1).

Oratio: Omnipotens sempiterne Deus qui subvenis etc. 2).

---

1) Statuta Cameracensia: Si infirmus frequenter vomitum levi occasione patiatur, non conferatur ei corpus Christi, sed credat, quia spiritualiter accepit. 2) St. Cum.: Exspectent fideles donec infirmus communicetur et redeant usque ad ecclesiam post Sacerdotem, semper deferentem corpus Domini, ne populus in redeundo nihil adoret. In Manuali Parochialium Sacerdotum (Impressum Landshut anno 1510), quod meum est, mandatur parochiis admonere parochianos, ut ubicunque deferri videant corpus Christi statim flexis genibus et iunctis manibus debitam et devotam ei exhibeant reverentiam suppliciter adorando. Sacerdos defert ad Infirmum caute, reverenter, mature et devote, dicendo septem psalmos aut canticum graduum vel huiusmodi et lumine et aqua benedicta et campanula praecedentibus, ubi et quantum potest commode observari.

II. EX RITUALI ROMANO.

Viaticum sacratissimi corporis Domini nostri Iesu Christi summo studio ac diligentia aegrotantibus opportuno tempore procurandum est, ne forte contingat illos tanto bono parochi incuria privatos decedere. Cavendum autem inprimis est, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur: quales sunt publici usurarii, concubinarii, notorie criminosi, nominatim excommunicati aut denuntiati, nisi sese prius sacra Confessione purgaverint et publicae offensioni prout de iure satisfecerint 1) Hortetur parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiamsi graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si festi alicuius celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit.

Pro Viatico autem ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si aeger, sumpto viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit et communicare voluerit eius pio desiderio Parochus non deerit.

Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non ieiunis; id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur, a quibus ob phrenesin sive ob assiduam

---

1) Agenda Monaster. 1712: Quod ad pueros id observent, ut si doli capaces sint et sacrum hunc cibum secernere valeant, in mortis periculo Viaticum etiam ipsis administretur: quo maiorem gratiam recipiant et agonem suum feliciter consummeni. — Ministrari debet Viaticum a proprio parocho, vel alio Sacerdote de eius aut Ordinarii licentia. Quia haec administratio est actus iurisdictionalis, spectans ad ius pastorale: quod proin nemo alius sine commissione usurpare potest.

tussim aliumve similem morbum aliqua indecentia cum iniuria tanti Sacramenti timeri potest[1]). Ceteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac ceteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae ante aliquid sumere licebit.

Sed alicui ad adorandum solum seu devotionis seu cuiusvis rei praetextu ad ostendendum non deferatur.

Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab ecclesia ad privatas aegrotantium domos decenti habitu, superposito mundo velamine, manifeste atque honorifice, ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine praecedente.

Parochus igitur processurus ad communicandum, aliquot campanae ictibus iubeat convocari parochianos, seu confraternitatem Sanctissimi Sacramenti (ubi fuerit instituta), seu alios pios Christi fideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis seu intortitiis comitentur et umbellam seu baldachinum, ubi haberi potest, deferant[2]). Praemoneat, ut aegri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua Sanctissimum Sacramentum decenter deponatur.

Parentur luminaria ac duo vascula, alterum cum vino, alterum cum aqua; praeterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci pro cuiusque facultate.

Ubi vero convenerint, qui Eucharistiam comitaturi sint, Sacerdos indutus superpelliceo et stola et si haberi potest, pluviali albi coloris, Acolythis seu Clericis, aut etiam Presbyteris (si locus feret), superpelliceo pariter indutis, decenter et de more acceptas aliquot particulas consecretas vel unam tantum (si longius aut difficilius iter sit faciendam) ponat in pyxide seu parva custodia quam proprio suo operculo cooperit et velum sericum superimponit: ipse vero Sacerdos imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sacramento et deinde umbellam seu baldachinum subeat, nudo capite processurus.

Praecedat semper Acolythus vel alius minister deferens lanternam (noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet nisi necessitas urgeat)

---

1) Monaster.: Dari potest si aeger, independenter a cibo vomens sex saltem horis fuerit liber a vomitu. Aut si ex cibo vomitus causetur tam exigua illi particula detur, quae vix stomachum alteratura credatur. Aut si de hoc ipso dubium sit et tamen. dari debeat Viaticum, porrigatur aegro de hoc instructo praevie particula non consecrata, quam si reiecerit nullo modo detur consecrata: secus si retineat. 2) Monaster. Parochus interdum pro concione populum ad hoc religionis et caritatis exercitium exstimulabit. — — licet festinare subinde possit, nunquam tamen cum habitu Sanctissimum deferenti currere licebit, nisi forte infirmus probabiliter crederetur esse in mortali et hic nondum confessus esset.

sequantur duo Clerici, qui vel illorum vices suppleant; quorum alter aquam benedictam cum aspersorio et bursam cum corporali, quod supponendum erit vasculo sanctissimi Sacramenti super mensa in cubiculo infirmi et cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abstergendos: alter hunc librum ritualem deferat et campanulam iugiter pulset. Succedant deinde deferentes intortitia. Postremo Sacerdos Sacramentum gestans elevatum ante pectus sub umbella dicens Psalmum Miserere et alios Psalmos et Cantica[1]). Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit et fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata et ad collum appensa apte includere et ita ad pectus alligare atque obstringere, ut neque decidere neque pyxide excuti Sacramentum queat[2]).

Ingrediens Sacerdos locum ubi iacet infirmus dicat:

Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea[3]).

Tum depositum Sacramentum super mensa supposito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, et mox accepta aqua benedicta aspergit infirmum et cubiculum dicens Antiphonam:

Asperges me Domine hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor,

et primum versum psalmi:

Miserere mei Deus. Gloria Patri. Sicut erat;

deinde repetitur Antiphona:

Asperges me[4]).

---

1) Rituale Trevirense anni 1836 modum deferendi Sacramenti ita describit: Omnibus dispositis surgant Ministri et praecedant: 1. Qui lanternam aut lanternas deferunt. 2. Unus Clericus si habeatur, indutus superpelliceo, aut si Clericus non adsit Ludi-Magister vel alius; manu sinistra deferens Rituale et bursam albi coloris, in qua sit Corporale supponendnm sacro Ciborio et purificatorium ad abstergendum digitos Sacerdotis: dextra vero itentidem pulsans campanulam. 3. Alter sive Clericus sive Laicus qui urceolum cum aqua benedicta et aspersorio deferat. 4. Deferentes intortitia si habeantur. Tum procedat Sacerdos aperto capite sicut et ministri et adstantes, Sacramentum ambabus manibus gestans ante pectus, medius inter duos seu Laicos, qui umbellam seu baldachinum super caput eius deferant. Subsequantur cognati et amici aegrotantis et fideles, qui ex devotione S. Eucharistiam comitari voluerint. Sacerdos neminem in via salutet nec ulli det benedictionem. — 2) Monaster. Eo tamen casu clericalium vestium, luminis et tintinnabuli usus in via praetermittitur. Quod etiam observandum in locis haereticis. — 3) Trevir. Et cum in conspectu infirmi fuerit signum Crucis faciet versus eum cum sacra pyxide. — 4) Post repetitam Antiphonam Trevirense haec habet: ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam). ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus

postea:

Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis accedat ad infirmum, ut cognoscat, num sit bene dispositus ad suscipiendum sacrum Viaticum, et utrum velit aliqua peccata confiteri; et illum audiat atque absolvat: quamvis prius deberet esse rite confessus, nisi necessitas aliter urgeat[1]). Postea facta de more Confessione generali, sive ab infirmo, sive eius nomine ab alio, Sacerdos dicit:

Misereatur. Indulgentiam.

Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de vasculo, atque illud elevans ostendit infirmo, dicens:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Et more solito ter dicat[2]):

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea.

---

vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui super infirmum nostrum ostende virtutem, ut ope misericordiae tuae adiutus, ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur. Per Christum etc.

1) Monaster. Si aegri status tantum morae indulgeat, expedit ut hic Sacramento poenitentiae ante expietur, quam ad illum deferatur Sanctissimum. Ita enim nulla offensio vel molestia creabitur adstantibus, si forte Confessio prolixior instituenda esset, quin et ipse aeger melius disponi poterit. Statutum Petri Archiepisc. Moguntini ex concilio Frideslariensi c. 28 ait: Quia plerumque infirmus confiteri sua peccata propter multitudinem praesentium erubescit, id a sacerdotibus praecipimus districtissime observari, ut prius familiariter et secrete audiant confessionem ipsius. 2) Monaster. Dein Germanice ter: O Herr, ich bin nicht würdig, dass du eingehest unter mein Dach, sondern sprich nur ein Wort, so wird meine Seel gesund. Ita in Agenda Moguntina Sebastiani anni 1551, in Agendis annorum 1590 et 1671. Omnino sermo vernaculus pluribus vicibus in his agendis adhibetur. Continent admonitionem Sacerdotis ante Confessionem, exhortationem ante absolutionem, aliam proxime ante Communionem, omnia germanico sermone dicenda. Similiter multum dat vernaculo sermoni Rituale Trevirense anni 1836. Sacerdos his aut similibus verbis aegrum poterit alloqui: „Billig sollet Ihr, liebster Mitbruder in Christo, Gott den Herrn preisen! denn Christus Iesus, der Euch die Zeit Eures Lebens so viele Gnaden erwiesen hat, eilet auch jetzt noch zu Euch und will auf dem Krankenbette Euer Tröster werden. Weder der Missbrauch, den Ihr vielleicht von seinen Gnaden gemacht habt, noch die Sünden, deren Ihr Euch vor ihm schuldig

et infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce, tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam 1) dicat:

bekennet, haben seine Liebe zu Euch vermindern können. Eure Seele bleibt ihm lieb und werth. Er begehrt Euer ewiges Heil mit noch grösserer Begierde, als Ihr es selbst wünschet. Ietzt fordert er von Euch eine aufrichtige Reue, einen festen Vorsatz, ihn nicht mehr zu beleidigen; eine ernstliche Begierde, seiner Gerechtigkeit genug zu thun; endlich eine gänzliche Ergebung in seinen heiligsten Willen. Habet Ihr diese Gesinnung, so ist Iesus Christus bereit, alle Eure Fehler, wie gross sie immer sind, zu vergessen, um seiner Barmherzigkeit sich nur zu erinnern.

Er will sich selbst Euch geben in seinem heil. Sacramente, um Euch die Todesfurcht zu benehmen, Euch wider den Anfall des Satans zu stärken, mit dem Feuer der göttlichen Liebe Euch zu entzünden, das Pfand des ewigen Lebens in seiner glorreichen Auferstehung Euch einzusenken.

O Gott der Liebe, wie lange habe ich verweilet dich zu lieben! Mein Gott und Heiland, sprich nur ein Wort, so wird meine von allem Irdischen befreite Seele dir ewig und unzertrennlich anhangen.

Bereitet Euch vorzüglich hiezu, liebster Mitbruder mit tiefster Demuth und ernstlicher Reue über alle Eure Sünden vor und indem Ihr auf unsere Fragen antwortet, stärket Euch je mehr und mehr in dem Glauben, in der Hoffnung und Liebe, die Gott von Euch verlangt.

Glaubet Ihr, liebster Mitbruder in Christo, fest und demüthig Alles was Gott seiner Kirche geoffenbaret hat und Alles was uns die Kirche zu glauben vorhält?

Bittet Ihr Gott um Verzeihung aller Sünden Eures verflossenen Lebens, verabscheut Ihr dieselben aufrichtig und von Herzen?

Seid Ihr entschlossen, eher su sterben, als noch einmal eine einzige Todsünde zu begehen?

Hoffet Ihr auch, Gott werde Euch Barmherzigkeit erzeigen, und wollet Ihr, selbige zu erlangen, ihn lieben aus ganzem Herzen, aus ganzer Seele und aus allen Kräften; auch versprechen, ihm bis an Euer letztes Ende unablässlich treu zu verbleiben?

Wollet Ihr, Gott zu Liebe, auch Euern Nächsten lieben wie Euch selbst, und von Herzen verzeihen Allen, die Euch jemals beleidigt haben?

Bittet Ihr auch um Verzeihung Alle, die Ihr beleidiget oder geärgert habt?

Nehmet Ihr die Schmerzen Eurer Krankheit und den Tod selbst, wenn es Gott gefällig ist, Euch denselben zuzuschicken, zur Abbüssung Eurer Sünden von der Hand Gottes willig an?"

Unicuique quaestioni respondet Infirmus: Ja, Euer Ehrwürden.

„So bereut sie wiederum von ganzem Herzen und sprechet mit tiefster Demuth: Ich armer, sündiger Mensch beichte und bekenne u. s. w."

Sequuntur Collectae ante Communionem vernaculo sermone confectae, ut videtur pro opportunitate temporis vel ad libitum dicendae.

Infra et versus: Ecce Agnus Dei germanice repetitur, interrogatur: Glaubet Ihr, dass dieser der wahre Leib Iesu Christi, des Gottmenschen, sei, welcher aller Menschen Heiland ist und den Tod für uns gelitten hat? ℟. Ja, ich glaube es. S. So betet ihn denn demüthig an, empfanget ihn mit Andacht und sprecht: O Herr, ich bin nicht würdig, dass du eingehest unter mein Dach, sondern sprich nur ein Wort, so wird meine Seele gesund. —

1) Monaster. Nullatenus quidem in articulo mortis Viaticum praeberi potest sub specie vini, cum id vetet praxis latinae ecclesiae: si tamen morbi circumstantiae

Accipe frater (soror) Viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno et perducat in vitam aeternam. Amen.

Si vero Communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario:

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.

Quodsi mors immineat, et periculum sit in mora, tunc dicto:

Misereatur.

praedictis precibus omnibus, vel ex parte omissis ei statim Viaticum praebeatur. Postea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens, et infirmo detur ablutio[1]. Deinde dicat:

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro (sorori nostrae) sacrosanctum Corpus Domini nostri Iesu Christi filii tui, tam corpori, quam animae prosit ad remedium sempiternum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen[2].

---

id exigant, licebit species panis cum vino non consecrato porrigere infirmo: ut ita illas transmittere facilius per fauces valeat.

1) Monaster. Quibus omnibus sic peractis actus fidei, spei, caritatis atque gratiarum actionum pro sacra refectione et omnibus aliis beneficiis acceptis in infirmo excitabit monebitque, ut animum a rebus terrenis ac perituris abstrahens ad dominicae passionis coelestisque beatitudinis meditationem transferat, morbi etiam molestias patienter toleret in peccatorum expiationem.

2) Trevir. Communicato infirmo, dicat Sacerdos: „Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro sacrosanctum Corpus Domini nostri Iesu Christi, filii tui, tam corporis quam animae prosit ad salutem. Per eundem. Oremus. Exaudi nos Domine sancte ut p. 163. His dictis Orationibus accedat Sacerdos ad infirmum et ei haec aut similia suggerat: Sprechet nun: Ich habe gefunden, den meine Seele liebet, ich halte ihn und will ihn nicht entlassen. Setzet hinzu mit dem Apostel: Ich lebe, doch nicht mehr ich, sondern Christus lebet in mir. So ergebet Euch denn ihm gänzlich, unterwerfet ihm alle Kräfte Eurer Seele, betet ihn an und liebet ihn aus ganzem Herzen: redet mit ihm in Euch selbst, höret was er Euch sagt, befleisset Euch seinen heiligen Willen zu erkennen und richtet den Eurigen nach dem Seinigen; vertraut völlig auf die Kraft seines heiligen Sacramentes. Ihr vermöget Alles in dem, der Euch stärket.

His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit (superesse autem semper debet, praeterquam in casu iam dicto), genuflectit, surgit et accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum crucis super infirmum, nihil dicens, et reverenter illud deferens, ordine, quo venerat, revertitur ad ecclesiam, dicendo psalmum:

Laudate Dominum de coelis;

et alios psalmos et hymnos, prout tempus feret. Cum pervenerit ad ecclesiam, ponit Sacramentum super altare, adorat, deinde dicit:

Panem de coelo praestitisti eis. ℟. Omne delectamentum in se habentem. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus:

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili, cf. p. 154.

Deinde annuntiat indulgentias a summis pontificibus concessas sanctissimum sacramentum comitantibus[1]).

Postea cum Sacramento in pyxide velo cooperta faciat signum crucis super populum nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat.

Quod si ob difficultatem aut longitudinem itineris vel quia ea, qua decet veneratione Sacramentum ad ecclesiam reportari non potest, sumpta fuerit una tantum particula consecrata, ut dictum est, tunc ea infirmo administrata, Sacerdos praedictis precibus recitatis, eum manu benedicit et una cum aliis

Je mehr Ihr Eure Schwachheit und Unwürdigkeit erkennet, desto mehr wird Iesus Christus mit seinen himmlischen Gaben Euch erfüllen; seine Gnade wird Euch stärken und beschützen. Ihr werdet wie der heil. Paulus ausrufen: Wer wird mich trennen von der Liebe meines Gottes?

Tod oder Leben, Krankheit oder Gesundheit, Alles nehme ich bereitwillig an, wenn nur erfüllet wird der Wille des Herrn und ich ihn liebe bis an mein letztes Ende. Diese gänzliche Ergebung ist das beste Kennzeichen der Liebe, die Ihr ihm schuldig seid. Wie er sich gänzlich und ohne Ausnahme Euch hingiebt, so sollet auch Ihr ihm hingeben Alles, was an Euch und in Euch ist. Bittet ihn, er wolle Euch die Gnade verleihen, dass Ihr bis an Euer Ende verharret im lebhaften Glauben, in steter Hoffnung und inbrünstiger Liebe. Iterum sequuntur Collectae germanicae, ad libitum dicendae.

Sacerdos, si expediat, infirmum monebit, ut cum per Dei gratiam iam saluti suae operam dederit, rebus etiam domesticis consulat.

Monebit quoque eum, ut benedicat liberis, nisi forte fuerint Episcopi aut Sacerdotes, quibus tamen bene precari debet, non autem manus imponere.

1) Monaster. Parochi omni studio et diligentia providebunt, ne in reditu Ciborium inane cultu irreligioso adorandum populo exponant.

privato habitu, extinctis luminibus, umbella demissa, latente pyxide ad ecclesiam vel domum quisque suam revertatur [2]).

2) Trevir. Conversus ad populum dicit in lingua vernacula: Alle, welche das hochwürdigste Gut mit Glauben und Ehrerbietung begleitet haben, gewinnen den vom päpstlichen Stuhl und Seiner Bischöflichen Gnaden unserm Hochwürdigsten Bischof dafür ertheilten Ablass.

Betet für den Kranken und sagt ietzt mit Andacht ein Vater Unser und den Englischen Gruss.

III. ORDO MINISTRANDI VIATICUM SACERDOTI VEL DIACONO.

Ex Rituali Trevirensi anni 1836.

Infirmus Sacerdos vel Diaconus Viaticum accepturus induatur superpelliceo et stola ab humeris aequaliter ex utraque parte pendente: Diaconus autem stola ab humero sinistro ad latus dextrum transversa, et servetur idem ritus, qui in Communione laicorum his exceptis:

Dicta Oratione Deus infirmitatis ut supra p. 159 et facta pro prudentia et opportunitate exhortatione convenienti, Sacerdos S. Sacramentum deferens ad infirmum, ab eo excipiet primum fidei professionem, dicens ei, si sit Diaconus Carissime Frater et si sit Sacerdos Reverende Pater (si sit Episcopus Reverendissime Pater) decet quam maxime, ut qui ab infantia sacras litteras nosti, quae te potuerunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu, eandem quam semper tenuisti, fidem catholicam ad totius ecclesiae aedificationem, nunc sacram Eucharistiam sumpturus publice profitearis.

Mox Sacerdos vel Diaconus infirmus alta voce recitabit Symbolum Apostolorum: quo expleto continuo faciat Confessionem dicens: Confiteor etc.

Interim Ministrans redit ad mensam, super quam sacra pyxis deposita fuit, genuflectit, pyxidem aperit, factaque rursus genuflexione, convertit se ad infirmum et post eius Confessionem generalem dicat Misereatur et Indulgentiam. Deinde facta coram S. Sacramento genuflexione sumet unam hostiam, quam elevatam tenebit et accedens ad infirmum incipiet alta voce Te Deum laudamus. Clerici circumstantes alterius prosequuntur: Te Dominum etc. Ad versum: Te ergo quaesumus etc. omnes prosternunt se versus sacram pyxidem. Dicto versu: Fiat misericordia tua, omnes sileant, solusque infirmus devote adspiciendo Eucharistiam, quam Sacerdos ministrans ei magis ostendet, dicat: In te Domine speravi: non confundar in aeternum.

Et continuo dicat ter: Domine non sum dignus etc. **Deinde Sacerdos ministrans, signum crucis supra pyxidem cum hostia producens dicat:** Accipe, carissime Frater (Reverende Pater vel Reverendissime Pater) Viaticum corporis Christi nostri Iesu ✝ Christi, qui custodiat te ab hoste maligno et perducat in vitam aeternam. ℟. Amen.

Cetera fiant ut in Communione Laicorum.

Si Viaticum ministrandum sit Subdiacono vel Clerico, omnia fient ut in Communione Laicorum, excepto quod Subdiaconus vel Clericus induetur superpelliceo.

PARS SECUNDA.

DE RELIQUIS SACRAMENTIS.

CAPUT I.

De Sacramento Baptismi.

I. ORDO FACIENDI CATECHUMENUM ET SCRUTINIORUM CELEBRANDORUM.

Ex Rituali Romano, quod ex veteri ecclesiae usu restituit I. A. Sanctorius Casertanus S. R. E. Ep. Card. S. Severinae[1]).

Postquam aliquis ex Infidelibus venerit ad ecclesiam, baptismi gratiam petens, ac nomen dederit seu suam declaraverit voluntatem, Sacerdos Deo, quod istum ad se vocaverit, gratias agat et oret, ut dirigat voluntatem eius et oculos cordis illuminet ad intelligenda mirabilia sua et iudicia iustitiae suae, ut odio habeat omnem viam iniustitiae et ingressus viam veritatis idoneus fiat lavacro regenerationis in adoptione filiorum Dei et in libro viventium connumeretur. Et mox faciat, ut is capitis tegumentum, sive aliud signum, quod ad distinctionem Christianorum deferebat, abiiciat et habitum induat, quem fideles solent. Tum eum admoneat, ut abrenuntiet diabolo et omnibus eius operibus fraudibus et machinationibus ac omni impietati et credat in Deum Patrem omnipotentem et in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum et in Spiritum Sanctum, unum Deum in Trinitate personarum; postea exsufflet ab eo saevam maligni Spiritus potestatem dicens: Exi immunde Spiritus et da locum Spiritui Sancto paraclito. Et cruce signet eum in fronte et in pectore dicens[2]): Accipe signum crucis tam in fronte quam

1) Asseman. C. L. I, p. 85 sq. Magna cum diligentia illud Rituale confectum est e vetustissimis ecclesiae Romanae Sacramentariis atque Ordinibus. Omisimus quae haud necessaria videbantur ad veteres ritus cognoscendos: adiecimus in adnotationibus, quae spectant ad aliarum occidentalium ecclesiarum disciplinam.

2) De diversis ecclesiarum in crucis signo efformando ritibus cf. Binterim Denkwürdigkeiten u. s. w. I. 1. p. 22.

in corde: sume fidem coelestium praeceptorum: talis esto moribus ut templum Dei esse iam possis: ingressusque ecclesiam Dei evasisse te laqueos mortis laetus agnosce. Horresce idola, respue simulacra, cole Deum Patrem omnipotentem et Iesum Christum filium eius, qui vivit cum Patre et Spiritu Sancto per omnia saecula saeculorum. Hac oratione expleta accipiat de sale benedicto et ponat in ore Catechumeni dicens: Accipe salem sapientiae in vitam aeternam[1]). Et imponat manum super eum et dicat aliquam orationem. Ac deinde introducatur in domum Catechumenorum et inter Catechumenos ecclesiae adnumeretur et in libro describatur. In ea autem domo Sacerdos catechizet eum divinis sermonibus et det ei monita salutis, quemadmodum post agnitam veritatem vivere debeat et saepius exorcismis illum exorcizet.

Sollemnem Baptismum Electorum, qui sabbato sancto celebratur, septem Scrutinia antecedere debent. Scrutiniorum tempus omnibus fidelibus denuntiatur[2]), unumquodque vero Scrutinium aliquo ante die Catechumenis, ut ad illud conveniant per Presbyterum ecclesiae denuntiatur, qua in ecclesia, quove die habendum sit.

Primum Scrutinium faciendum est feria IV. hebdomadae tertiae Quadragesimae. Ut autem ad ecclesiam venerint[3]) Catechumeni pro foribus consistant et dent nomina sua, quae scribantur in libro asservando ad reliqua scrutinia et baptismum. Deinde Diaconus clamat dicens: Catechumeni procedant. Et statuantur mares seorsum ad dextram Celebrantis, feminae vero seorsum ad sinistram partem. Tunc Presbyter benedicit cinerem pro iis, qui scrutinia sunt habituri et baptizari desiderant. Deinde spargat cineres super eos. Tunc

---

1) Habent Sacramentaria Benedictionem salis dandi Catechumenis et Benedictionem post datum salem. Hispani hoc sacramentum salis ignorasse videntur. Ildephons. Ordin. baptismi c. 26. tom. VI. miscell. Baluz. p. 31. In nonnullis locis, ut refertur, sales accipiunt, velut significato sapientiae condimento. Sed licet forsitan, ut dicitur, quia sola hoc antiquitas commendavit; adeo usquequaquam non probatur.

2). Ita in Gelasiano: Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo Electi nostri divinitus instruantur, imminere cognoscite. Ideoque sollicita devotione succedente sequente illa feria circa diei horam sextam convenire dignemini: ut coeleste mysterium quo Diabolus cum sua pompa destruetur et ianua regni coelestis aperietur, inculpabili Deo iuvante ministerio peragere valeamus. Per Dominum.

3) Comitantibus Susceptoribus, quorum iam apud Tertullianum de bapt. c. 18 fit mentio, patrini ac matrinae Catechumenis suis aderant in omnibus scrutiniis ipsisque saepius crucis consignatione benedicebant. Offerebant praeterea pro Catechumenis oblationes suas in Missis scrutiniorum. Quam magni fecerit ecclesia antiquitus susceptorum munus, coniicere licet ex eo, quod pro iis orare solita sit in canone. Sacr. Gel.: Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui Electos tuos suscepturi sunt ad sanctam gratiam baptismi tui. Et omnium circumadstantium. Et recitantur nomina virorum et mulierum, qui ipsos infantes suscepturi sunt. Et intras. Quorum tibi fides etc.

inprimis Presbyter nominatim, sicut scripta sunt, interroget singulos Catechumenos: N. abrenuntias Satanae. ℟. Abrenuntio. Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio. Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio. Deinde interrogat de Symbolo dicens: Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli ac terrae? ℟. Credo. Credis et in Iesum Christum filium eius unicum? ℟. Credo. Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam? ℟. Credo. Postea exsufflet ter in faciem cuiuscunque Catechumeni ter dicens: Exi immunde etc. p. 171. Et tunc faciat in singulorum frontibus crucem cum pollice ita dicendo: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Postquam eos signaverit imponit manum super capita eorum orando: Omnipotens, sempiterne Deus, respicere dignare super hunc famulum tuum, quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es. Omnem caecitatem cordis ab eo expelle. Disrumpe omnes laqueos Satanae, quibus fuerat colligatus. Aperi ei ianuam pietatis tuae, ut signo sapientiae indutus, omnium cupiditatum factoribus careat, atque ad suavem odorem praeceptorum tuorum, laetus tibi in ecclesia tua deserviat et proficiat de die in diem; signatus promissis gratiae tuae, per Dominum Iesum Christum, qui venturus est iudicare etc. Postea benedicat salem et mittat in os singulorum de ipso sale, singulis dicendo: Accipe salem sapientiae propitiatus in vitam aeternam. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo. Et orat super eos. Tum Diaconus dicat: Catechumeni recedant. Incipit Missa pro Scrutiniis Cum sanctificatus fuero. Recitata Collecta Missae revocantur Catechumeni et tribus vicibus a tribus acolythis cruce signantur, manus impositione benedicuntur, exorcizantur. Deinde ipse Presbyter eos signat, manum super eorum capita imponit orando ac benedicendo. His omnibus finitis legitur in Missa Lectio Ezechielis prophetae: Effundam super vos aquam mundam etc. et Graduale. Nunc iterum iubetur: Catechumeni recedant et egrediuntur usque dum completa fuerint Missarum sollemnia. In parte Canonis, quae incipit: Hanc igitur Sacerdos nomina Catechumenorum recitat atque pro ipsis preces fundit[1]). Post Missam redeuntibus annuntiat tempus secundi Scrutinii.

S e c u n d u m celebratur Sabbato post tertiam Dominicam Quadragesimae. Exceptis Missae orationibus omnia fiunt ut supra scriptum est in primo.

T e r t i u m Scrutinium agebatur feria quarta post Dominicam IV. Quadragesimae, quod inter septem maximum est et vocatur I n a p e r t i o n e

1) Sacr. Gel.: Hanc igitur oblationem Domine ut propitius suscipias deprecamur quam tibi offerimus pro famulis et famulabus tuis, quos ad aeternam vitam et beatam gratiae tuae dinumerare, eligere et vocare dignatus es.

aurium. Primo fit cineris benedictio et aspersio p. 172. Quibus expletis tangit Presbyter singulorum aures et nares de sputo oris sui et unicuique dicat ad aurem dextram: Epheta quod est adaperire, ad nares: in odorem suavitatis, deinde ad aurem sinistram: Tu autem effugare diabole: appropinquabit enim iudicium Dei. Tunc Presbyter interrogat: Abrenuntias Satanae et Credis in Deum etc. ut supra. Celebratur Missa et post Collectam fit Scrutinium per omnia sicut duobus prioribus diebus factum est ad Lectionem usque. Clamat Diaconus: State cum disciplina et cum silentio et leguntur duae lectiones et Graduale: altera Iesaiae: Haec dicit Dominus. Audientes audite me etc., altera Pauli ad Colossenses: Exspoliantes vos veterem hominem etc. Inde procedunt quatuor Diaconi cum libris IV Evangeliorum, sed antequam aliquis eorum legat, Presbyter alloquitur Catechumenos: Aperturi vobis, filii carissimi, Evangelia id est gesta divina prius ordinem insinuare debemus, quid est Evangelium et unde descendat et cuius in eo verba ponantur et quare quatuor sunt, qui haec gesta scripserunt vel qui sunt ipsi quatuor, qui divino spiritu adnuntiante propheta signati sunt: ne forte sine hac ordinis ratione et causa stuporem vobis in mentibus relinquamus. Et quia ad hoc venitis ut aures vobis aperiantur, nec incipiat sensus vester obtundi. Evangelium dicitur proprie Bona adnuntiatio, quae utique adnuntiatio est Iesu Christi Domini nostri. Descendit autem Evangelium ab eo, quod adnuntiet et ostendat: quod is, qui per prophetas loquebatur, venit in carnem, sicut scriptum est: Qui loquebar ecce adsum. Explicantes autem breviter quid sit Evangelium vel qui sunt hi quatuor, qui per prophetam ante monstrati sunt: nunc sua quaeque nomina singulis adsignemus iudiciis. Ait enim propheta Hezechiel: Et similitudo vultus eorum, ut facies Hominis et facies Leonis a dextris illius et facies Vituli et facies Aquilae a sinistris illius. Hos quatuor has figuras habentes Evangelistas esse non dubium est. Sed nomina eorum, qui Evangelia scripserunt haec sunt: Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes. Et adnuntiat unus ex Diaconis: State cum silentio audientes intente ac legit Initium Ev. sec. Matthaeum usque: Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Postquam legerit, explicat Presbyter, cur habeat Matthaeus figuram hominis. Postea prorsus simili ritu leguntur Marcus I, 1—8; Lucas I, 1—17; Ioannes I, 1—14. Ioannis figuram Presbyter explicat his verbis: I. habet similitudinem aquilae, eo quod nimis alta petierit. Ait enim: In principio erat verbum etc. Et David dicit de persona Christi: Renovabitur sicut aquilae iuventus tua i. e. Iesu Christi Domini nostri, qui resurgens a mortuis adscendit in coelos. Unde iam vobis con-

ceptis, praegnans gloriatur ecclesia, omnem festivitatem votorum ad nova tendere Christianae legis exordia: ut adveniente die venerabilis Paschae, lavacro baptismatis renascentis sicut Sancti omnes mereamini fidele munus infantiae a Christo Domino nostro percipere. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Incipit Praefatio Symboli ad Electos his verbis[1]: Dilectissimi nobis, accepturi sacramenta baptismatis et in novam creaturam Sancti Spiritus procreandi: fidem, qua credentes iustificandi estis, toto corde concipite et animis vestris vera conversatione mutatis, ad Deum, qui mentium nostrarum est illuminator, accedite: suscipientes evangelici symboli Sacramentum a Domino inspiratum, apostolis institutum, cuius pauca quidem verba sunt, sed magna mysteria. Sanctus etenim Spiritus, qui magistris ecclesiae ita dictavit, tali eloquio talique brevitate salutifera condidit fidem: ut quod credendum vobis est semperque providendum, nec intelligentiam possit latere nec memoriam fatigare. Intentis itaque animis Symbolum discite et quod vobis, sicut accepimus tradimus non alicui materiae, quae corrumpi potest, sed paginis vestri cordis adscribite. Confessio itaque fidei, quam suscepistis hoc inchoatur exordio:

Post haec interrogat Presbyter Acolythum: Qua lingua confitentur Dominum nostrum Iesum Christum? ℟. Graece. Presbyter: Adnuncia fidem ipsorum qualiter credunt. Et dicit Acolythus Symbolum graece[2]). Presbyter: Filii carissimi, audiistis Symbolum graece,

---

1) Africana ecclesia tradidit Symbolum Sabbato ante Domin. IV. Quadragesimae, Orationem Domini Sabbato ante Domin. V. Quadr. Gallicani celebrarunt Traditionem Symboli Dominica in Palmis. Haec ipsa Dominica vocatur Pascha Competentium sive Capitilavium. Cf. Isidorus de offic. eccles. I. 27 — — quia tunc moris est lavandi capita infantium, qui ungendi sunt, ne forte observatione Quadragesimae sordidata ad unctionem accederent. Cf. Binterim l. c. p. 36—37.

2) Binterim l. c. p. 50: Bis zu den Zeiten des Concils zu Nicäa bedienten sich alle Kirchen des apostolischen S. bei den Scrutinien und bei der Taufe. Nachher hielten einige Kirchen, besonders die im Oriente, für rathsam, um die zarten Pflanzen des Glaubens gegen die gewaltig einreissende Ketzerei des Arius zu schützen, das zu Nicäa erweiterte Symbolum vorzuschreiben. Dieser Gebrauch erhielt sich bis gegen Ende des 6. Jahrh., wo einige lateinische sowohl als griechische Kirchen anfingen, das von dem Concil zu Constantinopel angefertigte grössere Symbolum gesetzlich vorzuschreiben. Die römische Kirche hat immer ganz unverändert das alte apostolische S. beibehalten. Man findet in einigen Kirchenordnungen bei den Scrutinien ein kürzeres Glaubensbekenntniss, welches nur gleichsam eine Summe der grösseren war; dies grössere wurde bei der Taufe vorgetragen. At vero in Gelasiano exstat Symbolum Nicaenum: Pisteuo. hisena. theon. pathera. panhoorator an etc. interlineari textu latino. Contra in omnibus Sacramentariis Gallicanis reperitur Symbolum Apostolorum, sed non apud omnes descendit ad inferna.

audite et latine. Et dicit: Qua lingua confitentur Dominum nostrum I. C. ℟. Latine. Et recitat Acolythus Symbolum latine.

Sequitur brevis Expositio[3]) Symboli atque in fine admonitio v. c. Et ideo hanc brevissimam plenitudinem ita debetis vestris cordibus inhaerere, ut omni tempore praesidio huius confessionis utamini. Invicta est enim semper talium armorum potestas contra omnes insidias inimici ad bonam Christi militiam profuturis. Diabolus, qui hominem tentare non desinit, munitos vos hoc Symbolo semper inveniat: ut devicto adversario, cui renuntiatis, gratiam Domini incorruptam et immaculatam usque in finem ipso, confitemini, protegente servetis: ut in quo peccatorum remissionem accipitis, in eo gloriam resurrectionis habeatis. Ergo dilectissimi praefatum Symbolum fidei catholicae in praesenti cognovistis: nunc euntes edocemini nullo mutato sermone. Potens est enim Dei misericordia: quae et vos ad baptismi fidem currentes perducat: et nos, qui vobis mysteria tradimus, una vobiscum ad regna coelestia faciat pervenire. Per eundem.

His expletis iterum monet Diaconus: State cum silentio et disciplina audientes intente. Presbyter sic praefatur Orationi Dominicae: Dominus et salvator noster, Iesus Christus inter cetera salutaria praecepta, discipulis suis petentibus, quemadmodum orare deberent, eam formam eis orationis concessit, quam etiam lectione praesenti vos plenius cognovistis. Audiat nunc dilectio vestra, quemadmodum doceat discipulos suos orare Deum Patrem omnipotentem: Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora patrem tuum. Cubiculum, quod nominat non occultam domum ostendit, sed cordis nostri secreta illi soli patere commemorat. Et clauso ostio Deum adorare debere: id est ut a mala cogita-

---

1) Exemplo sint verba: conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine. Sacr. Gelas.: Hic Unigenitus Dei de Maria virgine et Spiritu Sancto secundum carnem natus ostenditur. Sacr. Gallicanum: Spiritus ergo Sanctus refertur dominicae carnis et templi creator. Incipe iam hinc intelligere etiam Sancti Spiritus maiestatem. Sic enim ait Evangelium: Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi. Videte ergo cooperantem sibi invicem Trinitatem. Spiritus Sanctus venire dicitur super virginem et virtus altissimi, nisi ipse Christus qui est Dei virtus et Dei sapientia? — Codex Bobiensis: Spiritum Sanctum audis auctorem: ne dubites virginem potuisse concipere. Hoc est quod ait angelus Gabriel ad Mariam dicens: Spiritus Sanctus veniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi. Cur non credis eum in utero virginis formasse hominem, quem credis hominem fecisse de terra? Nec Mariam dubites virginem mansisse post partum, quod ante multa tempora Esaias propheta cecinit dicens: Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium. Hoc divini eloquii auctoritate credendum est.

tione pectus nostrum mystica clave claudamus ac labiis clausis, incorrupta mente Deo loquamur. Deus autem noster fidei et non vocis auditor est. Claudatur ergo clave fidei pectus nostrum contra insidias adversarii et soli Deo pateat, cuius templum esse cognoscitur, ut, cum habitat in cordibus nostris, ipse sit advocatus in precibus nostris. Ergo Dei sermo et Dei sapientia Christus Dominus noster hanc orationem nos docuit ita orare:

Sequitur Oratio Dominica adiecta brevi expositione[1]). In fine adnuntiat Diaconus ut supra State etc. et Presbyter subiicit haec: Audistis dilectissimi Dominicae orationis sancta mysteria: nunc euntes ea vestris cordibus innovate: ut ad exorandam et percipiendam Dei misericordiam perfecti in Christo esse possitis. Potens est Dominus Deus noster: et vos qui ad fidem curretis ad lavacrum aquae regenerationis perducat etc. ut supra. His dictis adnuntiat Diaconus: Catechumeni recedant. Exeunt foras et prosequitur Presbyter Missam[2]). Sacris peractis denuntiatur Catechumenis redeuntibus in ecclesiam Scrutinium quartum.

Quartum Scrutinium celebratur feria quarta post Dominicam Passionis, quintum Sabbato eiusdem hebdomadis, sextum feria quarta post Dominicam Palmarum. Ritu ac caerimoniis non discrepant a primo et secundo.

Septimum Scrutinium, quod vocatur In redditione Symboli Sabbato sancto Paschatis habetur. Procedunt ad ecclesiam, qui baptizandi sunt et reddunt h. e. memoriter recitant Symbolum et Orationem Dominicam latina vel graeca lingua, qua Christum confitentur. Et imposita manu super capita singulorum dicit Sacerdos: Nec te lateat Satanas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicii, diem supplicii, diem qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi atque universis angelis tuis aeternis veniet interitus. Proinde, damnate, da honorem Deo vivo et vero: da honorem Iesu Christo filio eius et Spiritui Sancto, in cuius nomine atque virtute praecipio tibi,

---

1) Sacram. Gelasii pulchre interpretatur Orationis praefatiunculam: Pater noster etc. Haec libertatis vox est et plena fiducia. Ergo his vobis moribus est vivendum, ut et filii Dei et fratres Christi esse possitis. Nam Patrem suum Deum, qua temeritate dicere praesumit, qui ab eius voluntate degenerat? Unde vos, dilectissimi, dignos exhibete adoptione divina, quoniam scriptum est: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ex precationibus explicet nobis Gelasius quintam: Et dimitte nobis: Hoc praecepto significans, non nos aliter peccatorum posse veniam promereri nisi prius nos in nos delinquentibus aliis relaxemus, sicut in Evangelio Dominus dicit: Nisi dimiseritis peccata hominibus, nec vobis Pater vester dimittet peccata vestra.

2) Quae vocatur in Sacramentariis Missa in Traditione Symboli.

ut exeas et recedas ab hoc famulo Dei, quem hodie Dominus Deus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem, fontemque baptismatis vocare dignatus est: ut fiat eius templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum in nomine Domini nostri Iesu Christi. Qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem[1]). Tunc tangit aures et nares saliva ut in Scrutinio tertio, idem dicens: Epheta etc. p. 174. Postea tangit eos in pectore et inter scapulas de oleo sancto, crucem faciendo cum pollice et vocatis nomine singulis dicit: N. abrenuntias etc. ut p. 173. Addit praeterea: Et ego te linio oleo salutis ✝ ✝ in Christo Iesu Domino nostro in aeternam salutem. ℟. Amen. Hoc expleto imposita manu super capita electorum decantat Symbolum et Orationem Domini. Postea vero dicitur Catechumenis ab Diacono: Orate electi, flectite genua, complete orationem vestram in unum et dicite: Amen. Et respondent omnes: Amen. Iterum admonentur ab Archidiacono his verbis: Catechumeni recedant. Omnes Catechumeni exeant foris. Iterum dicit Diaconus: Filii carissimi, revertimini in locos vestros, exspectantes horam, qua possit circa vos Dei gratia baptismum operari[1]).

1) Magnus est Exorcismorum in vetustis libris numerus, magna harum formularum gravitas atque maiestas. Sic in Missali Gothico: Aggredior te immundissime damnate Spiritus, qui es inveterator malitiae, materies criminum, origo peccati: qui fraudibus, sacrilegiis, caedibus, stupris gaudes etc. Iam pridem praefigurata sunt ista, quae pateris. Iam tu vastatus Aegyptiorum plagis, tu in Pharaone demersus, in Hierico destructus, in septem Chananaeis gentibus stratus, per Samsonem in Allophylis subiugatus, truncatus in Golia per David, per Mardoceum in Aman suspensus, per Danihel in Bel deiectus etc. Abscede, abscede quocumque es et corpora Deo dicata ne repetas. Interdicta sint tibi ista in perpetuo. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et in gloria dominicae passionis: cuius cruore salvantur, cuius adventum exspectant, iudicium confitentur. Per Dominum.

2) Binterim l. c. p. 44: Vicecomes de rit. bapt. 3, 21 glaubt, blos in der römischen Kirche wären die Scrutinien üblich gewesen; allein auch in Africa (Concil. IV. Carthag. c. 85), in Spanien (Concil. III. Bracar. c. 9), in Frankreich und in der Kirche zu Mailand wurden sie beobachtet. Immo, cum iam vetus ecclesia infantes quoque in susceptoribus suis Scrutiniorum disciplina tentaverit, temporibus Rabani atque Amalarii ecclesiam hunc ritum servasse haud miramur. (Amalarius de caerim. 6. In Scrutinio quippe facimus signum crucis super pueros, sicut invenimus scriptum in Romano ordine, et genuflexionem, et adiurationem, et docemus orationem dominicam patrinos et matrinas, ut et ipsi similiter faciant, quos suscepturi sunt a sacro baptismate. Scrutinium fit ante Pascha septies.) Testantur De Moleon et Martene in Itinerariis, sua aetate Viennae, Rotomagi et Leodii Scrutinia vel Scrutinium saltem tertium etiamnunc celebrari. Apud antiquos Christianos habebantur quoque Scrutinia intra Pascha et Pentecosten; nam in Vigilia Pentecostes pari sollemnitate Baptismus conferebatur.

II. BENEDICTIO FONTIS ET ORDO BAPTISMI E SACRAMENTARIO GELASIANO[1]).

Inde descendis cum Litania ad fontem[2]):

Benedictio Fontis: Omnipotens, sempiterne Deus, adesto magnae pietatis mysteriis: adesto Sacramentis et ad creandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, Spiritum adoptionis emitte, et quod humilitatis nostrae gerendum est ministerio tuae virtutis compleatur effectu. Per.

Item Consecratio Fontis[3]). Deus, qui invisibili potentia tua Sacramentorum tuorum mirabilem operaris effectum; et licet nos tantis mysteriis exequendis simus indigni: tu tamen gratiae tuae dona non deseris[4]) etiam ad preces nostras aures tuae pietatis inclina[5]). Deus, cuius spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur[6]), ut iam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet. Deus, qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signasti, ut unius eiusdemque elementi mysterio et finis esset vitiis et origo virtutum[7]). Respice Domine in faciem ecclesiae tuae et multiplica in ea generationes[8]) tuas, qui gratiae tuae effuentis[9]) impetu laetificas civitatem tuam, fontemque baptismatis aperis toto orbe terrarum gentibus innovandis: ut tuae maiestatis imperio sumat

1) Adiecta est scriptura Codicis Vindobonensis (V.) saec. X. cf. Gerbert. Mon. L. A. II. p. 5 sqq. ac Benedictioni Fontis textus hodierni Missalis Romani (R.).

2) R. Sacerdos benedicturus Fontem accipit Pluviale violaceum et praecedente cruce cum Candelabris et Cereo benedicto accenso descendit cum clero et ministris paratis ad fontem et interim cantatur sequens Tractus Ps. 41: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum etc. Deinde Sacerdos antequam intret ad benedictionem fontis, dicat hanc orationem iuxta fontem: Dom. vob. ℟. Et cum s. t. Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus respice propitius ad devotionem populi renascentis, qui sicut cervus aquarum tuarum expetit fontem et concede propitius ut fidei ipsius sitis baptismatis mysterio animam corpusque significet. Per. Postea procedit ad benedictionem fontis dicens: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus etc. ut supra.

3) V. Hanc deinceps benedictionem Sacerdos canendo proferat iuxta canonicam auctoritatem. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et iustum est. Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui invisibili etc. R. Elevans vocem in modum praefationis prosequitur: Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen. Dominus vobiscum etc. ut in V.

4) V. R. deserens. 5) V. inclines. R. inclinas. 6) V. Hic aquam manu tangat in modum crucis. 7) R. virtutibus. 8) R. regenerationes. 9) R. affluentis.

unigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto[1]), qui hanc aquam regenerandis hominibus praeparatam arcana sui luminis admixtione fecundet. Ut sanctificatione concepta ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam progenies coelestis emergat: et quos aut sexus in corpore aut aetas discernit in tempore, omnes in unum pareat[2]) gratia mater infantiam. Procul ergo hinc iubente te Domine omnis spiritus immundus abscedat: procul tota nequitia diabolicae fraudis absistat. Nihil hic loci habeat contrariae virtutis ammixtio: non insidiando circumvolet, non latendo subripiat, non inficiendo corrumpat[3]). Sit haec sancta et innocens creatura libera ab omni impugnatoris incursu et totius nequitiae purgata discessu. Sit fons vivus aquae[4]) regenerans, unda purificans: ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu Sancto, perfecti[5]) purgationis indulgentiam consequantur.

Hic signas[6]). Unde benedico te, creatura aquae, per Deum vivum[7]), per Deum sanctum, per Deum qui te in principio verbo separavit ab arida[8]) et in quatuor fluminibus totam terram rigare praecepit: qui te in deserto amaram suavitate indita fecit esse potabilem et sitienti populo de petra produxit. Benedico[9]) te per Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui te in Cana Galilaeae signo admirabili sua potentia convertit in vinum: qui pedibus super te ambulavit et a Ioanne in Iordane in te baptizatus est; qui te una cum sanguine de latere suo produxit et discipulis suis iussit ut credentes baptizarentur in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Hic sensum mutabis[10]). Haec nobis praecepta servantibus, tu Deus omnipotens clemens adesto, tu benignus adspira[11]). Tu has simplices aquas tuo ore benedicito: ut praeter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces[12]).

---

1) V. Hic manu tangat ut supra. R. Hic Sacerdos manu extensa dividit aquam in modum crucis et eam statim linteo extergit dicens. 2) R. pariat. 3) R. aquam manu tangat. 4) V. R. aqua regenerans. 5) V. R. perfectae. 6) R. facit tres cruces supra fontem dicens. 7) R. per Deum vivum †, per Deum † verum, per Deum † sanctum. 8) V. arida et te de paradiso manare (hic aquam in quatuor divide ita) † et in. R. arida cuius spiritus super te ferebatur. (Hic manu aquam dividit et effundit eam versus quatuor mundi partes dicens) Qui te de paradisi fonte manare fecit et in quatuor. 9) R. bene † dico. 10) V. hic muta cantici vocem quasi lectionem legas. R. mutat vocem et prosequitur in tono lectionis. 11) R. halat ter in aquam in modum crucis. 12) V. Hic pone cereum ardentem in aquam et inclinato super fontem dic

Descendat in hanc plenitudinem Fontis virtus Spiritus tui[1]) et totam huius aquae substantiam regenerandi fecundet effectu. Hic omnium peccatorum maculae deleantur. Hic natura ad imaginem tuam condita et ad honorem sui reformata principii, cunctis vetustatis squaloribus emundetur. Ut omnis homo hoc Sacramentum regenerationis ingressus in vera innocentia[2]) nova infantia renascatur[3]). Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui venturus est in Spiritu Sancto iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem[4]).

Inde benedicto Fonte, baptizas unumquemque in ordine suo sub his interrogationibus[5]):

Credis in Deum Patrem omnipotentem[6])? ℟. Credo.

---

istum verbum. R. Hic Sacerdos paullulum demittit cereum in aquam et resumens tonum Praefationis dicit: Descendat etc.

1) tui (Post haec iusuffla super fontem tribus vicibus in hunc modum ψ) et totam — effectu. Hic sume cereum extra aquam et ista, quae sequuntur statim subinfer. R. Deinde extractum cereum de aqua iterum profundius mergit altius repetens; Descendat etc.. Postea cereum rursus de aqua extractum tertio immergens usque ad fundum altiori adhuc voce in aquam secundum hanc figuram Ψ prosequitur: Totam — effectu. Hic tollitur cereus de aqua et prosequitur.

2) R. verae innocentiae. 3) R. sequentia dicit legendo.

4) V. Hic aqua benedicta aspergatur super circumstantes et quicunque velint sumant extra aspergendum, quo velint. Post haec accipe chrisma cum vasculo et funde illud in modum crucis super ipsam aquam baptismatis invicem miscens ita dicendo: Infusio chrismatis Domini nostri Iesu Christi Paracliti in nomine sanctae Trinitatis. Amen. Et alio modo: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti sanctificetur et fecundetur fons iste. Amen. R. Deinde per assistentes Sacerdotes spargitur de ipsa aqua benedicta super populum. Et interim unus ex ministris ecclesiae accipit in vase aliquo de eadem aqua, ad adspergendum in domibus et aliis locis. His peractis Sacerdos, qui benedicit fontem, infundit de oleo Catechumenorum in aquam in modum crucis intelligibili voce dicens:

Sanctificetur et fecundetur fons iste oleo salutis ex eo in vitam aeternam. Amen.

Deinde infundit de chrismate modo quo supra dicens:

Infusio etc. ut supra fiat in nomine S. Trinitatis.

Postea accipit ambas ampullas dicti olei sancti et chrismatis et de utroque simul in modum crucis infundendo dicit:

Commixtio chrismatis sanctificationis et unctionis et aquae baptismatis pariter fiat in nomine Pa ✝ tris ✝ et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Tunc misceat ipsum oleum cum aqua et spargit manu sua per omnem fontem. Si aderunt baptizandi, eos baptizat more consueto.

5) V. Hoc autem finito praesententur infantes secundum ordinem ante Sacerdotem, his namque in brachiis tenentibus, qui eos de baptismo suscepturi sunt. Et tunc demum Sacerdos singulos specialiter praenominans, interroget, si firmiter symbolum in Deum habeant, his verbis de credulitate. Ita: Credis etc.

6) V. creatorem coeli et terrae. Et Compater infra sic respondet: Credo.

Credis et in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum, natum et passum? ℟. Credo.

Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem[1]? ℟. Credo.

Deinde per singulas vices mergis eum tertio in aqua. Postea cum ascenderit a Fonte Infans signatur a Presbytero in cerebro de Chrismate, his verbis:

Deus, omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex Aqua et Spiritu Sancto: quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum[2]: ipse te linit Chrisma salutis in Christo Iesu Domino nostro in vitam aeternam. ℟. Amen[3].

Et si adfuerit Episcopus statim confirmatur Infans.

---

1). V. vitam aeternam. — Post talem vero parvulorum responsionem presbyter crucem faciens cum exorcizato oleo in pectore et inter scapulas infantum, eos nominando ita dicat: Et ego te linio oleo salutis in Christo Iesu Domino nostro in vitam aeternam. Amen. Eo autem ordine sic peracto Presbyter accipiens infantes a parentibus eorum sicut iustum est et ab eis rogatus sub trina mersione primum masculos et postmodum feminas nominando baptizet his verbis: N. vis baptizari? ℟. Volo. Baptizo te in nomine Patris. Et intingit semel. Et Filii. Et inferat secundo. Et Spiritus Sancti. Et mergat tertio. Sed et hoc in modum crucis facere memento. Primum vero in orientalem plagam fer infantem extensis pedibus in occidentalem plagam. Secundo in dextram, quod est in australem plagam. Tertio in sinistram h. e. in aquilonarem partem. Cum autem infantes elevati fuerint e Fonte, compater singulorum accipiens eos habeat intra cubam pedibus infantis adhuc in aqua consistentibus donec Presbyter chrisma requirens praeferat interim quoque ista dicens: Deus omnipotens etc.

2). V. Hic Presbyter faciens signum crucis cum chrismate in vertice infantis et eum nominans ita dicat: ipse etc.

3). V. Post haec ponens cappam super caput eius et eum nominans sic dicat: Accipe vestem candidam et immaculatam, quam praeferas ante tribunal Christi in nomine sanctae Trinitatis. Amen. Tunc demum extrahatur infans foras cuballam et statim in illa die, usque dum Missa percelebratur, quanti sint in ecclesia maneant. Post Missam autem, antequam sumant Corpus et Sanguinem Domini, hae orationes dicantur super infantes noviter baptizatos: Omnipotens, sempiterne Deus, qui regenerasti etc. et Omnipotens, sempiterne Deus, maiestatem tuam etc. Post has autem orationes detur eis eucharistia ita dicendo: Corpus et Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam. Amen. Sacramentaria Gallicana fere in in omnibus cum Romanis faciunt. Habent tamen iisdem ritibus proprias formulas easque pulcherrimas, e. g. in unctione infantis: Ungo te de oleo sanctificato sicut unxit Samuhel David in Regem et Prophetam. Una commemoratur singularis caerimonia. Lavantur baptizandis pedes, his vel similibus adiectis: Ego tibi lavo pedes. Sicut Dominus noster Iesus Christus fecit discipulis suis: tu facias hospitibus ac peregrinis, ut habeas vitam aeternam.

III. ORDO AD BAPTIZANDUM PUEROS [1]),

Ex Agenda Moguntinensi Urielis anni 1513.

Cum venerint pueri ad ianuam ecclesiae, masculi statuantur ad dextram, femellae ad sinistram partem, tunc Sacerdos interroget nomina singulorum:

Wie sol das Kyndt heissen? N. Vel in Plurali: Wie sollen die Kynder heissen?

Dein insufflet [2]) in faciem pueri vel puerorum dicendo: Exi ab eo immunde spiritus et da locum advenienti Spiritui Sancto et da honorem Deo vivo et vero [3]).

Presbyter faciat crucem in fronte et corde eorum dicens: Accipe signaculum crucis etc. ut p. 173.

Omnipotens, sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, respicere digneris super hunc famulum tuum N., quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es. Omnem caecitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos Satanae, quibus fuerat colligatus aperi ei Domine ianuam pietatis tuae ut signo sapientiae tuae imbutus omnium cupiditatum foetoribus careat et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus tibi in ecclesia tua deserviat et proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui percepta medicina. Per.

Sacerdos sal exorcizaturus mittat in os cuiuslibet baptizandi dicens: Accipe salem sapientiae, ut Christus sit tibi propitiatus in vitam aeternam. Amen [5]). Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

---

1) Ordines ad baptizandum femellas in paucis formulis praesertim in Exorcismis discrepant. Contuli cum liturgia Urielis Codicem Muratorii Mutinensem Lit. Rom. I. p. 98 (M), qui caerimonias explanat; quae proprie atque arctiori sensu ad baptismum pertinent. Ordinem Monasterii Gladbacensis apud Martenium (G) et Rituale Ecclesiae Augustanae, anno 1587 editum (A).

2) Augustinus de nupt. II, 18: „Ubique in ecclesia infantes exsufflantur ideo, ut princeps mundi foras mittatur“. Et alibi: „ad hoc respondeo, cur exsufflentur baptizandi parvuli ostende: aut universae antiquissimae ecclesiae bellum indicens, exsufflari eos non debere ostende“. Crebra fit harum insufflationum mentio apud Cyrillum Hier., Gregorium Nazianzenum, Augustinum e. a.

3) C. A. Spiritus et da locum Spiritui Sancto.

4) C. Accipe signaculum Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti. A. Signum sanctae crucis ✝ Domini nostri I. C. in frontem tuam pono, Signum salvatoris D. N. I. C. in ✝ pectus tuum pono. Accipe signum sanctae crucis tam in fronte quam in pectore etc. — Quoad partes signo crucis signandas, non fuit semper eadem ecclesiarum consuetudo. Subin frons tantummodo signabatur, subin et pectus addebatur, alibi in naribus simul et oculis et scapulis consignatio fiebat.

5) C. A. Acc. s. s. ut habeas vitam aeternam. — August. Conf. I, 11. Audieram

Deus patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius et hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleatur coelesti, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum Domine, quaesumus ad novae regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per.

Presbyter faciat crucem super masculum vel masculos et dicat:

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti et filios Israel de terra Aegypti eduxisti, deputans eis angelum pietatis tuae, qui custodiret eos die ac nocte: te quaesumus Domine ut mittere digneris sanctum angelum tuum de coelis, qui similiter custodiat et hunc famulum tuum N. et perducat eum ad gratiam baptismi tui. Per.

Postea fiat repulsio diaboli a masculo: Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Iesu Christo Filio eius et Spiritui Sancto: et recede ab hoc famulo Dei N., quia istum sibi Deus et Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam fontemque baptismatis vocare dignatus est: et hoc signum sanctae crucis †, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eundem C. D. N., qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Exorcizo te immunde spiritus in nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti, ut exeas et recedas ab hoc famulo Dei N., ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit et Petro mergenti dextram porrexit. Ergo maledicte diabole, recognosce etc. ut supra.

Aeternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor, Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis et veritatis super hunc famulum tuum N., ut digneris eum illuminare lumine intelligentiae tuae: munda eum et sanctifica, da ei scientiam veram ut dignus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit, ad percipiendam gratiam tuam. Per.

Hic faciat crucem in fronte et in ore et in pectore pueri: si sint plures

---

adhuc puer de vita aeterna nobis promissa per humilitatem Domini Dei nostri descendentis ad superbiam nostram et signabar iam signo crucis et condiebar eius sale.

singulorum tangat pectora dicendo: Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum: In illo tempore oblati sunt Iesu parvuli etc.[1]).

Deinde Presbyter manum teneat super capita singulorum infantium et dicat: Pater noster etc. et Ave Maria etc. et Symbolum Apostolorum.

Moneat adstantes, ut orent et catechiset: Nec te lateat Satana etc. ut pag. 177 [2]).

Dein digitis, pollice et indice tangat ei aures et nares cum sputo oris sui dicens Effeta Ad aures Quod est adaperire. In odorem suavitatis Ad Nares. Et videat caute, ne tangat sputo labia infantes. Quoniam ne id fiat habetur de consecr. dist. IVC propter gliam[3]).

Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Presbyter inducat puerum in ecclesiam et dicat: Ingredere in ecclesiam Dei, ut merearis computari inter filios Dei. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen[4]).

Posthac stans circa fontem Baptismatis interroget puerum. N. Abrenuncias Satanae? Widersagest Du dem Teufel? ℟. Abrenuncio. Ich widersag. Et omnibus pompis eius etc. ut pag. 173[5]).

---

1) A. legi iubet Evangelium S. Marci: Offerebant Iesu parvulos etc. Signatur infans signo crucis in fronte, ore et pectore. Dum recitat Sacerdos verba: Et complexans eos et imponens etc. manu tangit infantem cum stola — deinde prosequendo: manus super illos benedicebat eos, facit crucem infantem benedicendo et postea dicit: Deo gratias. Per istos sermones Sancti Evangelii indulgeat tibi Dominus universa delicta tua.

2) C. Post haec Sacerdos tenens manum super caput infantis, silenter cantet Symbolum et Pater noster. A. Ad patrinos et alios circumstantes faciat exhortationem et postea iubeat omnes flexis genibus orare pro baptizando Pater noster, Ave Maria et Credo. His expletis Sacerdos imponat manum cum stola super parvulum et dicat: Nec te lateat etc.

3) A. Post haec Sacerdos spuat in sinistram manum suam et sumat cum pollice et indice dextrae manus modicum terrae et commisceat in manu sinistra dicendo: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et tangat cum pollice et sputo auriculam infantis dextram his verbis: Epheta etc. Deinde nares subiungendo: In odorem etc. Demum sinistram auriculam dicendo: Tu autem etc. — Sane in quibusdam tantum Germaniae ecclesiis cum sputo adhiberi consueverat et lutum. Cf. Manuale Io. Iacobi Archiep. Salisb. de Sacr. Bapt. c. 4. 5.

4) A. — ut merearis videre filium Dei vivi. In nomine etc. Infans praeparetur et mundetur per mulieres ad baptismum. Cum autem pervenitur ad baptisterium, stans Sacerdos facie ad orientem versa Cathecismum, uti sequitur, absolvat: Recipiat autem patrinus in manus suas et Sacerdos dicat ad obstetricem: Estne Infans baptizatus? Ist das Kindlein getaufft? Et observet responsionem eius, deinde dicat Patrino: Ad ea, quae ego interrogavero, respondebis loco infantis. Worauf ich euch jezt fragen werde, solt ihr mir an statt dess Kindleins antworten. Tunc interrogat de nomine infantis: Quis vocaris? Nennet das Kind. Respondet Patrinus N.

5) Hunc abrenuntiationis ritum antiquissimum esse discimus ex plurimis locis

Interrogat dein Sacerdos de credulitate puerorum: Credis in Deum Patrem, omnipotentem Creatorem coeli et terrae? Glaubst Du in Gott, Vatter, allmechtigen Schöpfer Hymmels und Erden? ℟. Credo. Ich glaube. Et sequentia ut p. 173. Tertio articulo additur: Et in vitam aeternam[1]).

Dein. Sacerdos faciat crucem cum oleo sancto salutis sive catechumenorum in pectore et scapulis pueri dicatque:

Et ego te linio ✠ oleo salutis in Christo Iesu ✠ Domino nostro[2]).

Sacerdos interroget patrinum[3]): Vis puerum levare de fonte? ℟. Volo.

Tertulliani. De spectac. c. 4 renunciasse nos Diabolo et pompis et angelis eius contestamur. Ib. c. 24, hoc erit pompa diaboli, adversus quam in signaculo fidei eiuramus. De idol. c. 6, de hab. mul. c. 2, de corona milit. c. 3, e. s. Adde alius saeculi testimonium, ex libello S. Pirminii depromptum (Mabillon Anal. p. 67): Ideo fratres ad memoriam vestram reducimus, quale pactum in ipso baptisterio cum Deo fecimus v. g. cum interrogati singuli nomen nostrum a Sacerdote fuimus, quomodo diceremur, respondisti autem tu, si iam poteras respondere, aut certe qui pro te fidem fecit, qui te fonte suscepit et dixit: Ioannes dicitur aut aliud nomen. Et interrogavit Sacerdos: Ioannes abrenuncias diabolo et omnibus operibus eius? Respondisti: Abrenuntio etc. In Synodo Leptinensi (Harzheim Concil. Germ. Tom. I. fol. 51) commemoratur formula abrenuntiationis theotisca: Forsachistu Diabolä? Ec forsacho Diabolä. En allum Diabol gelde? End ec forsacho allum Diabol galde. End allum Dioboles werkum? End ec forsacho allum Dioboles werkum und wordum thuna eren de Woden ende Saxnote ende allem them unholdum the hira genotas sind.

1) Istae tres interrogationes continent in se substantiale compendium fidei et Symboli Apostolorum, quod iam antea integrum recitatum est. Adeo breviores occurrunt apud Pseudo-Ambrosium de Sacr. 2, c. 7: „Interrogatus es Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti Credo et mersisti h. e. sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Iesum Christum et in crucem eius. Dixisti Credo et mersisti, ideo et Christo consepultus es. Tertio interrogatus es: Credis et in Spiritum Sanctum? Dixisti Credo. Tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris aetatis absolveret trina Confessio. Brevissimam formulam theotiscam proponit Synodus Leptinensis: Gelobistu in Got almechtigan Fadaer? Ec gelobo in Got almechtigan Fadaer. Gelobistu in Christ Godes Suno? Ec gelobo in Christ Godes Suno. Gelobistu in Halogan Gast? Ec gelobo in Halogan Gast. Etenim ut vernaculo sermone fierent interrogationes et responsiones iam praecepit S. Bonifacius stat. VII.: „Nullus sit Presbyter, qui in ipsa lingua, qua nati sunt, baptizandos abrenuntiationes et confessiones aperte interrogare non studeat, ut intelligant, quibus renuntiant vel quae confitentur".

2). Hanc unctionem primus commemorat Tertullianus de bapt. c. 7.

3) A. Finita catechesi recipiat Sacerdos infantem in manum suam sinistram, tenendo eum caute et molliter super baptisterium et patrinus imponat digitos super caput baptizandi. Deinde interroget: Quis vocaris? et Vis baptizari? Primam quaestionem repetit ter, secundam bis.

Et ego praecipio tibi per salutem tuam, ut, cum puer ad annos discretionis pervenerit, in fide recta eundem instruas, orationem Dominicam sc. Pater Noster et Symbolum Apostolorum i. e. Credo illum doceas.

Ich gebeut dir by deiner seligkeit, wann das Kyndt kommt zu den Iaren der Vernunft, das du das selbig underweysest in in dem rechten Glauben, das Vatter unser, Ave Maria und den Glauben[1]).

Interroget: Vis baptizari? Willst Du getauft werden? ℟. Volo. Ich will.

Tunc Sacerdos manu sua attingat fontem baptismatis et trina vice[2]) fundat super caput pueri, ita tamen, quod aqua tangat caput et scapulas.

Tunc superfundendo ter Sacerdos dicat: Ego te baptizo in nomine Patris fundat semel super eum capite verso in orientem et Filii fundat secundo capite verso in aquilonem et Spiritus Sancti fundat tertio capite verso in meridiem[3]).

Compater recipiat puerum, teneat eum supra fontem: Presbyter interim dicat: Omnipotens, sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum — Hic faciat crucem cum crismate in vertice pueri — ipso te liniat crismate + salutis in Christo

---

1) Pontificale Antissiodorense, saeculo decimo sexto editum, de susceptoribus haec singularia habet: Dicat Sacerdos patrinis et matrinis: Vos Patrini et Vos Matrinae, custodite hunc infantem a periculo ignis et aquae usque ad septem annos et dicatis patri et matri eius, ut ipsum similiter custodiant et docete eum orationem dominicam et Symbolum Apostolorum.

2) In Hispania tempore Gregorii Magni vigebat consuetudo semel tantum immergere baptizandos in aquam, ab ipso pontifice haud damnata. Binterim Denkw. I, 1. S. 114 sq.

3) A. Sacerdos manu dextra de fonte aquam desumens, leniter ea perfundat caput et corpus pueri tribus vicibus etc. M. Interroga: Iohannes vis baptizari? Resp. Volo. Et accepto infante baptizat eum sub trina mersione, ita dicendo: Et ego te baptizo etc. — In Sacramentariis Gallicanis aliae occurrunt Baptismi formulae: Baptizo te ill. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in remissionem peccatorum, ut habeas vitam aeternam vel In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti unam habentum (recte habentium) substantiam, ut habeas vitam aeternam et partem cum Sanctis. In epistola quadam S. Bernardi spuria probatur formula: In nomine Dei et sanctae verae crucis. Adrianus VI. (de Sacr. f. 23) haec habet: Si quis formae communi addat hanc particulam „et b. Petri et b. Mariae virginis etc. et credat et velit esse hoc esse de essentiae forma, non est baptisma; secus est, si ex devotione adderet. At recte Binterim: Man darf fragen, ob ein solcher Zusatz von einer wahren Devotion und einem gesunden Religionseifer herrühren könne? Vielmehr muss er den grössten Stumpfsinn und Aberglauben voraussetzen.

Iesu Domino nostro in vitam aeternam. Amen[1]).

Post hoc accipiat cappam, ponat super caput eius dicens:

Accipe vestem candidam, sanctam et immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen[2]).

Vade in pa ✝ ce, fides tua te salvum fecit.

Iam mentio iniicienda est aliarum quarundam caerimoniarum, quae accesserunt baptismo apud antiquos. Apud nostrates si unam exceperis non amplius servantur.

1. Lactis et mellis degustatio, Africanis ut videtur propria atque accepta, mysticum significabat Canaan, terram lacte et melle abundantem, in quam introibant Catechumeni. Tertull. de cor. mil. c. 3; adv. Marc. I, 14. Binterim l. c. p. 177. Ex loco Hieronymi Isai. LV, 1. colligitur in nonnullis ecclesiis lac et vinum datum esse.

2. Ablutio pedum, Gallicanae ecclesiae consuetudo p. 182.

3. Osculum infantibus in baptismo dabatur a Sacerdote dicente: Pax tibi. Cyprianus Ep. LIX respondet Fido, qui putabat infantes in primis partus sui diebus mundos non esse: neminem debere id horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans a partu novus sit, non ita tamen esse, ut quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat osculari, quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas, adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato ac recens nato quodammodo osculamur, quando id, quod Deus fecit, amplectimur. Binterim l. c. „Martene ist der Meinung, der Kuss sei nur in der africanischen Kirche nach der Taufe üblich gewesen; allein dies scheint blos aus dem Grunde mir unwahrscheinlich, weil das Osculum pacis ein gewöhnlicher Gebrauch

---

1) Amalarius de caer. baptismi: Post hoc salutare lavacrum linitur caput sacro chrismate, unde Sacerdotes et Reges uncti sunt, ut intelligat baptizatus regale ac sacerdotale mysterium se accepisse, quia illius corpori adunatus est, qui rex summus et Sacerdos est verus et regnum sperare debet perpetuum et hostias immaculatae conversationis Deo semper offerre meminerit.

2) Alcuinus de divin. offic.: Albis induitur vestimentis propter gratiam regenerationis: tunc sacro chrismate caput perungitur et mystico tegitur velamine, ut intelligat se diadema regni et sacerdotii dignitatem portare. Addit Binterim: Das hier genannte mysticum velamen ist das Käppchen (cappa, caputium). Doch scheint mir späterhin, wo die Kinder durch die Uebergiessung des heiligen Wassers auf das Haupt getauft werden, diess Käppchen mit dem weissen Kleide verwechselt worden zu sein. Das Pontificat von Salzburg sagt ausdrücklich: Post haec ponat cappam super caput dicens: Accipe vestem candidam etc. — Similiter Agenda Urielis. A. Deinde imponendo c a p p u l a m v e l a l b a m infantis capiti dicat: Accipe etc. C. Post haec ponens cappam super caput eius et eum nominans sic dicatur: Accipe. M. Deinde pones linteum in capite eius, dicens: Accipe. Conferas praeterea usum vocis germanicae K a p p e, K a p p r o c k pro vestimento infantulis usitato.

unter den Gläubigen der ersten Zeit war. Ohne Zweifel erhielt der Neugetaufte den ersten Friedenskuss von dem taufenden Priester, dann aber auch später bei der Liturgie von den übrigen Gläubigen Chrysostomus in der 50sten Rede, wo er die geistliche Wiedergeburt mit der natürlichen vergleicht, deutet auf diesen Gebrauch hin."

4. Sacra Eucharistia antiquissimis temporibus a Catechumenis adultis, postea ab infantibus quoque proxime post baptismum sumpta, uti adhucdum communio infantum obtinet in ecclesia orientali. Haud facile invenitur liber ritualis medii aevi, qui communionem baptismo adiunctam non commemoret, immo commendet atque praecipiat. Illud autem providendum videtur vetustis, ne postquam baptizati fuerint parvuli ullum cibum accipiant, neque lactentur sine summa necessitate, antequam communicent Sacramento corporis Christi. Omnino tantum aberat, ut hanc infantum communionem in dubium vocarent, ut non consuetudinem laudabilem sed ritum necessarium appellarent, ut est apud Theodulphum de baptism. c. 18 Sirmond. Tom. II. fol. 696. At vero saeculo decimo quarto et quinto hic ritus in desuetudinem abire coepit. Cf. Concil. Trident. Can. IV. Sess. XXI.: Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint necessariam esse Eucharistiae communionem anathema sit.

5. Lumina neophytis in manus data iam commemorant Cyrillus Hierosolymitanus ac Gregorius Nazianzenus. Id factum est in occidentali ecclesia sollemni illa formula, quam nunc Romana ecclesia tenet: Accipe lampadem ardentem irreprehensibilem, custodi baptismum tuum, serva Dei mandata, ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus sanctis in aula coelesti habeasque vitam aeternam et vivas in saecula saeculorum. Vade in pace et Dominus sit tecum. Amen.

Legitur illa formula in Codice Muratorii Mutinensi, in opusculo Gualteri Ruys de Gravia (p.133), in plurimis Ritualibus medii aevi. Memoratu dignum est, hanc candelae caerimoniam silentio praetermitti in Agenda Urielis atque omnino in Ritualibus Moguntinis saeculi decimi sexti et septimi.

6. Denarius datus noviter baptizatis Matth. 25, 14. Luc. 19, 12. Zeno Veron. L. II. tract. 45.]

IV. ORDO BAPTISMI PARVULORUM E RITUALI ROMANO,

comparatus cum Rituali Trevirensi anno MDCCCXXXVI edito.

N. quid petis ab ecclesia Dei?

Patrinus respondet: Fidem.

Sacerdos: Fides quid tibi praestat?

Patrinus respondet: Vitam aeternam.

Sacerdos: Si igitur vis ad vitam ingredi serva mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua et proximum tuum sicut te ipsum[1]).

Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis et dicat semel: Exi ab eo (vel ab ea) immunde Spiritus et da locum Spiritui Sancto paraclito[2]).

Postea pollice faciat signum crucis in fronte et in pectore infantis dicens: Accipe signum crucis tam in fronte ✝ quam in corde ✝ sume fidem coelestium praeceptorum et talis esto moribus, ut templum Dei iam esse possis[3]).

Oremus. Preces nostras quaesumus Domine clementer exaudi: et hunc electum tuum N. crucis dominicae impressione signatum perpetua virtute custodi, ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

1) Rit. Trev.: Sacerdos signat se signo crucis dicens: In nomine Patris etc. Tum interrogabit: Gehöret das Kind in diese Pfarrei? Ist es nicht schon in der Noth getauft worden? Si responsum fuerit infantem esse parocum et nondum baptizatum, iterum interroget: Was begehret es? ℟. Die heilige Taufe. S. Wer ist der Pathe? ℟. Ich, Euer Ehrwürden. S. Und die Pathe (Gothe)? ℟. Ich, Euer Ehrwürden? S. Wollet Ihr in dem katholisch-apostolisch-römischen Glauben leben und sterben? ℟. Ia, Euer Ehrwürden, mit Gottes Gnade. Sequitur brevis exhortatio vernaculo sermone ad omnes, qui adsunt de significatione et virtute baptismi: Das Kind, welches Ihr hier zur Kirche bringet etc.; — dein alloquitur Sacerdos germanice Susceptores: Ihr aber, die Ihr als Pathen etc. Conveniens erit, ut Sacerdos ante caerimonias attentionem adstantium excitet, et sequentia vel his similia dicere poterit: Wie die h. Schrift sagt, dass Gott dem aus Erde gebildeten Adam eine unsterbliche Seele einhauchte (oder wie einmal Christus der Herr seine Iünger anhauchte, als er ihnen den h. Geist mittheilte) so hauche ich dieses Kind an mit dem Wunsche, dass Gottes Geist fortan auf ihm ruhen möge.

2) T. Post insufflationem dicit: Ich segne die verschiedenen Gliedmassen dieses Kindes, um dadurch anzudeuten, dass es ganz Gott angehören und ihm aus allen Kräften dienen soll. N. Signo te ✝ in fronte in nomine I. C., ut confidas in eo. — Benedico ✝ oculos tuos, ut videas ✝ claritatem eius. — Nares ✝ ut percipias ✝ odorem suavitatis eius. — Aures ✝ ut audias ✝ verbum veritatis eius. — Pectus ✝ ut credas in eum. — Scapulas ✝ ut suscipias ✝ iugum servitutis eius. — Os ✝ ut confitearis illi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Omnipotens sempiterne Deus etc. ut p. 173.

3) Antequam signum crucis fronti imprimatur: Nach der Lehre des Apostels sollen wir uns in Nichts rühmen, als im Kreuze Christi. Ich bezeichne daher das Kind mit dem h. Kreuze auf der Stirne, dass es sich nicht schäme, die Lehre Christi vor der Welt zu bekennen, und auf der Brust, damit es die Lehre Christi im Herzen behalte. Vereiniget zu diesem Ende Euer Gebet mit dem meinigen. N. accipe etc. Preces nostras etc. Sequitur Benedictio Salis.

Deinde imponat manum super caput infantis ac dicat: Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus etc. ut p. 173.

Deinde Sacerdos benedicat Salem, qui semel benedictus alias ad eundem usum deservire potest.

Exorcizo te creatura Salis in nomine Dei Patris omnipotentis ✝ et in caritate Domini nostri Iesu Christi ✝ et in virtute Spiritus Sancti ✝. Exorcizo te per Deum vivum ✝ per Deum verum ✝ per Deum sanctum ✝ per Deum ✝ qui te ad tutelam humani generis procreavit et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari praecepit, ut in nomine Sanctae Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices ✝ et benedicendo benedicas ✝ ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum in nomine eiusdem Domini nostri I. C., qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. Amen.

Deinde immittat modicum salis benedicti in os infantis dicens: N. accipe salem sapientiae: propitiatio sit tibi ad vitam aeternnm. Amen. Sacerdos: Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus: Deus Patrum nostrorum etc. ut p. 184[1]).

Exorcizo te immunde Spiritus in nomine Patris ✝ et Filii ✝ et Spiritus Sancti ✝ ut exeas et recedas ab hoc famulo Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit et Petro mergenti dextram porrexit[2]).

---

1) T. Priusquam salem in os infantis immittat: Wie das Salz alles Fleisch vor Fäulniss bewahrt, so bitten wir Gott, dass dieses Kind durch die christliche Religion vor der Fäulniss der Sünde bewahrt werde und es nach christlicher Weisheit, die das Salz des Lebens ist, streben möge. Accipe etc., ut propitius sit tibi Dominus noster I. C. in vitam aeternam. ℟. Amen.

2) T. Ante exorcismum dicat: Wir bitten auch Gott noch in einem ausgedehnteren Gebete, dass die Sünde, welche durch den bösen Geist in die Welt gekommen ist, nie mehr an diesem Kinde Theil habe und dass keine Versuchung, kein Reiz derselben ihm mehr schaden möge. Darum bittet auch Ihr Gott den Herrn für dieses Kind. Post increpationem Diaboli: Ergo maledicte etc. haec recitatur Oratio: Deus immortale praesidium omnium postulantium, liberatio supplicum, vita credentium, resurrectio mortuorum, te invoco super hunc famulum tuum N., qui Baptismi tui donum petens, aeternam consequi gratiam spirituali regeneratione desiderat: Accipe eum Domine et quia dignatus es dicere: Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis: Petenti manum porrige et ianuam pande pulsanti, ut aeternam coelestis lavacri benedictionem consecutus promissa tui muneris regna percipiat. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Postmodum denuo adiuratur Diabolus: Audi, maledicte Satana, adiuratus per nomen aeterni Dei et Salvatoris nostri Filii eius: cum tua victus invidia tremens gemensque discede. Nihil tibi sit commune

Ergo maledicte Diabole etc. ut p. 184 usque ad vocare dignatus est. Hic pollice in fronte signat infantem dicens: Et hoc signum sanctae crucis etc. ut p. 184.

Mox imponit manum super caput infantis et dicit: Oremus Aeternam ac iustissimam etc. ut p. 184.

Postea Sacerdos imponit extremam partem stolae super infantem et introducit eum in ecclesiam dicens: Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam aeternam. ℟. Amen[1]).

Cum fuerint ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem cum Susceptoribus coniunctim clara voce dicit: Credo in Deum etc. et Pater Noster qui es etc.

Ac deinde, antequam accedat ad Bapisterium dicat:

Exorcizo te omnis spiritus immunde in nomine Dei Patris omnipotentis ✝ et in nomine Iesu Christi Filii eius Domini et iudicis nostri ✝ et in virtute Spiritus Sancti ✝ ut discedas ab hoc plasmate,

---

cum famulo Dei iam coelestia cogitante, renunciaturo tibi ac saeculo tuo et beatae immortalitati victuro. Da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto, qui ex summa coeli arce descendens, perturbatis fraudibus tuis divino fonte purgatum pectus, id est (hic manu producat signum crucis super pectus infantis) benedictum ✝ ac sanctificatum et consecratum Dei templum atque habitaculum perficiat, ut ab omnibus penitus noxis praeteritorum criminum liberatus famulus Dei gratias perenni Deo referat semper et benedicat nomen eius sanctum in saecula saeculorum. Amen. — Utramque formulam, iam in libris Gelasii ac Gregorii insertam, adhibet Rituale Romanum in Baptismo Adultorum tantum, qui in nonnullis formulis et caerimoniis differt a baptismo parvulorum.

1) T. Post Orationem: Aeternam etc. dicit: Iesus liess gerne die Kleinen zu sich kommen und legte ihnen die Hände auf und segnete sie. Wir lesen ietzt das Evangelium, worin dies vorkommt, und thun das Nämliche, indem wir zugleich den Segen von Gott für dieses Kind erbitten. S. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sequentia Sancti Evangelii (hic dextro pollice faciat signum crucis in infantis fronte, ore et pectore) secundum Matthaeum. ℟. Gloria tibi Domine. In illo tempore oblati sunt Iesu parvuli etc. usque ad: Et cum imposuisset eis manus abiit inde. ℟. Laus tibi Christe. Proferens verba: Et cum imposuisset, ponat Sacerdos manum dextram super caput infantis. Dein orat: Deus Abraham etc. ut p. 184: (In Rit. Romano in baptismo adultorum tantum). Postea: Nec te lateat Satana etc. ut p. 185 (Rt. Rom. iterum habet in adultorum baptismo). — Antequam dicat Epheta: Es wurde einmal ein Taubstummer dem Heilande zugeführt, dass er ihm die Hände auflegte. Iesus legte dem Stummen den Finger in die Ohren und benetzte dessen Zunge mit Speichel und machte ihn so hören und reden. Wir ahmen dieses an dem Kinde nach, mit der Bitte, dass seine Ohren zur Anhörung der Lehre Christi und sein Mund zum Lobe Gottes geöffnet werde. Tunc peragitur ritus, ut supra scriptum est. His ad limen ecclesiae vel ad introitum baptisterii ita peractis, Sacerdos inducat infantem in ecclesiam vel in baptisterium dicens: Ingredere etc. ut supra. Dein moneat Patrinum et Matrinam, ut stantes voce intelligibili secum recitent pro infante Symbolum

Dei N. quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum Dei vivi et Spiritus Sanctus habitet in eo. Per eundem C. D. N., qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Postea Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui et tangat aures et nares infantis: tangendo vero aurem dextram et sinistram dicat: Ephpheta quod est Adaperire **deinde tangat nares dicens:** In odorem suavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Postea interrogat baptizandum nominatim dicens:

N. Abrenuntias Satanae? **Respondet Patrinus:** Abrenuntio.

Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio. Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio[1]).

Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum et infantem ungit in pectore et inter scapulas in modum crucis dicens: Ego te linio ✝ oleo salutis in Christo Iesu Domino nostro, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen[2]).

(Hic deponit stolam violaceam et sumit aliam albi coloris.)

Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio vel re simili et interrogat expresso nomine baptizandum, Patrino respondente: N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae? ℟. Credo.

Credis in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum, natum et passum? ℟. Credo.

Credis in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam? ℟. Credo.

Apostolorum et Orationem Dominicam, haec praefatus: Weil es im Evangelium nicht heisst, dass, der allein getauft ist, sondern der glaubt und getauft ist, selig werde, so beten wir jetzt Namens des Kindes das apostolische Glaubensbekenntniss und das Gebet des Herrn. Ich glaube an Gott den Vater etc. Vater unser, der du bist in den Himmeln etc. germanice.

1) T. Interea obstetrix fasciis solvit infantem, denudans eius scapulas et pectus, quem sic praeparatum Patrinus et Matrina, recitatis precibus de manu obstetricis recipiant teneantque: Sacerdos vero operto capite facie ad infantem versa dicat (eum nominans ubi notatur) germanice vel gallice, quae sequuntur: Dieses Kind soll nun Gott geheiligt werden; dazu ist eine feierliche Entsagung der Sünde nöthig, welche Ihr als Taufpathen ietzt im Namen des Kindes leistet. Ich frage also: N. widersagst Du dem Satan? ℟. Ich widersage etc.

2) T. Antequam infans oleo salutis inungatur: Wir salben ietzt die Brust und den Nacken des Kindes mit heiligem Oel und bitten Gott, dass es gestärkt werde, Kreuz und Widerwärtigkeit nach dem Beispiele Iesu mit Geduld und Standhaftigkeit zu ertragen. Et format Sacerdos liniendo duas cruces, alteram in pectore, alteram inter scapulas. Postea sumit stolam albi coloris.

Subinde expresso nomine baptizandi Sacerdos dicit: N. vis baptizari? Respondet Patrinus: Volo [1]).

Tunc Patrino vel Matrina vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente Sacerdos vasculo seu urceolo accipit aquam baptismalem et de ea ter fundit super caput infantis in modum crucis et simul verba proferens semel tantum distincte et attente dicit:

N. Ego te baptizo in nomine Patris ✝ fundat primo et Filii ✝ fundat secundo et Spiritus ✝ Sancti fundat tertio [2]).

[Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem [3]), Sacerdos accipit infantem et advertens ne laedatur caute immergit et trina mersione baptizat et semel tantum dicat: N. Ego te baptizo etc.]

Mox Patrinus vel Matrina vel uterque simul infantem de sacro fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

[Si vero dubitatur an infans fuerit baptizatus, utatur hac formula: N. Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.]

Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate et ungit infantem in summitate capitis in modum crucis dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri I. C., qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum (hic inungit) ipse te liniat Chrismate salutis ✝ in eodem Christo Iesu Domino nostro in vitam aeternam. ℟. Amen [4]).

---

1) T. Sacerdos dicat: Die Kirche will keine Gläubige, die blos dem Scheine nach oder aus Zwang Christen sind. Sie fordert daher von dem Täufling ein öffentliches, freiwilliges Glaubensbekenntniss, welches Ihr als Taufpathen im Namen des Kindes ablegen sollt. Tum nominando infantem sic Germanice vel Gallice interroget, respondeantque Patrinus et Matrina: Glaubest Du an Gott Vater etc. ut supra latine scriptum est. Deinde: Was begehrest Du? ℟. Die heilige Taufe. Verlangest Du getauft zu werden? ℟ Ia, ich verlange es.

2) T. Patrino et Matrina, infantem capite nudatum tenentibus super piscinam, si habeatur, vel super pelvim capiti infantis suppositam, Sacerdos manu dextra hauriat aquam de fonte baptismali et continua actione de ea ter fundat super caput infantis paullulum inclinati, ne aqua in eius sinum aut vestes defluat et simul fundens pronuntiet semel attente et distincte haec verba: Wir wollen also ietzt in der Meinung, wie Iesus dieses Sacrament eingesetzt hat, dem Kinde die heilige Taufe ertheilen und es von seinen Sünden abwaschen. N. Ego te baptizo etc. ut supra. Sed in fine respondetur: Amen. Ipsa effusione aquae ter exprimat signum crucis super caput baptizandi, 1° cum dicit In nomine Patris, 2° cum dicit et Filii, 3° cum dicit et Spiritus Sancti.

3) Rituale Ambrosianum: Parochus infantem supinum a patrino sublatum utraque manu excipit, ita ut dextera eius capiti propior sit, tum ter occiput mergit in aqua in crucis formam. Et mergendo si certo scit illum non esse baptizatum explicate profert: N. Ego te baptizo etc. Parochus baptizati infantis caput mantili abstergit: tum flexis genibus cum compatre dicit Litaniam,

4) T. Ante unctionem Chrismatis: Christus heisst der Gesalbte; von ihm führen

Sacerdos: Pax tibi. ℟. Et cum spirito tuo.

Tum bombacio aut re simili abstergit pollicem suum et locum inunctum et imponit capiti eius linteolum candidum loco vestis albae dicens: Accipe etc. ut p. 188 [1]).

Postea dat ei vel Patrino candelam accensam dicens: Accipe lampadem ardentem et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei in aula coelesti in vitam aeternam. Amen [2]).

Postremo dicit: N. vade in pace et Dominus tecum. ℟. Amen.

Si infans vel adultus aegrotus adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat, antequam Baptismus perficiatur, Sacerdos omissis quae Baptismum praecedunt, eum baptizet ter vel etiam semel infundens aquam super caput eius in modum crucis, dicens: Ego te baptizo etc. Si non habeatur aqua baptismalis et periculum impendeat, Sacerdos utatur aqua simplici. Deinde si habeat Chrisma, liniat eum in vertice dicens: Deus omnipotens etc. Postea dat ei linteolum candidum dicens: Accipe vestem etc. Ac demum det ei ceream candelam accensam dicens: Accipe lampadem etc. Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi.

Antequam infans ex ecclesia asportetur aut susceptores discedant eorum nomina et alia de administrato baptismo ad praescriptam formam in baptismali libro Parochus accurate describat [3]).

---

wir den Namen Christen. Ich salbe also das Kind mit heiligem Chrisam auf dem Scheitel, mit der Bitte, dass Gott es mit der Fülle seiner Gnaden salben wolle.

1) T. Ante impositionem vestis candidae: Nun trägt das Kind das weisse Kleid der Unschuld an sich. Gott stärke es, dass es diese Unschuld unversehrt bis an sein Ende erhalte.

2) Antequam cereum incensum porrigat: Wir halten ietzt dem Kinde eine brennende Kerze vor. Wie diese Kerze leuchtet, so soll das Kind in seinem Leben seinen Nebenmenschen mit guten Werken vorleuchten, damit, wenn Gott es einst zur himmlischen Hochzeit abruft, es mit dem reinen Glanze der Tugend vor ihm erscheine. Postea Sacerdos cereum accensum apponens in manu Patrini et Matrinae eumque simul tenens dicat: N. Accipe lampadem ardentem et irreprehensibilis etc. ut p. 189.

3) T. Baptismi celebrationem referet in librum Baptismalem et antequam Patrinus et Matrina subscribant, eos officii admonebit his aut similibus verbis:

N. und N. Nehmet das Kind wieder hin. Es lag zuvor in der Dienstbarkeit des Satans und in der Feindschaft Gottes, ist aber ietzt durch die h. Taufe Erbe des Himmels geworden. Sobald es seine Vernunft wird anfangen blicken zu lassen, sollet Ihr es lehren, wie es sein Herz zu Gott wenden, ihn anbeten, lieben und zu diesem Ende alle Pflichten eines Christen vollbringen möge; denn diese Pflicht habet Ihr, als seine geistlichen Eltern hier auf Euch genommen, und sofern seine leiblichen Eltern es nicht recht christlich erziehen sollten, so wäret Ihr verbunden ihm diesen Dienst zu leisten.

Erinnert auch seine Aeltern und ermahnet sie ernstlich, es vor allem Unheil mög-

lichst zu bewahren. Gebet ihnen zu verstehen, dass, wenn ihm durch ihre Sorglosigkeit ein Unglück widerfahren sollte, sie selbst vor Gott einer grossen Sünde schuldig würden.

Endlich sollet Ihr wissen, dass Ihr in eine geistliche Verwandtschaft getreten seid mit diesem Kinde, wegen welcher Ihr euch weder mit selbem, noch mit seinem Vater oder mit seiner Mutter verheirathen dürfet.

V. ORDO SUPPLENDI OMISSA SUPER BAPTISMUM.

E Rituali Romano.

Cum urgente mortis periculo vel alia cogente necessitate sive parvulus sive adultus sacris precibus ac caerimoniis praetermissis fuerit baptizatus, ubi convaluerit vel cessaverit periculum, et ad ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur: idemque ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus) seu adultorum (si fuerit adultus) praescriptus est. Excepto quod interrogatio: an velit baptizari? formaque Baptismi et ablutio praetermittuntur et quaedam Orationes et Exorcismi suo quique loco immutati, ut infra dicuntur.

Et quidem in Oratione: Omnipotens sempiterne Deus p. 183 dicitur — quem dudum ad rudimenta fidei vocare dignatus es. Porro: — ut idoneus sit frui gratia baptismi tui, quem suscepit.

In Collecta Deus Patrum nostrorum p. 184 ita orat Sacerdos: — et quem ad novae regenerationis lavacrum perduxisti, quaesumus Domine.

Denique in Oratione: Aeternam ac iustissimam p. 184 attendas ad verba — ut dignus sit frui gratia baptismi tui, quem suscepit.

VI. DE BENEDICTIONE MULIERIS POST PARTUM.

Ex Rituali Romano.

Si qua puerpera post partum iuxta piam ac laudabilem consuetudinem ad ecclesiam venire voluerit pro incolumitate sua Deo gratias actura[2]), petierit-

1) Non sum nescius fore, ut haec nostri instituti ratio adiiciendi singulis de Sacramentis capitibus caerimonias haud sacramentales, in varias reprehensiones incurrat. At vero cum thesaurus non sit publicae et ecclesiasticae auctoritatis, licebit ante omnia quaerere, quis caerimoniorum ordo lectoribus commodus sit atque opportunus. Unicuique Sacramento adiecti sunt ritus, qui quamvis sacramentali virtute careant, tamen cum illo vinculis propinquitatis et affinitatis coniuncti sunt.

2) Codex saec. XIV. apud Binterimium VI, 2. p. 213 sq. mentionem facit prolis, quam manibus gestare matri praecipit.

que a Sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo et stola alba indutus cum ministro aspergillum deferente ad fores ecclesiae accedat, ubi illam genuflectentem et candelam accensam in manu tenentem aqua benedicta aspergat, deinde dicat:

Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Antiphona: Haec accipiet benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo, quia haec est generatio quaerentium Dominum.

Psalmus 23: Domini est terra et plenitudo eius etc.[1])

Et repetitur Antiphona: Haec accipiet benedictionem.

---

1) Agendae Germaniae fere omnes habent Psalmum 120: Levavi oculos meos in montes etc. Raro apud vetustiores reperitur Psalmus 112: Laudate pueri Dominum. Moguntini veteres incipiunt ritum a collecta: Aufer Domine a famula tua etc. Apud Monasterienses Sacerdos mulierem adspergit dicendo: Aspergat te Deus rore coelestis gratiae. Dein mulier in ecclesiam introducitur et tunc demum recitatur Psalmus Levavi. Ex norma Ritualis Trevirensis Sacerdos mulierem adspergit et cruce signat dicens: In nomine Patris etc. Sequitur exhortationis formula vernaculo sermone: Ihr stellet Euch heute der Kirche dar, um nach Eurer Niederkunft den Segen des Priesters zu empfangen. Ihr sollet der demüthigen und zärtlichen Frömmigkeit der allerseligsten Iungfrau nachfolgen, welche, nachdem sie den Sohn Gottes geboren hatte, in den Tempel kam, um sich dem Gesetze der Reinigung zu unterwerfen und ihr göttliches Kind seinem himmlischen Vater aufzuopfern. Danket ebenfalls Gott dem Herrn, dass er Euch eine glückliche Niederkunft verliehen hat. Vor Zeiten brachten die Mütter ihre neugebornen Kinder mit zur Kirche, um sie dem Herrn aufzuopfern. So opfert auch Ihr Euer Kind ihm auf, damit er dasselbe in seinen allmächtigen Schutz nehmen und mit seinen Gnaden beschenken möge. Merket den Tag, an welchem es getauft worden ist, damit es sich, wenn es erwachsen sein wird, an denselben erinnere, als den wichtigsten Tag seines Lebens, an welchem es die heiligen Versprechungen seiner Taufe erneuern soll. Bewahret dasselbe mit Sorgfalt vor allen Unglücksfällen, die seinem schwachen Alter drohen; erziehet es christlich, um Euch und demselben den himmlischen Segen zuzuziehen. Si mortuus sit infans post Baptismum, loco verborum praecedentium dicat: Danket Gott dem Herrn, dass er Euer Kind im Stande der Unschuld zu sich berufen, von den Trübsalen und Gefahren dieses sterblichen Lebens befreiet und in sein himmlisches Reich aufgenommen hat. Si autem sine Baptismo infans mortuus sit, dicat: Ich begreife und theile mit Euch den Schmerz, den Eure mütterliche Liebe und Gottseligkeit empfunden, indem Euer Kind ohne die Taufe gestorben ist. Ihr habet doch bei ienem traurigen Unglücksfalle noch den Trost, dass es ohne Eure Schuld geschehen ist. Die h. Kirche hat keinen ausdrücklichen Ausspruch über das Loos der ohne die Taufe verblichenen Kinder ergehen lassen. Werfet daher in den Schoos der unendlichen Barmherzigkeit Gottes all' Eure Sorge und betet die unerforschlichen Rathschlüsse Gottes mit demüthiger Ergebung an. Flehet zu dem Herrn, dass er Euch in der Zukunft vor einem ähnlichen Unglück bawahren wolle. Ihr sollet über Alles Gott den Herrn um seinen Segen und um die Gnade anflehen, dass Ihr als seine getreue Dienerin Iesu Christi in Eurem Ehestande fromm leben möget.

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolae eam introducit in ecclesiam dicens: Ingredere in templum Dei, adora Filium beatae Mariae Virginis, qui tibi fecunditatem tribuit prolis.

Et ipsa ingressa genuflectit coram Altari et orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis et Sacerdos dicit: Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster secreto. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. Salvam fac ancillam tuam Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. Mitte ei auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eam. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, qui per beatae Mariae virginis partum parientium dolores in gaudium vertisti: respice propitius super hanc famulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione laetam accedentem: et praesta, ut post hanc vitam eiusdem beatae Mariae meritis et intercessione ad aeternae beatitudinis gaudia cum prole sua pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen[1]).

---

1) Discrepant Agendae plurimae in versiculis supra positis, dissentiunt in aliis. Trevirensis post collectam in Festivitate Purificationis B. M. V. usitatam (Omnipotens sempiterne Deus etc. in fine tamen: ita facias hanc famulam tuam purificata tibi mente praesentari) facit Sacerdotem mulieri extremam partem stolae porrigentem deosculandam ac dicentem: Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in saeculum. Quo dicto accedit sequente muliere ad aliquod altare, ubi legit super eam genuflexam Evangelium S. Lucae II, 22 sq. In illo tempore: Postquam impleti sunt dies purgationis etc. Deinde sacrum Evangelii textum mulieri osculandum praebet dicens: Per haec sancta Evangelica dicta deleantur universa tua delicta. Et aspergens illam iterum aqua benedicta in modum crucis dicit: Benedictio Dei etc. Idem Evangelium servant Colonienses et alii; alii legunt Evangelium S. Ioannis: In principio erat verbum etc. Codex Binterimii supra commemoratus saec. XIV.: „Sacerdos si Missam celebraturus sit, dicat Missam Purificationis Mariae Suscepimus etc. vel aliam iuxta mulieris devotionem. Si Missam celebrare non possit, dicat Evangelium Ioannis In principio et Sacerdos praebeat illi osculandum Evangelium.“ Lapsus est Binterimius Denk. VI, 2. p. 193: „Ein eignes Formular für diese Messe ist nirgends vorhanden, es sei denn, dass man die von Schulting unter der Aufschrift Pro devota femina angeführten drei Mess-Orationen für solche ansehen wolle.“ Primo illae orationes, si quid sapio, minime spectant ad mulierem post partum benedicendam: dein (quod gravius est) exstat Missa propria Post Mulieris Partum pro gratiarum actione in Missalibus Gallicanae ecclesiae recentioribus, quam legere consueverunt post Benedictionem mulieris. Introitus Benedic anima mea Dominum etc. Ps. 102, 1. 2. Oratio. Deus qui mulieris parientis tristitiam in gaudium verti concedis: suscipe gratiarum actiones et preces ecclesiae tuae: ut, quae infantis et parentis

Deinde illam aspergit iterum aqua benedicta in modum crucis dicens: Pax et benedictio Dei omnipotentis Patris † et Filii et Spiritus Sancti descendat super te et maneat semper. Amen.

---

eius mater est, de utriusque in bono stabilitate laetetur. Lectio I. Reg. I, v. 20 — c II, 1. Graduale. Venite, audite et narrabo etc. Ps. 65, 16. 20. Ps. 117, 14. Evang. Lucas II, 22 — 32. Offert. Ps. 115, 12. 13. Secr. Oblationis illius merito, impletis diebus purgationis Mariae, tulerunt puerum Iesum, ut sisterent eum tibi in templo: suscipe Domine de sinu matris et praeveni in benedictionibus dulcedinis infantem: ac matrem eius ab omni inquinamento carnis et spiritus emunda. Praefatio in Nuptiis cf. p. 136. Communio Is. 63, 7. Postcomm. Eum gestantes in nobis, qui est lux vera et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: te Deus omnipotens deprecamur, ut quotquot illum receperunt illum nati de Spiritu, seminent semper in Spiritu et de Spiritu metant vitam aeternam.

Binterim l. c. p. 191 sq.: In Frankreich brachten die Kindbetterinnen bei ihrer Aussegnung weisses Brod; dies wurde am Ende der Messe gesegnet und der Kindbetterin zum Essen dargereicht. Dieses Brod hatte in einigen Gegenden die Form der Hostie und sollte wahrscheinlich statt der Eulogien dienen. — — Die Concilien des 15ten und 16ten Iahrhunderts verbieten diese Austheilung. Hieraus kann man die noch in manchem deutschen Lande bestehende Sitte erklären, dass die Kindbetterin bei ihrem ersten Ausgange und nach ihrer Aussegnung ihren Begleiterinnen und den kleinen Kindern Süsskuchen, Pfefferkuchen oder auch Geld, Zucker austheilt.

CAPUT II.

De Sacramento Confirmationis.

I. ORDO CONFIRMATIONIS E SACRAMENTARIO GELASII.

Deinde ab Episcopo datur eis spiritus septiformis[1]). Ad consignandum[2]) imponit eis manum[3]) in his verbis: Omnipotens Pater Domini

Aptissime cohaerent verba cum Ordine Baptismi supra e libro Gelasiano exscripto p. 179. Mos enim erat, ut baptizatis statim Confirmatio traderetur, si Episcopus praesens esset. Crescente fidelium multitudine, cum saepissime absente episcopo baptisma perficeretur, tunc prorogabatur Confirmatio usque dum Episcopus visendi baptizatos haberet opportunitatem. Tamen diu illud sollemne servabatur, ut Episcopo baptizante Baptismum statim sequeretur Confirmatio. Manuale Parochialium Sacerdotum anni 1522 haec monet: Verum tamen quos Episcopi baptizant statim confirmant. Quapropter de his iam adultis quum sint confirmati non convenit dubitare. Porro liber Henrici de Gravia haec iubet: Tunc vestiatur infans et si Episcopus adest statim confirmari oportet. Ad apicem concordat Pontificale Bisuntinae ecclesiae apud Martene de ant. ecc. disc. p. 440. Alios libros tacemus. Falsa igitur, quae profert Binterimius Denkw. l. 1. p. 216: Es scheint mir sehr wahrscheinlich, dass von den ersten Zeiten an die deutschen Bischöfe diese beiden Sacramente den Kindern nicht zusammen ertheilt haben.

2) Consignare est vox propria hujus Sacramenti apud antiquos. Innocentius ep. I. ad Decent. §. 3. De consignandis infantibus manifestum est non ab alio quam Episcopo fieri licere.

3) Ex multis antiquorum patrum locis unus sufficiat Cypriani Ep. 72. Qui in ecclesia baptizantur praepositis ecclesiae offeruntur ut per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur. Ep. 73. Tunc enim demum plene sanctificari et esse filii Dei possunt si Sacramento utroque (Baptismo et Confirmatione) nascantur. Rabanus de instit. cler. I, 30: Novissime a summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad praedicandum aliis idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est, per gratiam vitae donatus aeternae. Praeclare Isidorus de

nostri Iesu Christi, qui regenerasti famulos tuos ex aqua et Spiritu Sancto: quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, tu Domine immitte in eos Spiritum Sanctum tuum Paraclitum; et da eis spiritum sapientiae et intellectus: spiritum consilii et fortitudinis: spiritum scientiae et pietatis. Adimple eos spiritu timoris Dei in nomine Domini nostri Iesu Christi, cum quo vivis et regnas Deus semper cum Spiritu Sancto per omnia saecula saeculorum. Amen[1]).

Postea signat eos in fronte[2]) de Chrismate dicens: Signum Christi in vitam aeternam. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.

Inde vero ascendit cum Letania ad sedem suam et dicit: Gloria in excelsis Deo[3]).

---

offic. eccl. 2, 26. Spiritum Sanctum accipere possumus, dare autem non possumus, sed ut detur Deum invocamus.

1) Sacramentarii Gregoriani antiquissimi Codices, Vaticanus et Othobonianus (p. 8), exhibent Orationem ad consignandos infantes: Omnipotens, sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua — — emitte in eos septiformem spiritum tuum — — adimple eos spiritu timoris tui et consigna eos signo crucis Christi in vitam propitiatus aeternam. — Nulla fit mentio impositionis manuum vel unctionis chrismatis: at has caerimonias subintelligendas esse certum est. est. Exprimere videtur collectam: Omnipotens sempiterne Deus etc. Ambrosiaster de Sacr. 2, 3: „Sequitur spirituale signaculum, quod audistis hodie legi. Quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis infunditur spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris."

2) Innocentius ad Decent. I. c. 6: Presbyteris chrismate baptismatos unguere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum.

3) Id est prosequitur Missam Sabbato Sancto decantandam.

II. FORMULAE IN CONFIRMATIONIS SACRAMENTO ADMINISTRANDO ADHIBITAE[1]).

1. Pontificale Egberti Archiepiscopi, qui circa medium saeculum octavum Eboracensem regebat ecclesiam. Accipe signum sanctae cru✝cis chrismate salutis in Christo Iesu in vitam aeternam. Amen.

---

1) Multi leguntur vetusti Ordines Confirmationis in Martenii libro de antiquis ritibus, apud Gerbertum aliosque. At vero cum fere omnibus partibus inter se conveniant, sufficit exscribere sollemnes ac sanctas sacramentales formulas. Ubi non apponitur aliud nomen, Martenii librum intelligas

2. Ex Codice San-Blasiano saec. IX. (Gerbert. Mon. L. A. II. p. 11). Consigno te signo crucis et confirmo te crismate salutis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

3. Pontificale Caturcensis ecclesia saec. X. Confirmo et consigno te in signum crucis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

4. Liber Sacramentorum Monasterii Moysacensis saec. X. Confirmo te signo crucis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in vitam aeternam. Amen.

5. Codex Vindobonensis saec. X. (Gerbert. Mon. L. A. II. p. 11). Confirmo te et signo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

6. Codex S. Theoderici (Opp. S. Gregorii ed. Ben. III. p. 646). Consigno et confirmo te signo crucis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

7. Pontificale ecclesiae Pictaviensis saec. XII. Signat te Deus sigillo Fidei suae in consignatione Fidei in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

8. Pontificale ecclesiae Apamiensis in Syria saec. XII.: Johannes, signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

9. Codex Vindobonensis saec. XII. vel XIII. (Gerbert. Mon. L. A. II. p. 12). Confirmo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Pax tecum et cum spiritu tuo. Signum Christi in vitam aeternam. Amen.

10. Pontificale ecclesiae Conchensis saec. XIII. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti confirmo et consigno te signo crucis Christi, ut replearis Spiritu Sancto et habeas vitam aeternam.

11. Pontificale ecclesiae Parisiensis saec. XIV. Iohannes vel Maria, consigno te signo sanctae crucis et confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut replearis eodem Spiritu Sancto et habeas vitam aeternam. Amen.

12. Pontificale ecclesiae Andegavensis saec. XIII. Confirmo et consigno te signo sanctae crucis et chrismate sanctificationis in nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen.

III. ORDO CONFIRMATIONIS EX PONTIFICALI ROMANO CLEMENTIS VIII. URBANI VIII. AUCTORITATE RECOGNITO.

Pontifex infantes, pueros[1]) vel alios sacri baptismatis unda perfusos confirmare volens, paratus supra Rochetum vel, si sit Religiosus, supra superpelliceum Amictu, Stola, Pluviali albi coloris et Mitra accedit ad faldistorium ante medium altaris aut in alio loco convenienti sibi paratum et in eo sedens, renibus altari et facie populo versis, baculum pastoralem in sinistra tenens, populum coram se stantem admonet, quod nullus alius nisi solus Episcopus Confirmationis ordinarius Minister est[2]). Nullus Confirmatus debet reconfirmari. Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione Patrinus, nec pater aut mater, maritus aut uxor. Nullus excommunicatus, interdictus vel gravioribus facinoribus alligatus, aut Christianae fidei rudimentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum vel ad tenendum Confirmandum[3]). Adulti deberent prius peccata confiteri et postea confirmari: vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur. Nullus praesentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi[4]). Confirmandi deberent esse ieiuni[5]). Confirmato debet ligari frons et sic manere quousque Chrisma desiccetur vel extergatur. Proinde unusquisque Confirmandus

1) Agenda Monaster.: „Licet antiquitus statim a baptismo infantibus collata fuerit Confirmatio, iam tamen ordinarie, prout etiam S. Pius V. in Catechismo Romano praescripsit, septennium exspectandum est". — Ex sententia Ritualis Romani duodecimus annus maxime aptus est huic Sacramento.

2) At Minister extra ordinem, nimirum ex dispensatione seu expressa seu tacita summi pontificis esse potest Presbyter. Ipse vidi in aede S. Hedwigis Berolinensi praepositum illius ecclesiae infantes confirmantem, ita tamen ut antea praelectae sint a clerico quodam assistente literae Romanae, quibus haec facultas confirmandi extraordinaria summi pontificis nutu illi Presbytero concessa est.

3) Binterim l. c. p. 234. Nicht selten unterwarf der Bischof die ihm zum Empfang der h. Firmung Vorgestellten in Gegenwart des Pfarrers und der Firmpathen einer besondern Prüfung, wo er den Kindern die h. 10 Gebote, das Gebet des Herrn und den englischen Gruss und das apostolische Glaubensbekenntniss abfragte. Die Unwissenden wies er ab oder übergab sie dem Pfarrer zu näherem Unterricht. Synod. Constant. 1567. Narbon. 1609.

4) Agenda Monaster.: De necessitate praecepti est Patrinus: nisi alicubi ut in Dioecesi Constantiensi ex longaeva consuetudine, cum magna est copia Confirmandorum, praetermittatur. Verum tunc satius est, ut pro masculis unus adhibeatur Patrinus, quem ecclesiasticum esse expedit, et pro femellis una, quae si haberi possit, sit voto castitatis ligata aut saltem exemplaris vitae et provectae aetatis femina.

5) Binterim l. c. p. 233. Diese Nüchternheit wird zwar nicht als strenges Gesetz vorgeschrieben, aber doch beinahe von allen Concilien besonders angerathen mit dem Zusatze: si commode fieri potest, wodurch ohne Zweifel jene Confirmanden berück-

portet lineam vittam mundam, cum qua ligetur caput[1]). Nullus Confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam Pontifex post omnium Confirmationem dabit[2]). Infantes per patrinos ante pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris: adulti vero seu alii majores ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui[3]). Et ideo neque masculi feminis patrini, neque feminae masculis matrinae esse deberent. Quibus per ordinem ante Pontificem dispositis, Pontifex sedens lavat manus, deinde deposita mitra surgit et stans versa facie ad Confirmandos, iunctis ante pectus manibus, Confirmandis genua flectentibus et manus ante pectus iunctas tenentibus, dicit:

Spiritus Sanctus superveniat in vos et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis. ℟. Amen. Deinde signans se manu dextra a fronte in pectus signo crucis dicit: Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Tunc extensis versus Confirmandos manibus dicit: Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu Sancto: quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de coelis. ℟. Amen.

Spiritum Sapientiae et Intellectus. ℟. Amen.
Spiritum Consilii et Fortitudinis. ℟. Amen.
Spiritum Scientiae et Pietatis. ℟. Amen.

Adimple eos Spiritu timoris tui et consigna eos signo cru ✝ cis Christi in vitam propitiatus aeternam. Per eundem Dominum nostrum I. C. Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus etc.

Pontifex sedens super Faldistorium praedictum, vel etiam, si multitudo Confirmandorum id exegerit, dispositis illis super gradus Presbyterii vel alibi, Pontifex stans cum mitra illos confirmat per ordinem genuflexos et uno ordine confirmato illi surgunt et alii genuflectunt et confirmantur et sic usque in finem.

---

sichtigt werden, welche wegen ihres zarten Alters oder wegen der Länge der Zeit oder des weiten Weges solche Enthaltsamkeit nicht beobachten können.

1) Agenda Monaster.: In hac Dioecesi interdum nulla fascia adhibetur. sed a Confirmato statim ab astante Episcopi Sacellano abstergitur.

2) Hoc saepius a Confirmatis negligi conqueritur Gerbertus Mon. L. A. II. p. 12. Agenda Monaster.: Si tamen populus numerosus sit, expedit, ut aliis e loco dimissis alii succedant. Quo quietius et decentius Confirmatio administretur.

3) Binterim l. c. p. 247: Weil dies bei einer Menge der Confirmanden mit sehr vielen Beschwernissen verbunden ist, hat man später eingeführt, dass der Firmpathe seine rechte Hand auf die rechte Schulter des Confirmanden hälte.

Et Pontifex inquirit singillatim de nomine cuiuslibet Confirmandi sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus praesentati[1]**) et summitate pollicis dextrae manus Chrismate intincta dicit:**

N. signo te signo ✠ crucis — **quod, cum dicit, producit pollice signum crucis in frontem illius, deinde prosequitur:** Et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen[2]).

Deinde leviter in maxilla caedit, dicens: Pax tecum[3]). **Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum mica panis et lavat pollicem et manus super pelvim. Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam Sacrarii. Interim dum lavat manus, cantatur sequens Antiphona, vel legitur a ministris, quod etiam in similibus servari debet:**

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem. Gloria Patri etc. ℟. Sicut erat in principio etc. **Deinde repetitur Antiphona:** Confirma hoc Deus etc.[4]).

---

1) Hoc nomen aut idem erat cum imposito in baptismo, aut, si ita expedire iudicabat Episcopus, de novo imponebatur. Parochiale Sacerdotum 1522: „In Confirmatione possunt, qui volunt, nomen mutare." „Nomen autem in singulari libro describitur ita: Anno — die mensis — qui fuit dies N. filius N. et N. coniugum vel N. filia N. (et si fuerit nupta, addatur uxor N.) Sacramentum Confirmationis accepit a Reverendiss. D. N. Episcopo N. in ecclesia S. N. civitatis vel loci N. Compater fuit N. filius N. parochiae S. N. civitatis vel loci N. — Hoc fieri debet, ut agnosci possint confirmati a non confirmatis et ne Sacramentum illud reiteretur atque ut impedimentum affinitatis inolescat. Oritur illa inter Confirmantem, Confirmatum et eius parentes, item inter patrinum, confirmatum et confirmati parentes: nisi forte patrinus ipse non sit confirmatus, cum probabilius hoc casu non oriatur.

2) Leo de Adsumt. serm. 3.: Omnes in Christo regeneratos signum crucis efficit reges, Sancti vero Spiritus unctio consecrat Sacerdotes. — Binterim l. c. p. 245. Wie alt die ietzt gebräuchliche Formel sei, lässt sich nicht bestimmen. M. A. Nickel Das Römische Pontifical I. S. 20: Papst Eugenius setzte 1439 die Formel fest.

3) Non existimo verum esse, quod narrat Assemanus, alapam olim fuisse osculum pacis, postea honestatis ratione habita per levem manus contactum in genis dari coepisse et considerari, ut signum, quo Chrismate peruncti, tenacius memoria teneant se Sacramentum recepisse. Bene scio, nonnulla Concilia similia protulisse, sed non adduci possum, ut putem. Est alapa inter caerimonias militares, confirmatus autem sollemni ritu militiae Iesu Christi adscribitur. Binterim l. c. p. 248: Der Bischof Durand ist der älteste Zeuge dieses Gebrauchs (Rational. 6, 81) und selbst in den folgenden Concilien kommt gar selten Meldung davon vor, woraus man schliessen muss, dass kein Gesetz, sondern eine alte Gewohnheit ihn fortgepflanzt und allgemein gemacht hat.

4) Apud antiquos usitatior erat haec Antiphona: Ecce sic benedicitur homo, qui timet Dominum. Benedicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Ierusalem omnibus diebus vitae vestrae.

Qua repetita Pontifex deposita mitra et stans versus altare iunctis ante pectus manibus dicit: Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, qui apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum et per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti: respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum et praesta, ut eorum corda, quorum frontes sacro Chrismate delinivimus et signo sanctae crucis signavimus, idem Spiritus Sanctus in eis superveniens templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Patre et eodem Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde dicit: Bene ✝ dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Ierusalem omnibus diebus vitae vestrae et habeatis vitam aeternam. ℟. Amen[1]).

Expedita itaque Confirmatione Pontifex sedens accepta mitra patrinis et matrinis adnuntiat, quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala et faciant bona et doceant eos Credo in Deum et Pater Noster et Ave Maria; quoniam ad hoc sunt obligati. Hoc Sacramentum potest conferri minus sollemniter quocunque die, hora et loco ex causa ad arbitrium Episcopi[2]).

---

1) Vetusti Codices fere omnes continent prolixiores Episcoporum super Confirmatos Benedictiones. Pontificale Egberti hoc modo benedicentem facit Episcopum:

Benedicat vos omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit et vobis in Baptismate et Confirmatione remissionem omnium peccatorum tribuat. Amen.

Quique Sanctum Spiritum igneis linguis suis dedit discipulis, corda vestra ipsius illustratione irradiet atque in sui amorem iugiter accendat. Amen.

Quatenus ab omnibus vitiis emundati ipsius opitulatione ab omnibus adversitatibus defensi templum illius effici mereamur. Amen.

Ille, qui vos creavit ab omnibus malis imminentibus, custodiat et ab omni pravitate defendat. Amen.

Quod ipse. Amen. Benedictio. Amen.

2) Olim eadem tempora erant praefixa Baptismo sollemniter celebrando et huic Sacramento scilicet Paschatis et Pentecostes. Sed quia hoc Sacramentum a solis Episcopis datur, qui non sunt semper praesentes, ubi Presbyteri baptizant, oportuit quantum ad communem usum Sacramentum Confirmationis etiam in alia tempora differri. Agenda Monaster.: „Sacramentum Confirmationis ad sui susceptionem non obligat quidem graviter nisi per accidens: ut si cui alias deflectendi a fide periculum immi-

neret etc. Cum tamen plurimum commodum afferat suscipienti et vix absque noxa veniali res adeo salutaris negligi possit, Parochus cum illius suscipiendi occasio est suos ad hoc studiose exhortetur, illius institutionem, naturam, dignitatem, effectum et necessariam ad illud dispositionem ex Romano et aliis Catechismis explicet atque proponat". Certum est, in plurimis Germaniae dioecesibus multos Sacramentum Confirmatione non recipere, vel demum provectiori aetate: nam Episcopi et Suffraganei praecipue remotiores dioeceseos civitates raro et longo temporum intervallo visitare solent.

CAPUT III.

De Sacris Ordinationibus.

I. EX SACRAMENTARIO GELASIANO A THOMASIO EDITO[1]).

A. incipit Ordo de sacris Ordinibus benedicendis.

Haec autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministris nomen dederit inter Lectores usque in vigesimum aetatis annum continuata observatione perduret. Si maiori aetate iam accesserit, ita tamen ut post Baptismum aetatem se divinae militiae desideret mancipari, sive inter Lectores sive inter Exorcistas quinquennio teneatur et exinde Acolythus vel Subdiaconus quatuor annis stet: et sic ad benedictionem Diaconatus, si meretur, accedat. In quo ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, haerere debet: ex (apud Zosimum et in Pontificalibus in margine commemoratis: e x i n d e) suffragantibus meritis stipendiis per tot gradus, datis propriae fidei documentis, Presbyteri sacerdotium poterit promoveri[2]). De quo loco, si

1) Ea, quam primo loco ponimus, Gelasiani libri particula una cum aliis Benedictionibus affixa est Orationi et Precibus „in Dominica Octavarum Pentecostes" — secunda, litera B. insignita, proxime sequitur officium Quatuor temporum in hebdomade Quadragesimae prima. Contulimus Gelasianis legibus Statuta Concilii Carthaginiensis IV, anni 436 celebrati, omnium latinarum formularum in Ordinationibus usitatarum radicem et quasi fundamentum (C.). Porro haud negligendum existimavimus Codicem Morini antiquissimum, saeculo quinto ex doctissimi viri sententia scriptum (M.): tertio loco adiunximus Codicem S. Eligii p. 9 (E.) At vero ne iustam excederet molem libellus, quae levioris momenti videbantur praetermisimus.

2) In libro Pontificali Egberti apud Martene de antiquis eccl. rit. et in Pontificali Caturcensi aqud eundem, quorum alter nongentorum creditur annorum, alter octingentorum, integra haec de temporum intervallis inter ecclesiasticos ordines conferendos institutio Innocentio Pontifici tribuitur his verbis: I n c i p i t s e r m o I n n o c e n t i i p a p a e d e s e p t e m g r a d i b u s e c c l e s i a e o r d i n a n d i s. Verum Zosimi Pontificis illam esse constat in Epistola ad Hesychium Salonitanum. Praeterea consuli

illum: exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum pontificatum sperare debebit. Hac tamen lege servata ut neque bigamus neque poenitens ad hos gradus possit admitti. Sane ut etiam defensores ecclesiae[1]), qui ex laicis fiunt, supradicta observatione teneantur, si meruerunt esse in ordine clericatus.

Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant et teneant Evangeliorum codicem super caput eius et uno super eum fundente benedictionem reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant[2]).

Presbyter cum ordinatur Episcopum eum benedicentem etiam omnes Presbyteri, qui praesentes sunt[3]) — — Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: reliqui vero Sacerdotes iuxta manum Episcopi super caput illius ponant: quia non ad Sacerdotium sed ad Ministerium ordinatur[4]).

Subdiaconus cum ordinatur, quia manuum impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam et calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi accipiat urceolum cum aqua et aquimanile[5]) ac manutergitum.

Acolythus cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur qualiter se in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum cereo,

---

poterunt Siricius in Epistola ad Himerium Tarraconensem, Gregorius Hist. Franc. IV, 6; et Canones Hibernenses cap. 19. lib. 1 apud d'Acherium Spicil. Tom. IV. Haec Vezzosius in editione Opp. Thomasii.

1) Quibus ecclesiae bona ut curarent demandabatur, qui ecclesiae iura defendebant et pauperum curam gerebant. Conc. Carth. 407. c. 3.: Vincentius et Fortunatianus petant ab imperatoribus, ut dent facultatem defensores constituendi scholasticos, qui in actu sunt vel in munere defensionis causarum etc. Hi posterioribus saeculis dicti advocati ecclesiarum; graece προστάται, ἔκδικοι.

2) C. — — supra caput et cervicem. M. supra cervicem — — infundente — — manibus suis super caput eius teneant. Memoratur dignum est Amalarium de offic. eccl. 2, 14 ritum tenendi librum Evangeliorum super caput illius, qui in Episcopum ordinatur, reprehendere, utpote qui neque veteri auctoritate comprobetur neque apostolica traditione aut canonica auctoritate.

3) C. E. Episcopo eum benedicente et manum super caput eius tenente — — qui praesentes sunt manus suas iuxta manum Episcopi super caput eius teneant. M. Episcopus ei benedicat, manum suam super caput eius teneat etc., uti C. E.

4) C. M. E. omittunt verba: reliqui — ponant, procul dubio spuria. Improbat Amalarius l. c. 2, 12 libellum quemdam, docentem solum ab Episcopo imponendas esse manus in capite illius, qui Diaconus ordinatur contenditque omnes, qui adsunt, Presbyteros eidem manus super caput imponere necesse esse. Tempore igitur Amalarii textus supra positus saltem in Germania vulgatus fuisse videtur. Faciunt cum ecclesia orientali Const. Apost. VIII., 21.: ὑποδιάκονον χειροτονῶν ὦ ἐπίσκοπε ἐπιθήσεις ἐπ' αὐτῷ τὰς χεῖρας.

5) Vas, in quo aqua supra manus ad lavandum infusa cadens recipitur. C. aqua et mantile. E. aquamanili ac man. Exhibeatur in conspectu Episcopi patena et calix vacuus et dicat Episcopus.

ut sciat se ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari: accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistia Corporis Christi[1]).

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi dicente sibi Episcopo: Accipe et commenda et habeto potestatem imponendi manum super energumenum sive baptizatum sive catechumenum[2]).

Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans eius fidem atque ingenium. Post haec spectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum his, qui verbum Dei administraverunt[3]).

Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, a suggestione Archidiaconi tradat ei Episcopus claves ecclesiae de altari, dicens ei: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quae istis clavibus recluduntur[4]).

Psalmista, id est Cantor, potest absque scientia Episcopi sola iussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide ut, quod ore cantas, corde credas, et, quod corde credis, operibus probes.

Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem sui Episcopi offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni et sanctimoniae aptis[5]).

Item Benedictiones super eos, qui Sacris Ordinibus benedicendi sunt.

Praefatio Ostiarii. Deum Patrem omnipotentem suppliciter deprecemur: ut hunc famulum suum nomine Illum benedicere dignetur, quem in officium Ostiarii eligere dignatus es: ut sit ei fidelissima cura in diebus ac noctibus ad distinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Domini. Per[6]). Idem Bene-

---

1) C. in officio suo agere — — in eucharistiam. M. ab Archidiacono quidem doceatur qualiter officio suo agere — — vinum Eucharistia. E. in officio suo agere — — ad fundendum vinum.

2) C. E. commenda memoriae.

3) C. fidem ac vitam — esto Lector verbi Dei — cum eis.

4) C. de altario C. M. E. ad suggestionem Arch. — — dicens: Sic age. C. his clavibus. E. recluduntur. Et tradat ei Diaconus ostium ecclesiae.

5) C. suo episcopo — — applicatur.

6) M. omittit nomine Illum ac perperam legit certarium. E. famulum

dictio Eiusdem. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum Ostiarium nomine Illum: ut inter ianitores ecclesiae paret obsequia et inter electos tuos partem mereatur habere mercedis[1]).

Praefatio Lectoris. Eligunt te fratres tui, ut sis Lector in domo Dei tui: ut agnoscas officium tuum, ut impleas illud. Potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam. Per.

Benedictio Lectoris. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere digneris famulum tuum nomine Illum in officio Lectoris, ut assiduitate Lectionum distinctus atque ornatus curis modulis spiritali devotione resonet ecclesiae. Per Dominum[2]).

Praefatio Exorcistae. Deum Patrem omnipotentem supplices deprecemur[3]): ut hunc famulum suum nomine[4]) Illum benedicere dignetur in officium Exorcistae: ut sit spiritalis imperator ad abiiciendos daemones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi[5]). Per.

Benedictio Exorcistae. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc nomine Illum in officio Exorcistae, ut per impositionis manuum et oris in officium eum eligere digneris et imperium habeat spirituum immundorum coercendo[6]): et probabilis sit medicus ecclesiae tuae, gratiae curationum virtute confirmatus. Per.

Praefatio Ordinandi Subdiaconi. Oremus Deum ac[7]) Dominum nostrum: ut super servum suum nomine Illum, quem ad Subdiaconatus officium evocare dignatus est, infundat benedictionem et gratiam suam: ut in conspectu suo fideliter serviens destinata[8]) Sanctis praemia consequatur[9]). Per.

Benedictio Subdiaconi. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc

---

suum Ill. — — nomen Domini adiuvante Domino nostro Iesu Christo, qui cum eo vivit etc.

1) M. tuum hunc Ustiarium ut — — et inter partem tuam mereatur. E. famulum tuum Ill. Ostiarium — — partem tuae.

2) M. in officium — — ordinatus curis modolis. E. et agnoscas. — — famulum tuum hunc in officium. — — atque ordinatus et agenda dicat et dicta opere compleat et in utroque sanctae ecclesiae consulat.

3) M. deprecamur. 4) E. om. nomine. 5) E. multiformi adiuvante Domino nostro Iesu Christo Qui cum eo vivit etc. 6) M. coercendorum. 7) M. et. 8) E. praedestinata. 9) E. auxiliante Domino nostro I. C. qui cum eo vivit etc.

nomine Illum[1]), quem ad Subdiaconatus officium dignatus es eligere: ut eum Sacrario tuo[2]) sancto strenuum sollicitumque coelesti militiae instituas, ut sanctis altaribus fideliter subministret et requiescat super eum spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, repleas eum spiritu timoris tui, ut eum ministerio[3]) divino confirmes, ut obediens[4]) atque dicto parens, tuam gratiam consequatur. Per.

Consecratio manuum. Consecrentur manus istae per istam unctionem et nostram benedictionem: ut quaecunque benedixerunt, benedicta sint et quae sanctificaverint sanctificentur. Per Dominum nostrum[5]).

Sequuntur in Codice duae Missae, altera in Natali Consecrationis Diaconi, altera in Natali Consecrationis Presbyteri cum Oratione Missali, Secreta, Postcommunione, Praefatione atque Collecta infra Actionem. Pergimus ad Orat. de Episcopis Ordinandis[6]).

---

1) E. om. nomine illum. 2) M. sacrarium tuum. 3) M. in ministerio. 4) E. obediens facto.

5) Subdiaconos unctionem accepisse manuum credat Iudaeus Apella. At vero cum in multis Gelasiani ac Gregoriani Sacramentarii codicibus libri membra misere disiecta sint, hanc manuum consecrationem addamus necesse est benedictioni Presbyterorum, quae infra ponitur. Si minorem fidem faceret sententia mea, adduceris, ut mecum consentias Cod. M. et E. auctoritate. Omittunt hanc Subdiaconorum unctionem, aeque ac codices Gerberti Turicensis saec. IX. et Einsiedlensis saec. X., praemittunt Praefationi et Benedictioni Exhortationem Episcopi hoc modo: „Vide cuius ministerium tibi traditur et ideo si usque nunc fuisti tardus ad ecclesiam, amodo debes esse assiduus (si usque nunc somnolentus amodo vigil. E.) si usque nunc ebriosus amodo sobrius, si usque nunc inhonestus amodo castus. Oblationes, quae veniunt in altare panes propositionis appellantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altari poni, quamdiu populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneret. Pallae vero, quae sunt in substratorio in alio vase debent lavari, in alio corporales pallae. Ubi pallae corporales lavatae fuerunt nullum linteamen ibidem aliud debet lavari, ipsa aqua in baptisterio debet vergi. Ideo te admoneo: tu talem te exhibe, ut Deo placere possis.“ Et tradat ei calicem et patenam. — Contra formulam supra scriptam M. et E. recte ponit in Ordinatione Presbyterorum.

6) Silentio praetermittit Gelasius interrogationes, quibus Episcopus ex Concilii Carthaginiensis IV statutis prius examinandus est, quam accipiat Consecrationem: „Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper suis negotiis cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, et ante omnia, si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum esse confirmans, totamque Trinitatis Deitatem coessentialem et consubstantialem et coaeternalem et coomnipotentem praedicans, si singularem quamque in Trinitate personam plenum Deum et totas tres personas unum Deum. Si incarnationem divinam non in Patre neque in Spiritu Sancto factam, sed in Filio tantum

Oremus dilectissimi nobis: ut his viris ad utilitatem ecclesiae providendis[1], benignitas omnipotentis Dei gratiae suae tribuat largitatem. Per.

Exaudi Domine supplicum preces: ut quod nostro gerendum est ministerio tua propitius virtute firmetur. Per[2].

Propitiare Domine supplicationibus nostris: et inclinato super hos famulos tuos cornu gratiae sacerdotalis, benedictionis tuae in eos effunde virtutem. Per[3].

Consecratio[4].

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quae gloriae tuae sacris[5] famulantur ordinibus: Deus, qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affectu[6] inter cetera coelestis documenta culturae, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestire[7] inter sacra iussisti: ut intelligentiae sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinae tuae ulli deesset aetati: cum et apud veteres reverentiam ipsa[8] significationum species obtineret, et

---

credat, ut, qui erat in divinitate Dei Patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius: Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens, et animam humanam rationalem: simul in eo ambae naturae, id est Deus et homo, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Dominus, Creator omnium, quae sunt, et auctor et Dominus et rector cum Patre et Spiritu Sancto omnium creaturarum. Qui passus sit vera carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suae resurrectione, et vera animae resumptione, in qua veniet iudicare vivos et mortuos. Quaerendum etiam ab eo, si novi et veteris testamenti i. e. legis, prophetarum et apostolorum unum eundemque credat auctorem et Deum. Si Diabolus non per conditionem sed per arbitrium sit malus. Quaerendum etiam ab eo, si credat huius, quam gestamus, et non alterius carnis resurrectionem. Si credat iudicium futurum et recepturos singulos pro his, quae in carne gesserunt vel poenas vel gloriam. Si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem non culpet, si poenitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quam illa quae voluntarie admissa sunt, dimittantur. Si extra ecclesiam catholicam nullus salvetur. — Cum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene instructus, tunc cum consensu Clericorum et Laicorum et conventu totius provinciae Episcoporum maximeque Metropolitani vel auctoritate vel praesentia ordinetur Episcopus." Neque Cod. M. neque E. habent eiusmodi Examinationem in Ordinatione Episcopi: crebra est in codicibus saeculi decimi, undecimi etc. In Pontificali Romano membranaceo (pervetusto Murator. Lit. Rom. II. p. 415 sqq.) Episcopo ordinando sedecim ponuntur quaestiones.

1) E. providendam. 2) M. ministerium — tua potius. Collecta alia legitur apud E. 3) M. virtute. 4) M. praemittit prolixam orationem: Deum totius sanctificationis ac pietatis auctorem etc. E. facit cum Gelasio. 5) E. sacratis. 6) E. affatu. 7) E. vestiri. 8) M. ipsam.

apud nos certiora essent experimenta rerum, quam aenigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus nostrae mentis ornatus est: et pontificalis gloriae[1]) non iam nobis commendat honorem vestium, sed splendorem animarum: quia et illa, quae tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea[2]) potius, quae in[3]) ipsis erant, intelligenda poscebant. Et idcirco famulis tuis, quos ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc quaesumus Domine gratiam largiaris: ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum et multimodi operis varietate signabant, hoc in horum moribus actibusque clarescat[4]). Comple Domine in Sacerdotibus tuis ministerii tui summam et ornamentis[5]) totius glorificationis instructos coelestis unguenti flore sanctifica. Hoc, Domine, copiose in eorum caput influat, hoc in oris subiecta decurrat[6]), hoc in totius corporis extrema descendat: ut tui spiritus virtus et interiorum ora[7]) repleat et exteriora circumtegat. Abundet in his constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. [Sint speciosi munere tuo pedes horum ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da eis, Domine, ministerium reconciliationis in verbo et in factis et in virtute signorum et prodigiorum. Sit sermo eorum et praedicatio non in persuabilibus humanae sapientiae verbis sed in ostensione spiritus et virtutis. Da eis, Domine, claves regni coelorum, utantur ne[8]) glorientur potestate, quam tribuis[9]) in aedificationem, non in destructionem. Quodcunque ligaverint super terram, sit ligatum et in coelis, et quodcunque solverint super terram sit solutum et in coelis. Quorum retinuerint[10]) peccata, detenta sint: et quorum dimiserint tu dimittas. Qui benedixerit sit benedictus, et qui maledixerit eis, maledictionibus repleatur. Sint fideles servi prudentes[11]), quos constituas tu, Domine, super familiam tuam, ut dent illis cibum in tempore necessario, ut exhibeant omnem hominem perfectum. Sint sollicitudine impigri, sint spiritu ferventes. Odiant[12]) superbiam, diligant veritatem: nec eam unquam deserant aut lassitudine aut timore superati. Non ponant lucem ad tenebras, nec tenebras ad lucem. Non dicant malum bonum, nec bonum malum: Sint sapientibus[13])

---

1) E. pontificalem gloriam. 2) M. om. ea. 3) M. om. in. 4) E. Hic accipis chrisma. 5) E. ornamenti. 6) E. sanctifica †. Hic mittatur chrisma super caput eius. Hoc D. c. in eius caput † inf., hoc in or. s. † decurrat. 7) E. interiora eius. 8) M. nec. 9) M. tribues. 10) M. detinuerint. 11) M. servi fideles et prudentes. 12) M. oderint. 13) M. sapientibus et insipientibus.

debitores et fructum de profectu omnium consequantur[1]).] Tribuas eis Domine cathedram episcopalem ad regendam ecclesiam tuam et plebem universam. Sis eis auctoritas[2]): multiplices super eos benedictionem et gratiam tuam, ut ad exorandam semper misericordiam tuam tuo munere idonei, tua gratia possint esse devoti. Per.

Secreta. Suscipe, Domine, munera, quae tibi offerimus pro famulo tuo Illo et propitius in eodem tua dona custodi. Per.

Post Communionem. Plenum quaesumus, Domine, in nobis remedium tuae miserationis operare et tales nos esse perficere propitius fovere digneris. Per[3]).

Sequitur Missa, quam pro se Episcopus die Ordinationis suae cantat, item alia in Natalitio Episcopi, si infirmus aut absens fuerit, qualiter Presbyter debeat celebrare Missam: tertia pro alio Sacerdote.

B. Ordo qualiter in Romana Sedis Apostolicae ecclesia Presbyteri, Diaconi vel Subdiaconi eligendi sunt.

Mensis primi IV, VII et X Sabbatorum die in XII Lectiones ad Sanctum Petrum, ubi Missae celebrantur[4]). Postquam Antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione adnuntiat Pontifex in populo dicens:

Auxiliante Domine Deo et Salvatore nostro Iesu Christo[5]).

Iterum dicit: Auxiliante Domino Salvatore nostro Iesu Christo elegimus in ordine Diaconi sive Presbyteri illum Subdiaconum sive Diaconum de Titulo illo. Si quis autem habet aliquid contra hos

---

1) Desunt in cod. E., quae uncis inclusa sunt.

2) M. E. autoritas; sis eis firmitas.

3) M. habet duas collectas Post Communionem, quae differunt a supra scripta, praeterea propriam collectam infra Actionem. Neque E. in his conspirat cum Gelasio. Notatu dignum est, post Consecrationis formulam in Eligiano mentionem factam esse ordinandi Papae. „Si Papa ordinatus est, haec addi debent in loco, ubi scriptum est. Et id circo huic famulo tuo, quem apostolicae sedis praesulem et primalem omnium, qui in orbe terrarum sunt Sacerdotum ac universalis ecclesiae tuae Doctorem dedisti et ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc quaesumus Domine gratiam largiaris."

4) Mensis primi h. e. Martii, quarti Iunii, septimi Septembris et decimi Decembris.

5) E. Postquam Antiphonam ad introitum dixerint, data oratione venit Archidiaconus et offert eum, qui ordinandus est, pontifici ita dicens: Postulat sancta mater ecclesia catholica, ut hunc praesentem Subdiaconum ad onus Diaconi vel Diaconum ad onus Presbyterii ordinetis. Interrogat Episcopus: Scis eum dignum esse? Respondet offerens: Quantum humana fragilitas nosse sinit et scio et testificor ipsum dignum esse ad huius onus officii. Et tunc annuntiat Pontifex populo dicens: Auxiliante etc. eligimus etc.

viros, pro Deo et propter Deum, cum fiducia exeat et dicat. Verum tamen memor sit communionis suae[1]).

Et post modicum intervallum mox incipiunt omnes Kyrie eleïson cum Letania. Hac expleta ascendunt ipsi electi ad sedem Pontificis et benedicit eos, a quo vocati sunt[2]) et descendunt. Stant in ordines suos[3]) benedictione percepta. Per Dominum.

Ad Ordinandos Presbyteros.

Oremus dilectissimi Deum Patrem omnipotentem: ut super hos famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit[4]), coelestia dona multiplicet: et quae eius dignatione suscipiant eius exequantur auxilio. Per[5]).

Exaudi nos Deus salutaris noster[6]) et super hos famulos

---

1) E. conditionis — Cyprianus Epist. 68.: „Plebs Deum metuens maxime habet potestatem eligendi dignos Sacerdotes et recusandi indignos. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe praesente sub omnium oculis eligatur et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. — Quod idcirco tam diligenter et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel locum sacerdotalem indignus obreperet." Adde Cypriano Lampridii locum, Alexand. Sev. c. 45. „Nomina eorum proponebat hortans populum, ut, si quis haberet, criminis probaret manifestis rebus. — — Cum id Christiani et Iudaei facerent in praedicandis suis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt." Et sane de hoc suo iure plebs non decessit ad Carolum Magnum et Ludovicum Pium usque: ita tamen ut saepe Principum vel Episcoporum auctoritas plebis suffragia vinceret. Infra videbimus etiamnunc in Pontificali Romano populi testimonium de ordinandis expostulari: sed magis veteris consuetudinis dicas σκίαν et vanam speciem. Neque ubique observatur, quod sapienter praescripsit Concil. Tridentinum Sess. 23 Cap. V de Reform.: Hi, qui ad singulos maiores ordines erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus, et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat. — In Codice Morini in Ordinatione Diaconi, Presbyteri atque Episcopi fit allocutio ad populum haec: „Dilectissimi fratres, quamlibet possint ad ordinationem ecclesiastici ministerii promovendam, sibi ipsa sufficere privilegia Sacerdotum; attamen quia probabilius et nostra apud Deum conversatio est, et eorum, quorum honor augetur, maior est gratia: si id, quod arbitria nostra eligunt, etiam vestrae confirmet dilectionis adsensus: idcirco filio nostro illo cupio ad officium Diaconatus in consortium nostrum divinitatis auxilium promovere. An eum dignum hoc officio censeatis, scire desidero et si vestram apud meam concordat electio testimonium, quod vultis vocibus adprobate." Conferas quae disputat Binterim Denkw. I. 2. p. 183 — 206.

2) Rectius E. ad quod vocati sunt. 3) E. et descendente stant in ordine suo. 4) M. eligit. 5) E. ipsius exeq. aux. auxiliante Domino nostro Iesu Christo. 6) E. prosequaris.

tuos benedictionem[1]) Sancti Spiritus et gratiae sacerdotalis effunde[2]), ut, quos tuae pietatis aspectibus[3]) offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate[4]) consequantur.

Consecratio. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus honorum omnium dignitatum, quae tibi militant, distributor[5]): per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturae[6]) rationalis incrementis per ordinem congrua ratione[7]) dispositum. Unde sacerdotalis[8]) gradus et officia Levitarum Sacramentis mysticis[9]) instituta creverunt: ut cum pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adiumentum, sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres[10]). Sic in eremo per LXX virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti: quibus ille adiutoribus usus in populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et[11]) Heleazaro et Ithamar filius Aaron paternae plenitudinis abundantiam transfudisti[12]) et ad hostiae salutaris officia Sacramenta sufficeret meritum Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolos Filii tui doctores fidei comites addidisti: quibus illi orbem totum secundis praedicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostrae Domine quaesumus haec adiumenta largire: quia[13]) quanto magis fragiliores simus, tanto his plurius[14]) indigemus. Da, quaesumus omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem. Innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis: ut[15]) acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suae conversationis insinuent. Sint providi cooperatores[16]) nostri Ordinis: luceat[17]) in eis totius forma iustitiae, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae reddituri, aeterna beatitudinis praemia consequantur. Per.

Consummatio Presbyteri. Sit nobis fratres communis oratio: ut his, qui in adiutorium et utilitatem vestrae salutis eliguntur, Presbyteratus benedictionem divini indulgentia muneris consequantur: ut Sancti Spiritus sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne impares loco deprehendantur, obtineant. Per suum[18]).

---

1) M. benedictione. 2) E. effunde virtutem. 3) M. suspectibus. 4) E. Exaudi nos quaesumus Domine Deus noster. 5) E. honorum auctor et dignitatum distributor. 6) M. naturale. 7) M. congruam rationem. 8) M. sacerdotales. E. et sac. g. atque. 9) M. mysteriis. 10) M. elegeris. 11) E. in Hel. 12) E. ut ad hostias salutares et frequentioris officii. 13) M. qui. 14) Muratorius mavult legere amplius. E. pluribus. 15) M. omittit ut. E. et acceptum. 16) E. sit probus cooperator. 17) M. obtineant per suum. Per Dominum. 18) M. eluceat in eum. E. et luceat.

Item Benedictio. Sanctificationum omnium Auctor, cuius vera consecratio, cuius[1]) plena benedictio est: tu Domine super hos famulos tuos, quos Presbyterii honore dedicamus, manum tuae benedictionis his[2]) infunde: ut gravitate actuum et censura vivendi probent se esse Seniores, his instituti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit: ut in lege tua die ac nocte, Omnipotens, meditantes, quod elegerint et[3]) credant: quod crediderint doceant: quod docuerint imitentur: iustitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem in se ostendant et exemplo probent[4]), admonitione[5]) confirment: ut purum atque immaculatum ministerii tui donum custodiant et per obsequium plebis tuae Corpus et Sanguinem filii tui immaculata benedictione transforment: et inviolabili caritate in virum perfectum, in mensuram plenitudinis aetatis Christi, in die iustitiae aeternae[6]) iudicii, constantia[7]) pura, fide plena Spiritu Sancto pleni perseverent. Per[8]).

Ad ordinandos Diaconos.

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium Diaconatus vocare dignatus

---

1) M. om. cuius. 2) M. eum infunde. 3) M. om. et. 4) M. exemplum probet. 5) M. admonitionem. 6) M. aeterni. 7) M. conscientia.

8) Benedictionem excipit in Cod. M. Consecratio manus: Consecrentur manus istae per istam unctionem et nostram benedictionem, ut, quaecunque benedixerint, benedicta sint et, quaecunque sanctificaverint, sanctificentur. Cf. p. 212. Adiungitur alia: Unguantur manus istae de oleo sanctificato et chrismate sanctificationis. Sicut unxit Samuel David in regem et prophetam: ita unguantur et consummentur in nomine Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, facientes imaginem sanctae Crucis Salvatoris Domini nostri Iesu Christi: qui nos a morte redemit et ad regna coelorum perducit. Exaudi nos, pie Pater, omnipotens, aeterne Deus, et praesta quod te rogamus et petamus. — E. primam habet formulam, sed proprius praecedit ritus. Post Consecrationem: Domine sancte etc. sequuntur haec: Hic vestis et casulam: Benedictio Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super te, ut sis benedictus in ordine sacerdotali et offeras placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo. Cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Gregor. Exposit. I. Reg. 4. „Sacerdotes unguuntur quando per ordinantium se ministerium gratiarum spiritualium incrementa percipiunt.“ Sane innumera fere sunt antiquorum de unctione sacerdotali testimonia: itaque in re certissima admirabilitatem magnam facit Nicolai primi pontificis epistola ad Rodolfum Bituricensem Archiepiscopum. Sciscitaris, inquit, utrum solis Presbyteris an et Diaconibus debeant, cum ordinantur, manus chrismatis liquore perungi. Quod in sancta hac Romana ecclesia, cui Deo auctore deservimus, neutris agitur. Sed et quia sit a novae legis ministris actum, nunquam nisi nos fallat oblivio legimus. — Procul dubio inest loco scripturae vitium nec male Binterimius Denkw. I. 1. p. 487 correxit pro neutris — neutiquam.

est, benedictionem gratiae suae clementer effundat et consecrationis adultae propitius dona conservet[1]).

Oremus: Domine Deus preces nostras clementer exaudi: ut quae nostra gerenda sunt servitio tuo benignus prosequaris auxilio et quos sacris ministeriis exequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione iustifices[2])

Consecratio[3]). Adesto, quaesumus omnipotens Deus, honorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor. Qui in te manens innovas omnia et cuncta disponens[4]) per Verbum, Virtutem Sapientiamque tuam Iesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, sempiterna providentia praeparas et singulis[5]) quibusque temporalium aptanda dispensas. Cuius corpus ecclesiam tuam, coelestium gratiarum[6]) varietate distinctam, suorum connexam[7]) discretione membrorum, per legem totius mirabilem compaginis[8]) unitam in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris: sacri muneris servitutem[9]) trinis gradibus Ministrorum nomini tuo militare constituens: electis ab initio Levi filiis, qui[10]) mysticis operationibus domus tuae fidelibus excubiis permanentes haereditatem benedictionis aeternae sorte perpetua possiderent. Super hos quoque[11]) famulos tuos quaesumus, Domine, placatus intende: quos tuis sacris[12]) servituros in officium Diaconii[13]) suppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines divini sensus et summae rationis ignari[14]) horum vitam, quantum possumus, aestimamus. Te autem Domine, quae a nobis[15]) sunt ignota non transeunt. Te nota[16]) non fallunt. Tu cognitor pectorum, tu scrutator es animarum[17]). Tu veraciter in eis[18]) coeleste potes adhibere iudicium et velut indignis donare, quae poscimus[19]). Emitte in eos, quaesumus Domine, Spiritum Sanctum: quo in opus Ministerii fideliter exequendi munere septiformis tuae gratiae roborentur[20])

---

1) M. gratiae clementer. — — conservet: ut preces nostras clementer exaudiat et quae nostro etc. E. differt in utraque collecta. — 2) M. suo prosequatur — — sua potius iustitia iustificet. 3) M. Contestatio. 4) M. disponis. 5) M. in singulis. M. E. quibusque temporibus. 6) E. suorumque. 7) M. connexa. 8) M. E. compagis. 9) M. servientem. 10) E. qui in. 11) M. omittit quoque. 12) E. sacrariis. 13) M. E. Diaconi. 14) signare. 15) M. quae nobis. E. ea quae nobis. 16) M. E. occulta non fallunt. 17) E. secretorum — —. scrutator es cordium. 18) M. in eum. 19) E. tu eius vitam coelesti poteris examinare iudicio, quo semper praevales et admissa purgare et ea quae sunt agenda concedere. 20) M. S. S. in opus ministerii fideliter exequendi. M. E. munere septiformis tuae gratiae roboretur.

Abundet in eis[1]) totius forma virtutis, auctoritas modesta[2]), pudor, constans innocentiae et spiritalis observantia disciplinae[3]). In moribus[4]) praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo imitatione[5]) sanctae plebis adquirant et bonum conscientiae testimonium praeferentes[6]) in Christo[7]) firmi et stabiles perseverent: dignisque successibus de inferiore gradu per gratiam tuam potiora capere mereantur[8]). Per.

Ad consummand. Diacon. officia. Commune votum communis oratio prosequatur: ut hi totius ecclesiae prece, qui in Diaconatus ministerio praeparantur, Leviticae[9]) benedictionis et spiritali conversatione praefulgentes gratia sanctificationis eluceant. Per.

Sequitur Benedictio. Domine sanctae spei, fidei, gratiae, profectuum[10]) munerator, qui in coelestibus et terrenis angelorum ministris[11]) ubique dispositis, per omnia elementa voluntatis tuae defundis[12]) affectum: hos quoque famulos tuos nostri speciali dignare adspectu[13]): ut tuis obsequiis expediti, sacris[14]) altaribus ministri puri adcrescant: et indulgentia puriores eorum gradu, quos Apostoli tui in septenarium numerum, Beato Stephano duce atque praevio[15]) Sancto Spiritu auctore elegerunt, digni existant: et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructi complaceant. Per[16]).

Restat, ut paucula adiiciamus de Diaconissarum Ordinatione. Nobilis est in hac quaestione locus Tertulliani ad uxor. I. 7: „Viduam allegi in ordinationem nisi univiram non concedit Apostolus“. Et sane Diaconissae ab Episcopis manus impositione ordinatae sunt in ecclesia quoque occidentali, ita tamen ut earum Benedictio dignitate haud aequiparet clericorum proprie dictorum Benedictiones. Immo iam a saeculo quinto Diaconissarum ordo et ordinatio in ecclesia latina paullatim evanuit. Ambrosiaster in 1. Tim. 3, 11. Cataphrygae

---

1) M. in eum. 2) E. auct. modesta. 3) E. innocentiae puritas et sp. observatio. 4) M. E. in moribus eius. 5) E. imitationem. 6) M. perferens. E. proferens. 7) M. in Christus. 8) M. mereamur. Adnectitur brevis Collecta: Exaudi Domine supplicum preces etc. 9) M. Levitici. 10) M. et profectuum. 11) M. ministeriis. 12) M. defendes. 13) M. hunc quoque famulum tuum illo speciali dignare inlustrare adfectu. 14) M. sanctis. 15) M. septenario numero — — ac duce. 16) Omissis formulis: Commune votum et Domine sanctae E. adiungit Consecrationi haec: Quando stolam eum induis sic dices: Per hoc signum vobis Diaconatus officium humiliter imponimus, ut firmamentum mensae divinae tanquam sustentacula columnarum esse possitis et praecones regis coelestis irreprehensibiliter existere mereamini.

etiam ipsas Diaconas ordinari debere vana praesumptione defendunt. Concil. Arausian I. c. 26. Diaconae omnimodis non ordinandae. Si quae iam sunt, benedictioni, quae populo impenditur, capita submittant. Concil. Epaonense c. 21. Viduarum Consecrationem, quas Diaconas vocitant ab omni regione nostra penitus abrogamus. Tamen ut fit non apud omnes uno eodemque tempore vetus ecclesiae consuetudo abrogatur. S. Medardus Radegundin manu superposita consecravit Diaconam. Acta Sanct. Aug. III. p. 70. Ioannes XX Pontifex anno 1026 Episcopo Silvae nigrae concedit ut Diaconissas aeque ac Diaconos ordinet. Praesertim in hac nostra Germania longius Diaconissarum munus remansit. Concil. Wormatiense anni 868 c. 73: Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum et hoc cum summo libramine, si vero suscipiens manus impositionem et aliquantum temporis in ministerio permanens semet ipsam tradat nuptiis etc. Reperit Gerbertus in Codice Rheinaugiensi iuniori Orationem ad Diaconam faciendam: Exaudi Domine preces nostras et super hanc famulam tuam ill. Spiritum tuae benedictionis emitte, ut coelesti munere ditata et tuae gratiam possit acquirere maiestatis et bene vivendi exemplum aliis praebere. Finem faciat locus Binterimii l. c. p. 466: Die Ordination der Diaconissen war nach der Art der Diaconenweihe gleichsam eingerichtet; und gleichwie dem Diakon ein Orarium oder die Stola umgehangen wurde, so überreichte der Bischof auch der Diaconisse die Diaconalstole mit einem Kelche. Diese Stole blieb der Diaconisse nicht zum dienstlichen Gebrauch, sondern der Bischof nahm sie wieder zu sich. Im Mittelalter hatte man eine eigne Messe, welche bei der Ordination gelesen wurde (Ordo Rom. Hittorp. Tom. VIII Bibl. Patr. ed. Col. p. 472). Nach der Epistel und nach vollendeter Consecration wird folgende Rubrik vorgeschrieben. Tunc ponat Episcopus orarium in collo eius, dicens: Stola iucunditatis induat te Dominus. Ipsa autem imponat velamen capiti suo palam omnibus de altari acceptum, cum Antiphona: Ipsa desponsata cui angeli. Die Diaconisse erhielt dann noch einen Ring und einen Halsschmuck von dem Bischof, wobei wieder besondere Formeln und Gebete vorgeschrieben sind.

II. EX PONTIFICALI ROMANO CLEMENTIS VIII., PRIMUM NUNC DEMUM URBANI VIII. AUCTORITATE RECOGNITO.

De Ordinibus conferendis.

— — Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur.

— — Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere

nesciant et de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent hoc vitae genus elegisse.

— — Tempora Ordinationum sunt: Sabbata in omnibus Quatuor Temporibus, Sabbatum ante Dominicam de Passione et Sabbatum Sanctum.

Clericatus seu prima tonsura quocumque die, hora et loco conferri potest.

Minores vero Ordines possunt dari singulis Dominicis et festivis diebus duplicibus, ubicunque in mane tamen.

— In Sabbatis Quatuor Temporum, in quibus fiunt Ordinationes generales Tonsurae fieri debent post Kyrie eleïson. Deinde prima dicta lectione ordinantur Ostiarii. Post secundum lectionem Lectores. Post tertiam Exorcistae. Post quartam Acolythi. Post quintam Subdiaconi. Finita Epistola Diaconi. Et demum ante ultimum versum Tractus vel infra Octavam Pentecostes ante ultimum versum Sequentiae ordinantur Presbyteri.

Si Ordinationes fiant in Sabbato ante Dominicam in Passione, quia una tantum dicitur lectio Tonsurae debent fieri immediate post Introitum. Omnes minores ordines post Kyrie eleïson. Subdiaconi immédiate post Collectam. Diaconi post Epistolam. Peresbyter ante ultimum versum Tractus.

Idem servari potest, quandocumque dantur ordines sacri extra tempora ex dispensatione Apostolica. Quod si fiat inter Pascha et Pentecosten, Presbyteri ordinantur ante ultimum versum. Si inter Pentecosten et Septuagesimam ordinantur ante Alleluia. Et antequam ad collationem Ordinum procedatur legitur mandatum apostolicum, cuius vigore Pontifici facultas conceditur ordinandi.

Si vero Sabbato sancto Ordinationes fiant, dicto Kyrie eleïson ordinat Pontifex ad primam Tonsuram. Post Gloria in excelsis ordinat ad quatuor minores ordines. Deinde dicit orationem ordinariam et aliam pro Ordinandis, quibus dictis ordinat ad Subdiaconatum. Post Epistolam ordinantur Diaconi. Dicitur deinde Alleluia cum suo versu et prima pars Tractus, quibus dictis ordinat Presbyteros.

— — Cum igitur Ordinationes faciendae sunt per Sacristam praeparentur omnia, quae necessaria sunt pro Missa pontificali. Et demum cum tempus Ordinationis instat hora competenti Pontifex venit ad ecclesiam, ubi ordinationes fieri debent et accedens ante altare genuflexus ibidem aliquamdiu orat. Deinde vadit ad sedem, ubi paramenta capere consuevit vel, si non sit in ecclesia sua ad faldistorium, ad cornu Epistolae sibi paratum, ubi sedens accipit omnia paramenta pontificalia coloris tempori convenientis et mitram simplicem dicens Psalmum: Kyrie eleïson etc.

Dein facit cum ministris Confessionem. Finita Confessione omnia fiunt ut in Missa Pontificali vel sollemni p. 54. Legit Pontifex post altaris incensationem, oblato sibi per ministrum libro, ex eo Introitum et Kyrie eleïson: quo finito accedit ad faldistorium ante medium altaris et in illo sedet, renibus

altari conversis. Tum Archidiaconus vocat omnes Ordinandos dicens: Accedant omnes, qui ordinandi sunt. Quibus ante altare coram Pontifice genuflexis et in modum coronae dispositis, Archidiaconus (A.) publice interrogat omnes, si sint aliqui, qui forte non sint confirmati. Et si aliqui confirmandi erunt, tunc confirmat eos Pontifex (P). Si non erunt aliqui confirmandi, palam interdicit per unum ex suis sub his verbis:

Reverendissimus in Christo pater et dominus, N. Dei et apostolicae sedis gratia Episcopus N. sub excommunicationis poena praecipit et mandat omnibus et singulis pro suscipiendis Ordinibus hic praesentibus, ne quis forsan eorum irregularis, aut alias a iure vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a iure prohibitus, sive ex aliena dioecesi oriundus sive licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos ordines accedere. Et quod nullus ex Ordinandis discedat, nisi Missa finita et benedictione Pontificis accepta[1]).

Demum ad Ordinationem procedat:

De Clerico Faciendo[2]).

Pro Clericis ordinandis parentur forfices pro incidendis capillis et bacile pro illis imponendis. Et quilibet Ordinandorum habere debet suum superpelliceum super brachium sinistrum et candelam in manu dextra. Et vocantur omnes tonsurandi nominatim per notarium et quilibet respondet: Adsum.

Quibus ante Pontificem genuflexis, P. surgit et dicit:

Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

Oremus, fratres carissimi, Dominum nostrum I. C. pro his famulis suis, qui ad deponendas comas capitum suorum pro eius amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet et a mundi impedimento et a saeculari desiderio corda eorum defendat: ut sicut immutantur

1) In vetustioribus libris haec formula saepissime est omissa, at inde a saeculo decimo tertio occurrit in plurimis sed prolixior. In Pontificali Moguntinensi saec. XIV. arcentur ab ordinibus sacris praeter illos, qui supra nominati sunt — — simoniaci, epileptici, vel aliquo membro mutilati, vel corpore enormiter vitiati e. m. a.

2) Tonsura cum saeculo demum sexto et septimo in ecclesia probari atque in omnibus ecclesiis ut consuetudo introduci coepisset, in vetustissimis Sacramentariis deesse Ordines de Clerico Faciendo haud miraberis. Exstant tamen Orationes ad Clericum faciendum in Codice S. Eligii, in Codice Rotomagensis ecclesiae Anglicano sc. IX. apud Morinum, quos antiquissimas omnium facile dixeris.

in vultibus, ita dextra manus eius virtutis tribuat eis incrementa et ab omni caecitate spirituali et humana oculos eorum aperiat et lumen eis aeternae gratiae concedat. Qui vivit et regnat etc.[1]).

Post haec sedente Pontifice schola inchoat et prosequitur Antiphonam et Psalmum 15. octavo tono: Tu es Domine, qui restituis haereditatem meam. Conserva me Domine etc. usque nec memor ero nominum eorum per labia mea. Repetitur tota Antiphona: Tu es Domine[2]).

Incepto psalmo P. cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio et ad utramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum et in bacile deponit et quilibet cum tondetur dicit: Dominus pars haereditatis meae et calicis mei: tu es qui restitues haereditatem meam mihi.

Omnibus tonsis surgit P. et stans versus ad illos: Oremus. Praesta quaesumus omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum pro amore divino deposuimus in tua dilectione perpetuo maneant et eos sine macula in sempiternum custodias. Per[3]).

Tunc Schola inchoat Antiphonam: Hi accipient benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo: quia haec est generatio quaerentium eum. Sequitur Psalmus 23. Domini est terra etc. et repetitur Antiphona[4]). Qua finita surgit P., qui inter cantum sederat, et ad altare conversus dicit Oremus et ministri dicunt: Flectamus genua. Levate.

Et mox ad tonsos genuflexos versus P. dicit: Adesto Domine supplicationibus nostris et hos famulos tuos bene ✝ dicere dignare, quibus in tuo sancto nomine habitum sacrae religionis imponimus: ut te largiente et devoti in ecclesia tua persistere et vitam percipere mereantur aeternam. Per[5]).

Tum P. sedet et accipiens in manum superpelliceum dicit singulis: Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis[6]).

Et mox imponit illud cuilibet repetendo: Induat etc. immittens usque ad scapulas, et immediate trahens, si unum sit tantum superpelliceum; sicque facit usque ad ultimum, qui eo totaliter induitur; si vero quisque suum superpelliceum habeat, singuli totaliter induuntur. Quo expedito, surgit P. et versus ad illos dicit: Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, propitiare pec-

---

1) Occurrit Collecta in Cod. S. Eligii ac Rotomagensi. 2) Legitur eadem Antiphona in Codice S. Eligii. 3) Habet orationem Cod. S. Eligii. 4) Reperitur Antiphona in utroque Codice. 5) Exstat in Cod. S. Eligii et Rotomagensi. 6) Mos induendi sollemniter novo clerico superpelliceum saeculo duodecimo vel decimo tertio invaluisse videtur.

catis nostris et ab omni servitute saecularis habitus hos famulos tuos emunda: ut, dum ignominiam saecularis habitus deponunt, tua semper in aevum gratia perfruantur: ut sicut similitudinem coronae tuae eos gestare facimus in capitibus, sic tua virtute haereditatem subsequi mereantur aeternam in cordibus. Qui cum Patre etc.[1]).

Deinde sedet P. et alloquitur eos sub his verbis: Filii carissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro ecclesiae facti estis et privilegia clericalia sortiti estis: cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis et habitu honesto bonisque moribus Deo placere studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum Sanctum suum. ℟. Amen[2]).

De Ordinatione Ostiariorum.

Prosequitur P. Missam pontificalem: Cantata prima Collecta et prima Lectione, sedet iterum in faldistorio. A. vocat Ordinandos, dicens: Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum. Vocantur et respondent ut Tonsurandi p. 223.

Omnibus in superpelliceis cum candelis in manibus coram pontifice genuflexis, P. admonet illos dicens: Susceptori, filii carissimi, officium Ostia-

1) Minus placet haec Collecta propter saecularis vitae contemptum atque contumaciam illatam laicis. Antiquissima sedes Orationis est Codex saec. X. apud Morinum.

2) Binterim Denkw. I, 1. p. 277: „In Deutschland scheint eine Handauflegung üblich gewesen zu sein, indem eine Synode von Trier 1310 befiehlt, dass keiner die Tonsur tragen soll, bevor ihm die Händeauflegung und der sacramentalische Segen sei ertheilt worden. Das Sacramentarium Gallicanum (Mabillon-Museum Ital. I, p. 389) führt eine solche Benediction an, worin auch die Rede von einer Salbung vorkommt.“ Respicit Vir Doctus ad verba — — manda Deus benedictionem et vitam famulo tuo, ut unguentum, quod descendit in capite et in barbam illius Aaron, toto maneat et in corpore. At vero cum in ipso psalmo unguentum metaphorice usurpatum sit, bene in hac oratione quoque potest designare benedictionem episcopalem, qua quasi irrigantur et imbuuntur Ordinandi. Optimus sententiae nostrae vindex est Codex S. Victoris saec. XII. apud Morinum. „Dum tondes eum dicas Antiphonam: Sicut ros Hermon, qui descendit in Sion, sic descendat super te benedictio Dei. Et infra — — effunde super eum benedictionem tuam, ut in caput barbamque eius transeat sicut unguentum, quod descendit in barbam Aaron. — Apud antiquos novo clerico tondebatur praeter capillos capitis barba quoque: vide in plurimis libris Orationes ad barbam tondendam vel post rasam barbam e. g. in Codice Rotomagensi: Deus, qui ecclesiam tuam novo semper foetu multiplicas, concede famulo tuo N., qui divini timoris et amoris instinctu exteriora pubertatis abscidit, ut tuorum omnium Sanctorum intervenientibus meritis, carnis petulantiam non solum verbotenus, sed intima cordis conscientia perseverans conversatione, te eum ubique praecedente et subsequente, calcare et contemnere, vitam mereatur aeternam.

viros, pro Deo et propter Deum, cum fiducia exeat et dicat. Verum tamen memor sit communionis suae[1]).

Et post modicum intervallum mox incipiunt omnes Kyrie eleïson cum Letania. Hac expleta ascendunt ipsi electi ad sedem Pontificis et benedicit eos, a quo vocati sunt[2]) et descendunt. Stant in ordines suos[3]) benedictione percepta. Per Dominum.

Ad Ordinandos Presbyteros.

Oremus dilectissimi Deum Patrem omnipotentem: ut super hos famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit[4]), coelestia dona multiplicet: et quae eius dignatione suscipiant eius exequantur auxilio. Per[5]).

Exaudi nos Deus salutaris noster[6]) et super hos famulos

---

1) E. conditionis — Cyprianus Epist. 68.: „Plebs Deum metuens maxime habet potestatem eligendi dignos Sacerdotes et recusandi indignos. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe praesente sub omnium oculis eligatur et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. — Quod idcirco tam diligenter et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel locum sacerdotalem indignus obreperet.“ Adde Cypriano Lampridii locum, Alexand. Sev. c. 45. „Nomina eorum proponebat hortans populum, ut, si quis haberet, criminis probaret manifestis rebus. — — Cum id Christiani et Iudaei facerent in praedicandis suis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt.“ Et sane de hoc suo iure plebs non decessit ad Carolum Magnum et Ludovicum Pium usque: ita tamen ut saepe Principum vel Episcoporum auctoritas plebis suffragia vinceret. Infra videbimus etiamnunc in Pontificali Romano populi testimonium de ordinandis expostulari: sed magis veteris consuetudinis dicas σκίαν et vanam speciem. Neque ubique observatur, quod sapienter praescripsit Concil. Tridentinum Sess. 23 Cap. V de Reform.: Hi, qui ad singulos maiores ordines erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus, et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat. — In Codice Morini in Ordinatione Diaconi, Presbyteri atque Episcopi fit allocutio ad populum haec: „Dilectissimi fratres, quamlibet possint ad ordinationem ecclesiastici ministerii promovendam, sibi ipsa sufficere privilegia Sacerdotum; attamen quia probabilius et nostra apud Deum conversatio est, et eorum, quorum honor augetur, maior est gratia: si id, quod arbitria nostra eligunt, etiam vestrae confirmet dilectionis adsensus: idcirco filio nostro illo cupio ad officium Diaconatus in consortium nostrum divinitatis auxilium promovere. An eum dignum hoc officio censeatis, scire desidero et si vestram apud meam concordat electio testimonium, quod vultis vocibus adprobate.“ Conferas quae disputat Binterim Denkw. I. 2. p. 183 — 206.

2) Rectius E. ad quod vocati sunt. 3) E. et descendente stant in ordine suo. 4) M. eligit. 5) E. ipsius exeq. aux. auxiliante Domino nostro Iesu Christo. 6) E. prosequaris.

tuos benedictionem[1]) Sancti Spiritus et gratiae sacerdotalis effunde[2]), ut, quos tuae pietatis aspectibus[3]) offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate[4]) consequantur.

Consecratio. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus honorum omnium dignitatum, quae tibi militant, distributor[5]): per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturae[6]) rationalis incrementis per ordinem congrua ratione[7]) dispositum. Unde sacerdotalis[8]) gradus et officia Levitarum Sacramentis mysticis[9]) instituta creverunt: ut cum pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adiumentum, sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres[10]). Sic in eremo per LXX virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti: quibus ille adiutoribus usus in populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et[11]) Heleazaro et Ithamar filius Aaron paternae plenitudinis abundantiam transfudisti[12]) et ad hostiae salutaris officia Sacramenta sufficeret meritum Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolos Filii tui doctores fidei comites addidisti: quibus illi orbem totum secundis praedicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostrae Domine quaesumus haec adiumenta largire: quia[13]) quanto magis fragiliores simus, tanto his plurius[14]) indigemus. Da, quaesumus omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem. Innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis: ut[15]) acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suae conversationis insinuent. Sint providi cooperatores[16]) nostri Ordinis: luceat[17]) in eis totius forma iustitiae, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae reddituri, aeterna beatitudinis praemia consequantur. Per.

Consummatio Presbyteri. Sit nobis fratres communis oratio: ut his, qui in adiutorium et utilitatem vestrae salutis eliguntur, Presbyteratus benedictionem divini indulgentia muneris consequantur: ut Sancti Spiritus sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne impares loco deprehendantur, obtineant. Per suum[18]).

---

1) M. benedictione. 2) E. effunde virtutem. 3) M. suspectibus. 4) E. Exaudi nos quaesumus Domine Deus noster. 5) E. honorum auctor et dignitatum distributor. 6) M. naturale. 7) M. congruam rationem. 8) M. sacerdotales. E. et sac. g. atque. 9) M. mysteriis. 10) M. elegeris. 11) E. in Hel. 12) E. ut ad hostias salutares et frequentioris officii. 13) M. qui. 14) Muratorius mavult legere amplius. E. pluribus. 15) M. omittit ut. E. et acceptum. 16) E. sit probus cooperator. 17) M. obtineant per suum. Per Dominum. 18) M. eluceat in eum. E. et luceat.

Item Benedictio. Sanctificationum omnium Auctor, cuius vera consecratio, cuius[1]) plena benedictio est: tu Domine super hos famulos tuos, quos Presbyterii honore dedicamus, manum tuae benedictionis his[2]) infunde: ut gravitate actuum et censura vivendi probent se esse Seniores, his instituti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit: ut in lege tua die ac nocte, Omnipotens, meditantes, quod elegerint et[3]) credant: quod crediderint doceant: quod docuerint imitentur: iustitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem in se ostendant et exemplo probent[4]), admonitione[5]) confirment: ut purum atque immaculatum ministerii tui donum custodiant et per obsequium plebis tuae Corpus et Sanguinem filii tui immaculata benedictione transforment: et inviolabili caritate in virum perfectum, in mensuram plenitudinis aetatis Christi, in die iustitiae aeternae[6]) iudicii, constantia[7]) pura, fide plena Spiritu Sancto pleni perseverent. Per[8]).

Ad ordinandos Diaconos.

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium Diaconatus vocare dignatus

---

1) M. om. cuius. 2) M. eum infunde. 3) M. om. et. 4) M. exemplum probet. 5) M. admonitionem. 6) M. aeterni. 7) M. conscientia.

8) Benedictionem excipit in Cod. M. Consecratio manus: Consecrentur manus istae per istam unctionem et nostram benedictionem, ut, quaecunque benedixerint, benedicta sint et, quaecunque sanctificaverint, sanctificentur. Cf. p. 212. Adiungitur alia: Unguantur manus istae de oleo sanctificato et chrismate sanctificationis. Sicut unxit Samuel David in regem et prophetam: ita unguantur et consummentur in nomine Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, facientes imaginem sanctae Crucis Salvatoris Domini nostri Iesu Christi: qui nos a morte redemit et ad regna coelorum perducit. Exaudi nos, pie Pater, omnipotens, aeterne Deus, et praesta quod te rogamus et petamus. — E. primam habet formulam, sed proprius praecedit ritus. Post Consecrationem: Domine sancte etc. sequuntur haec: Hic vestis et casulam: Benedictio Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super te, ut sis benedictus in ordine sacerdotali et offeras placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo. Cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Gregor. Exposit. I. Reg. 4. „Sacerdotes unguuntur quando per ordinantium se ministerium gratiarum spiritualium incrementa percipiunt." Sane innumera fere sunt antiquorum de unctione sacerdotali testimonia: itaque in re certissima admirabilitatem magnam facit Nicolai primi pontificis epistola ad Rodolfum Bituricensem Archiepiscopum. Sciscitaris, inquit, utrum solis Presbyteris an et Diaconibus debeant, cum ordinantur, manus chrismatis liquore perungi. Quod in sancta hac Romana ecclesia, cui Deo auctore deservimus, neutris agitur. Sed et quia sit a novae legis ministris actum, nunquam nisi nos fallat oblivio legimus. — Procul dubio inest loco scripturae vitium nec male Binterimius Denkw. I. 1. p. 487 correxit pro neutris — neutiquam.

est, benedictionem gratiae suae clementer effundat et consecrationis adultae propitius dona conservet[1]).

Oremus: Domine Deus preces nostras clementer exaudi: ut quae nostra gerenda sunt servitio tuo benignus prosequaris auxilio et quos sacris ministeriis exequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione iustifices[2])

Consecratio[3]). Adesto, quaesumus omnipotens Deus, honorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor. Qui in te manens innovas omnia et cuncta disponens[4]) per Verbum, Virtutem Sapientiamque tuam Iesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, sempiterna providentia praeparas et singulis[5]) quibusque temporalium aptanda dispensas. Cuius corpus ecclesiam tuam, coelestium gratiarum[6]) varietate distinctam, suorum connexam[7]) discretione membrorum, per legem totius mirabilem compaginis[8]) unitam in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris: sacri muneris servitutem[9]) trinis gradibus Ministrorum nomini tuo militare constituens: electis ab initio Levi filiis, qui[10]) mysticis operationibus domus tuae fidelibus excubiis permanentes haereditatem benedictionis aeternae sorte perpetua possiderent. Super hos quoque[11]) famulos tuos quaesumus, Domine, placatus intende: quos tuis sacris[12]) servituros in officium Diaconii[13]) suppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines divini sensus et summae rationis ignari[14]) horum vitam, quantum possumus, aestimamus. Te autem Domine, quae a nobis[15]) sunt ignota non transeunt. Te nota[16]) non fallunt. Tu cognitor pectorum, tu scrutator es animarum[17]). Tu veraciter in eis[18]) coeleste potes adhibere iudicium et velut indignis donare, quae poscimus[19]). Emitte in eos, quaesumus Domine, Spiritum Sanctum: quo in opus Ministerii fideliter exequendi munere septiformis tuae gratiae roborentur[20])

---

1) M. gratiae clementer. — — conservet: ut preces nostras clementer exaudiat et quae nostro etc. E. differt in utraque collecta. — 2) M. suo prosequatur — — sua potius iustitia iustificet. 3) M. Contestatio. 4) M. disponis. 5) M. in singulis. M. E. quibusque temporibus. 6) E. suorumque. 7) M. connexa. 8) M. E. compagis. 9) M. servientem. 10) E. qui in. 11) M. omittit quoque. 12) E. sacrariis. 13) M. E. Diaconi. 14) signare. 15) M. quae nobis. E. ea quae nobis. 16) M. E. occulta non fallunt. 17) E. secretorum — —. scrutator es cordium. 18) M. in eum. 19) E. tu eius vitam coelesti poteris examinare iudicio, quo semper praevales et admissa purgare et ea quae sunt agenda concedere. 20) M. S. S. in opus ministerii fideliter exequendi. M. E. munere septiformis tuae gratiae roboretur.

Abundet in eis[1]) totius forma virtutis, auctoritas modesta[2]), pudor, constans innocentiae et spiritalis observantia disciplinae[3]). In moribus[4]) praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo imitatione[5]) sanctae plebis adquirant et bonum conscientiae testimonium praeferentes[6]) in Christo[7]) firmi et stabiles perseverent: dignisque successibus de inferiore gradu per gratiam tuam potiora capere mereantur[8]). Per.

Ad consummand. Diacon. officia. Commune votum communis oratio prosequatur: ut hi totius ecclesiae prece, qui in Diaconatus ministerio praeparantur, Leviticae[9]) benedictionis et spiritali conversatione praefulgentes gratia sanctificationis eluceant. Per.

Sequitur Benedictio. Domine sanctae spei, fidei, gratiae, profectuum[10]) munerator, qui in coelestibus et terrenis angelorum ministris[11]) ubique dispositis, per omnia elementa voluntatis tuae defundis[12]) affectum: hos quoque famulos tuos nostri speciali dignare adspectu[13]): ut tuis obsequiis expediti, sacris[14]) altaribus ministri puri adcrescant: et indulgentia puriores eorum gradu, quos Apostoli tui in septenarium numerum, Beato Stephano duce atque praevio[15]) Sancto Spiritu auctore elegerunt, digni existant: et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructi complaceant. Per[16]).

Restat, ut paucula adiiciamus de Diaconissarum Ordinatione. Nobilis est in hac quaestione locus Tertulliani ad uxor. I. 7: „Viduam allegi in ordinationem nisi univiram non concedit Apostolus". Et sane Diaconissae ab Episcopis manus impositione ordinatae sunt in ecclesia quoque occidentali, ita tamen ut earum Benedictio dignitate haud aequiparet clericorum proprie dictorum Benedictiones. Immo iam a saeculo quinto Diaconissarum ordo et ordinatio in ecclesia latina paullatim evanuit. Ambrosiaster in 1. Tim. 3, 11. Cataphrygae

---

1) M. in eum. 2) E. auct. modesta. 3) E. innocentiae puritas et sp. observatio. 4) M. E. in moribus eius. 5) E. imitationem. 6) M. perferens. E. proferens. 7) M. in Christus. 8) M. mereamur. Adnectitur brevis Collecta: Exaudi Domine supplicum preces etc. 9) M. Levitici. 10) M. et profectuum. 11) M. ministeriis. 12) M. defendes. 13) M. hunc quoque famulum tuum illo speciali dignare inlustrare adfectu. 14) M. sanctis. 15) M. septenario numero — — ac duce. 16) Omissis formulis: Commune votum et Domine sanctae E. adiungit Consecrationi haec: Quando stolam eum induis sic dices: Per hoc signum vobis Diaconatus officium humiliter imponimus, ut firmamentum mensae divinae tanquam sustentacula columnarum esse possitis et praecones regis coelestis irreprehensibiliter existere mereamini.

etiam ipsas Diaconas ordinari debere vana praesumptione defendunt. Concil. Arausian I. c. 26. Diaconae omnimodis non ordinandae. Si quae iam sunt, benedictioni, quae populo impenditur, capita submittant. Concil. Epaonense c. 21. Viduarum Consecrationem, quas Diaconas vocitant ab omni regione nostra penitus abrogamus. Tamen ut fit non apud omnes uno eodemque tempore vetus ecclesiae consuetudo abrogatur. S. Medardus Radegundin manu superposita consecravit Diaconam. Acta Sanct. Aug. III. p. 70. Ioannes XX Pontifex anno 1026 Episcopo Silvae nigrae concedit ut Diaconissas aeque ac Diaconos ordinet. Praesertim in hac nostra Germania longius Diaconissarum munus remansit. Concil. Wormatiense anni 868 c. 73: Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum et hoc cum summo libramine, si vero suscipiens manus impositionem et aliquantum temporis in ministerio permanens semet ipsam tradat nuptiis etc. Reperit Gerbertus in Codice Rheinaugiensi iuniori Orationem ad Diaconam faciendam: Exaudi Domine preces nostras et super hanc famulam tuam ill. Spiritum tuae benedictionis emitte, ut coelesti munere ditata et tuae gratiam possit acquirere maiestatis et bene vivendi exemplum aliis praebere. Finem faciat locus Binterimii l. c. p. 466: Die Ordination der Diaconissen war nach der Art der Diaconenweihe gleichsam eingerichtet; und gleichwie dem Diakon ein Orarium oder die Stola umgehangen wurde, so überreichte der Bischof auch der Diaconisse die Diaconalstole mit einem Kelche. Diese Stole blieb der Diaconisse nicht zum dienstlichen Gebrauch, sondern der Bischof nahm sie wieder zu sich. Im Mittelalter hatte man eine eigne Messe, welche bei der Ordination gelesen wurde (Ordo Rom. Hittorp. Tom. VIII Bibl. Patr. ed. Col. p. 472). Nach der Epistel und nach vollendeter Consecration wird folgende Rubrik vorgeschrieben. Tunc ponat Episcopus orarium in collo eius, dicens: Stola iucunditatis induat te Dominus. Ipsa autem imponat velamen capiti suo palam omnibus de altari acceptum, cum Antiphona: Ipsa desponsata cui angeli. Die Diaconisse erhielt dann noch einen Ring und einen Halsschmuck von dem Bischof, wobei wieder besondere Formeln und Gebete vorgeschrieben sind.

II. EX PONTIFICALI ROMANO CLEMENTIS VIII., PRIMUM NUNC DEMUM URBANI VIII. AUCTORITATE RECOGNITO.

De Ordinibus conferendis.

— — Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur.

— — Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere

nesciant et de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent hoc vitae genus elegisse.

— — Tempora Ordinationum sunt: Sabbata in omnibus Quatuor Temporibus, Sabbatum ante Dominicam de Passione et Sabbatum Sanctum.

Clericatus seu prima tonsura quocumque die, hora et loco conferri potest.

Minores vero Ordines possunt dari singulis Dominicis et festivis diebus duplicibus, ubicunque in mane tamen.

— In Sabbatis Quatuor Temporum, in quibus fiunt Ordinationes generales Tonsurae fieri debent post Kyrie eleïson. Deinde prima dicta lectione ordinantur Ostiarii. Post secundum lectionem Lectores. Post tertiam Exorcistae. Post quartam Acolythi. Post quintam Subdiaconi. Finita Epistola Diaconi. Et demum ante ultimum versum Tractus vel infra Octavam Pentecostes ante ultimum versum Sequentiae ordinantur Presbyteri.

Si Ordinationes fiant in Sabbato ante Dominicam in Passione, quia una tantum dicitur lectio Tonsurae debent fieri immediate post Introitum. Omnes minores ordines post Kyrie eleïson. Subdiaconi immédiate post Collectam. Diaconi post Epistolam. Peresbyter ante ultimum versum Tractus.

Idem sérvari potest, quandocumque dantur ordines sacri extra tempora ex dispensatione Apostolica. Quod si fiat inter Pascha et Pentecosten, Presbyteri ordinantur ante ultimum versum. Si inter Pentecosten et Septuagesimam ordinantur ante Alleluia. Et antequam ad collationem Ordinum procedatur legitur mandatum apostolicum, cuius vigore Pontifici facultas conceditur ordinandi.

Si vero Sabbato sancto Ordinationes fiant, dicto Kyrie eleïson ordinat Pontifex ad primam Tonsuram. Post Gloria in excelsis ordinat ad quatuor minores ordines. Deinde dicit orationem ordinariam et aliam pro Ordinandis, quibus dictis ordinat ad Subdiaconatum. Post Epistolam ordinantur Diaconi. Dicitur deinde Alleluia cum suo versu et prima pars Tractus, quibus dictis ordinat Presbyteros.

— — Cum igitur Ordinationes faciendae sunt per Sacristam praeparentur omnia, quae necessaria sunt pro Missa pontificali. Et demum cum tempus Ordinationis instat hora competenti Pontifex venit ad ecclesiam, ubi ordinationes fieri debent et accedens ante altare genuflexus ibidem aliquamdiu orat. Deinde vadit ad sedem, ubi paramenta capere consuevit vel, si non sit in ecclesia sua ad faldistorium, ad cornu Epistolae sibi paratum, ubi sedens accipit omnia paramenta pontificalia coloris tempori convenientis et mitram simplicem dicens Psalmum: Kyrie eleïson etc.

Dein facit cum ministris Confessionem. Finita Confessione omnia fiunt ut in Missa Pontificali vel sollemni p. 54. Legit Pontifex post altaris incensationem, oblato sibi per ministrum libro, ex eo Introitum et Kyrie eleïson: quo finito accedit ad faldistorium ante medium altaris et in illo sedet, renibus

altari conversis. Tum Archidiaconus vocat omnes Ordinandos dicens: Accedant omnes, qui ordinandi sunt. Quibus ante altare coram Pontifice genuflexis et in modum coronae dispositis, Archidiaconus (A.) publice interrogat omnes, si sint aliqui, qui forte non sint confirmati. Et si aliqui confirmandi erunt, tunc confirmat eos Pontifex (P). Si non erunt aliqui confirmandi, palam interdicit per unum ex suis sub his verbis:

Reverendissimus in Christo pater et dominus, N. Dei et apostolicae sedis gratia Episcopus N. sub excommunicationis poena praecipit et mandat omnibus et singulis pro suscipiendis Ordinibus hic praesentibus, ne quis forsan eorum irregularis, aut alias a iure vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a iure prohibitus, sive ex aliena dioecesi oriundus sive licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos ordines accedere. Et quod nullus ex Ordinandis discedat, nisi Missa finita et benedictione Pontificis accepta[1]).

Demum ad Ordinationem procedat:

De Clerico Faciendo[2]).

Pro Clericis ordinandis parentur forfices pro incidendis capillis et bacile pro illis imponendis. Et quilibet Ordinandorum habere debet suum superpelliceum super brachium sinistrum et candelam in manu dextra. Et vocantur omnes tonsurandi nominatim per notarium et quilibet respondet: Adsum.

Quibus ante Pontificem genuflexis, P. surgit et dicit:

Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

Oremus, fratres carissimi, Dominum nostrum I. C. pro his famulis suis, qui ad deponendas comas capitum suorum pro eius amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet et a mundi impedimento et a saeculari desiderio corda eorum defendat: ut sicut immutantur

---

1) In vetustioribus libris haec formula saepissime est omissa, at inde a saeculo decimo tertio occurrit in plurimis sed prolixior. In Pontificali Moguntinensi saec. XIV. arceantur ab ordinibus sacris praeter illos, qui supra nominati sunt — — simoniaci, epileptici, vel aliquo membro mutilati, vel corpore enormiter vitiati e. m. a.

2) Tonsura cum saeculo demum sexto et septimo in ecclesia probari atque in omnibus ecclesiis ut consuetudo introduci coepisset, in vetustissimis Sacramentariis deesse Ordines de Clerico Faciendo haud miraberis. Exstant tamen Orationes ad Clericum faciendum in Codice S. Eligii, in Codice Rotomagensis ecclesiae Anglicano sc. IX. apud Morinum, quos antiquissimas omnium facile dixeris.

in vultibus, ita dextra manus eius virtutis tribuat eis incrementa et ab omni caecitate spirituali et humana oculos eorum aperiat et lumen eis aeternae gratiae concedat. Qui vivit et regnat etc.[1]).

Post haec sedente Pontifice schola inchoat et prosequitur Antiphonam et Psalmum 15. octavo tono: Tu es Domine, qui restituis haereditatem meam. Conserva me Domine etc. usque nec memor ero nominum eorum per labia mea. Repetitur tota Antiphona: Tu es Domine[2]).

Incepto psalmo P. cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio et ad utramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum et in bacile deponit et quilibet cum tondetur dicit: Dominus pars haereditatis meae et calicis mei: tu es qui restitues haereditatem meam mihi.

Omnibus tonsis surgit P. et stans versus ad illos: Oremus. Praesta quaesumus omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum pro amore divino deposuimus in tua dilectione perpetuo maneant et eos sine macula in sempiternum custodias. Per[3]).

Tunc Schola inchoat Antiphonam: Hi accipient benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo: quia haec est generatio quaerentium eum. Sequitur Psalmus 23. Domini est terra etc. et repetitur Antiphona[4]). Qua finita surgit P., qui inter cantum sederat, et ad altare conversus dicit Oremus et ministri dicunt: Flectamus genua. Levate.

Et mox ad tonsos genuflexos versus P. dicit: Adesto Domine supplicationibus nostris et hos famulos tuos bene ✝ dicere dignare, quibus in tuo sancto nomine habitum sacrae religionis imponimus: ut te largiente et devoti in ecclesia tua persistere et vitam percipere mereantur aeternam. Per[5]).

Tum P. sedet et accipiens in manum superpelliceum dicit singulis: Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis[6]).

Et mox imponit illud cuilibet repetendo: Induat etc. immittens usque ad scapulas, et immediate trahens, si unum sit tantum superpelliceum; sicque facit usque ad ultimum, qui eo totaliter induitur; si vero quisque suum superpelliceum habeat, singuli totaliter induuntur. Quo expedito, surgit P. et versus ad illos dicit: Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, propitiare pec-

---

1) Occurrit Collecta in Cod. S. Eligii ac Rotomagensi. 2) Legitur eadem Antiphona in Codice S. Eligii. 3) Habet orationem Cod. S. Eligii. 4) Reperitur Antiphona in utroque Codice. 5) Exstat in Cod. S. Eligii et Rotomagensi. 6) Mos induendi sollemniter novo clerico superpelliceum saeculo duodecimo vel decimo tertio invaluisse videtur.

catis nostris et ab omni servitute saecularis habitus hos famulos tuos emunda: ut, dum ignominiam saecularis habitus deponunt, tua semper in aevum gratia perfruantur: ut sicut similitudinem coronae tuae eos gestare facimus in capitibus, sic tua virtute haereditatem subsequi mereantur aeternam in cordibus. Qui cum Patre etc.[1]).

Deinde sedet P. et alloquitur eos sub his verbis: Filii carissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro ecclesiae facti estis et privilegia clericalia sortiti estis: cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis et habitu honesto bonisque moribus Deo placere studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum Sanctum suum. ℟. Amen[2]).

De Ordinatione Ostiariorum.

Prosequitur P. Missam pontificalem: Cantata prima Collecta et prima Lectione, sedet iterum in faldistorio. A. vocat Ordinandos, dicens: Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum. Vocantur et respondent ut Tonsurandi p. 223.

Omnibus in superpelliceis cum candelis in manibus coram pontifice genuflexis, P. admonet illos dicens: Suscepturi, filii carissimi, officium Ostia-

1) Minus placet haec Collecta propter saecularis vitae contemptum atque contumaciam illatam laicis. Antiquissima sedes Orationis est Codex saec. X. apud Morinum.

2) Binterim Denkw. I, 1. p. 277: „In Deutschland scheint eine Handauflegung üblich gewesen zu sein, indem eine Synode von Trier 1310 befiehlt, dass keiner die Tonsur tragen soll, bevor ihm die Händeauflegung und der sacramentalische Segen sei ertheilt worden. Das Sacramentarium Gallicanum (Mabillon-Museum Ital. I, p. 389) führt eine solche Benediction an, worin auch die Rede von einer Salbung vorkommt.“ Respicit Vir Doctus ad verba — — manda Deus benedictionem et vitam famulo tuo, ut unguentum, quod descendit in capite et in barbam illius Aaron, toto maneat et in corpore. At vero cum in ipso psalmo unguentum metaphorice usurpatum sit, bene in hac oratione quoque potest designare benedictionem episcopalem, qua quasi irrigantur et imbuuntur Ordinandi. Optimus sententiae nostrae vindex est Codex S. Victoris saec. XII. apud Morinum. „Dum tondes eum dicas Antiphonam: Sicut ros Hermon, qui descendit in Sion, sic descendat super te benedictio Dei. Et infra — — effunde super eum benedictionem tuam, ut in caput barbamque eius transeat sicut unguentum, quod descendit in barbam Aaron. — Apud antiquos novo clerico tondebatur praeter capillos capitis barba quoque: vide in plurimis libris Orationes ad barbam tondendam vel post rasam barbam e. g. in Codice Rotomagensi: Deus, qui ecclesiam tuam novo semper foetu multiplicas, concede famulo tuo N., qui divini timoris et amoris instinctu exteriora pubertatis abscidit, ut tuorum omnium Sanctorum intervenientibus meritis, carnis petulantiam non solum verbotenus, sed intima cordis conscientia perseverans conversatione, te eum ubique praecedente et subsequente, calcare et contemnere, vitam mereatur aeternam.

riorum, videte quae in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam, aperire ecclesiam, et sacrarium et librum aperire ei, qui praedicat. Providete igitur, ne per negligentiam vestram illarum rerum, quae intra ecclesiam sunt, aliquid depereat; certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus et semper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut sicut materialibus clavibus ecclesiam visibilem aperitis et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium dictis et exemplis vestris claudatis diabolo et aperiatis Deo: ut divina verba, quae audierint corde retineant et opere compleant. Quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam[1].

Deinde P. accipit et tradit omnibus claves ecclesiae, quas successive manu dextra singuli teneant, Pontifice dicente: Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.

Post haec A. ducit eos ad ostium ecclesiae et facit illos claudere et aperire; tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulsare[2]. Deinde illos reducit ad Pontificem, quibus coram Pontifice genua flectentibus, P. stans versus ad ipsos Ordinandos dicit: Deum Patrem omnipotentem **etc. ut p. 210.**

Tum stans P. et conversus ad altare dicit: Oremus. **Et ministri subiungunt.** Flectamus genua. ℟. Levate. **Et statim versus ad illos genuflexos dicit:** Domine sancte, Pater omnipotens **etc. ut pag. 211[3].**

De Ordinatione Lectorum.

Recitata secunda Lectione p. 222 Lectores vocantur per Archidiaconum: Accedant qui ordinandi sunt ad officium Lectorum. **Et mox nominantur per Notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, P. admonet eos dicens:**

Electi filii carissimi, ut sitis Lectores in domo Dei nostri, officium vestrum agnoscite et implete. Potens est enim Deus, ut

---

1) Antiqui libri breviori utuntur formula: Ostiarium oportet percutere cymbalum et aperire ecclesiam et sacrarium et librum ei, qui praedicat.

2) Binterim a. a. O. p. 310: „In dem Pontificalbuche der Kirche zu Soissons ist bei der Ordination eines O. die Aufschrift: dicenda super eorum capita: hieraus will Martene auf den Gebrauch der Händeauflegung schliessen. Allein diese Worte beziehen sich nach meiner Ansicht auf die Stellung des Ordinandi, der bei der von dem Bischof zu sprechenden Präfation und Benediction kniete und sein Haupt neigte".

3) In Codice Ratoldi haec leguntur: Et ducat eos A. ad ostium ecclesiae et dicat: Per hoc ostium traditur vobis ministerium, ut sitis ianitores templi Dei habeatisque potestatem recipiendi bonos et recipiendi indignos. Nickel, Das Römische Pontifical I. p. 70: „Die Sitte den Weihcandidaten das Glockenspiel ziehen zu lassen ist jüngeren Ursprungs. Sie reicht nicht über 600 Jahre hinauf.

augeat vobis gratiam perfectionis aeternae. Lectorem siquidem oportet legere ei, qui praedicat et Lectiones cantare et benedicere panem et omnes fructus novos[1]). Studete igitur verba Dei, videlicet lectiones sacras distincte et aperte ad intelligentiam et aedificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre, ne veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpat. Quod autem ore legistis, corde credatis atque opere compleatis, quatenus auditores vestros verbo pariter et exemplo vestro docere possitis. Ideoque dum legitis, in alto loco ecclesiae stetis, ut ab omnibus audiamini et videamini figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debetis conversari: quatenus cunctis a quibus audimini et videmini, coelestis vitae formam praebeatis. Quod in vobis Deus impleat per gratiam suam.

Deinde P. accipit et tradit omnibus Codicem, de quo lecturi sunt, quem manu dextra tangant, dicens: Accipite ut pag. 210.

Quibus expeditis et illis genuflexis P. stans versus eos dicit: Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos in Ordinem Lectorum dignatur assumere bene ✠ dictionem suam clementer effundat, quatenus distincte legant, quae in ecclesia Dei legenda sunt et eadem operibus impleant. Per.

Tum P. stans conversus ad altare dicit: Oremus et ministri subiungunt Flectamus genua. ℟. Levate.

Deinde conversus ad ordinatos genuflexos dicit: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Lectorum, ut assiduitate lectionum instructi sint atque ordinati et agenda dicant et dicta opere compleant, ut in utroque sanctae ecclesiae exemplo sanctitatis suae consulant. Per[2]).

---

1) Binterim l. c. p. 287. allata formula exhortatoria breviori eademque antiquiori: „Lectorem oportet legere ei, qui praedicat et lectiones cantare et benedicere panem et omnes fructus novos“ mirum quid addit in margine: „Nach dieser Rede des Bischofs sollte man glauben, in Deutschland und Frankreich hätten die Lectores das Brod und die neuen Früchte gesegnet; gemäss den apostolischen Constitutionen 2, 7 that dies der Diakon.“ Non enim video, cur hoc Lectorum privilegium Germaniae Galliaeque finibus contineri velit, cum ipse Romanus ordo benedictiones illas commemoret. Sane vero ex illo tempore, quo minores ordines cum maioribus conferri coeperunt, illud benedicendi munus ad Sacerdotes delatum est.

2) Apud vetustos occurrunt collectae, supra scriptis simillimae: tamen cum non ad apicem conveniant, satius visum est exscribere orationes Pontificalis Romani. Propria quaedam habet Codex Ratoldi: Lectores cum ordinantur faciat de illis verbum Episcopus ad plebem, indicans eorum fidem et vitam atque ingenium. Posthaec spectante plebe tradat eis Codicem Esaiae prophetae. Allocutio ad plebem in Lectore

De Ordinatione Exorcistarum.

Post Lectionem tertiam vocantur Exorcistae per Archidiaconum more consueto dicentem: Accedant qui ordinandi sunt ad officium Exorcistarum. Et ipsi singulatim nominantur per Notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis P. admonet eos dicens:

Ordinandi, filii carissimi, in officium Exorcistarum, debetis noscere, quod suscipitis. Exorcistam etenim oportet abiicere daemones et dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; et aquam in ministerio fundere. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos et per impositionem manuum vestrarum, gratia Spiritus Sancti et verbis exorcismi pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessis. Studete igitur, ut sicut a corporibus aliorum daemones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam eiiciatis: ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui iuris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis daemonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superatis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum suum Sanctum[1]).

Post haec P. accipit et tradit omnibus librum, in quo scripti sunt Exorcismi, cuius loco tradi potest Pontificale vel Missale, quem manu dextra tangunt, Pontifice dicente: Accipite etc. ut pag. 210.

Postea vero, omnibus devote genuflexis, dicit: Deum Patrem omnipotentem etc. ut p. 210.

Tunc conversus ad altare dicit: Oremus. Et subiungunt ministri Flectamus genua. ℟. Levate. Et mox conversus ad ordinatos genuflexos dicit: Domine sancte Pater etc. ut p. 211.

---

ordinando commemoratur praeterea in Codice Thuano saec. IX. in Pontificali Apamiensi apud Martenium in Cod. Remensi aliisque.

1) Brevior exhortatio apud antiquos: Exorcistam oportet abiicere daemones et dicere populo, qui non communicat, ut det locum et aquam in ministerio debet effundere. Clausen Kirchenverfassung u. Lehre des Kathol. u. Prot. I. p. 104: „Seltsam, diese Verrichtung als eine eigne von den übrigen abzusondern, und noch seltsamer, diejenigen, die im Besitze einer Gnadengabe sein sollen, welche im neuen Test. unter die vorzüglichsten gerechnet wird, unter die geringsten Geistlichen zu zählen." At vero vetus ecclesia principem tenebrarum, qui crucis signum uti canis baculum timebat, non tanti faciebat, ut in ipso depellendo multis ambagibus uti duxerit necessarium. Quod vero ad sacram scripturam, magni ponderis est locus Lucae X, 20. Superiorum

De Ordinatione Acolythorum.

Recitata Lectione quarta, Acolythi vocantur per Archidiaconum: Accedant qui ordinandi sunt ad officium Acolythorum. **Et mox nominantur per Notarium ut supra. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis P. admonet eos dicens:**

Suscepturi, filii carissimi, officium Acolythorum, pensate, quod suscipitis. Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre, luminaria ecclesiae accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare. Studete igitur susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis, si lumen Deo manibus praeferentes, operibus tenebrarum inserviatis et per hoc aliis exempla perfidiae praebeatis. Sed sicut veritas dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. Et sicut Apostolus Paulus ait: In medio nationis pravae et perversae lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes. Sint ergo lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abiiciatis opera tenebrarum et induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Quae sit vero ista lux, quam tantopere inculcat Apostolus, ipse demonstrat subdens: Fructus enim lucis est in omni bonitate, et iustitia et veritate. Estote igitur solliciti in omni iustitia, bonitate et veritate, ut et vos et alios et Dei ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam et bona opera oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam[1]).

Post haec P. accipit et tradit omnibus candelabrum cum candela exstincta, quod successive manu dextra singuli tangant, Pontifice dicente: Accipite ceroferarium cum cereo et sciatis vos ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari. ℟. Amen.[2]).

Tunc accipit et tradit eis urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus: Accipite urceolum ad suggerendum

---

Ordinum erat curare, ut nomina fidelium scripta inveniantur in coelis: inferiorum, subiicere atque effugare malignos spiritus.

1) Exhortationis epitomen dant, ut solent veteres: Acolythum oportet ceroferarium ferre et luminaria accendere et aquam ad Eucharistiam ministrare.

2) Ita in Pontificali Apamiensi et Moguntino saec. XIII. Apud alios: Accipite hoc gestatorium luminis, ut per illud valeatis adversariorum tenebras effugare et verissimum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, fideliter invenire.

vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini. ℟. Amen[1]).

Postea eis genuflexis permanentibus, P. stans versus ad eos dicit:

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene ✝ dicere dignetur in ordine Acolythorum: quatenus lumen visibile manibus praeferentes lumen quoque spiritale moribus praebeant: adiuvante Domino nostro I. C. qui cum eo etc.

Tum P. ad altare se convertens stans dicat Oremus. Et subiungunt ministri Flectamus genua. ℟. Levate. Et mox P. conversus ad eosdem genuflexos dicit:

Domine sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, qui per Iesum Christum filium tuum, Dominum nostrum, et per Apostolos eius in hunc mundum lumen tuae claritatis misisti, quique ut mortis nostrae antiquum aboleres chirographum, gloriosissimae illum crucis vexillo affigi, ac sanguinem et aquam ex latere illius pro salute generis humani effluere voluisti, bene ✝ dicere dignare hos famulos tuos in Officium Acolythorum, ut ad accendendum lumen ecclesiae tuae et ad suggerendum vinum et aquam ad conficiendum sanguinem Christi filii tui in offerenda Eucharistia, sanctis altaribus tuis fideliter subministrent. Accende Domine mentes eorum et corda ad amorem gratiae tuae, ut illuminati vultu splendoris tui fideliter tibi in sancta ecclesia deserviant. Per.

Oremus. Domine sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, qui ad Moysen et Aaron locutus es, ut accenderentur lucernae in tabernaculo testimonii, bene ✝ dicere dignare hos famulos tuos, ut sint Acolythi in ecclesia tua. Per.

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, fons lucis et origo bonitatis, qui per Iesum Christum filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti eiusque passionis mysterio redemisti, bene ✝ dicere dignare hos famulos tuos, quos in officium Acolythorum consecramus, poscentes clementiam tuam, ut eorum mentes et lumine scientiae illustres et pietatis tuae rore irriges: ut ita acceptum ministerium te auxiliante peragant, qualiter ad aeternam remunerationem pervenire mereantur. Per eundem[2]).

---

1) Similia leguntur in Cod. Ratoldi „— — ad effundendum vinum“ — Prorsus conspirant cum Romano Apamienses ac Moguntini.

2) Nickel, Pontificale p. 90: „Die vier Gebete bei der Einweihung sind uralt, jedoch so, dass in einigen Kirchen bloss das zweite und vierte (Pontif. Egbert. Ebor. ann. 1000, Pontif. Gemmetic. ann. 1000) in andern das erste und dritte (Pontif. Noviom. ann. 900). gebetet wurden und man erst später alle vier Orationen in den Weiheact

De Ordinatione Subdiaconi.

Post Lectionem quintam A. ad Ordinandos versus dicit: Accedant qui Ordinandi sunt Subdiaconi. Et Notarius unumquemque illorum vocat, dicens: N. ad titulum Ecclesiae NN. ad titulum patrimonii sui. Frater N. ad titulum paupertatis.

Et sic de aliis et quilibet vocatus dicit Adsum et accedit versus Episcopum 1). Debet autem quilibet Ordinandorum in Subdiaconum indutus esse amictu non tamen super caput, alba et cingulo, habere manipulum in manu sinistra, tunicellam super brachio sinistro et candelam in manu dextra. Tum P. admonet eos (nisi omnes sint Religiosi, quia tunc ista admonitio omittitur) dicens: Filii dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatus ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad saecularia vota transire; quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari et castitatem, illo adiuvante servare oportebit atque in ecclesiae ministerio semper esse mancipatos. Proinde, dum tempus est cogitate, et si in

aufnahm. Pontif. ann. 700. Ob es auch Kirchen gab, in welchen schon früher alle vier Orationen gebetet wurden, oder ob überall zwei Orationen gebetet wurden, lässt sich nicht entscheiden. Wahrscheinlich ist das Letztere, da von den übrigen niederen Weihungen iede nur zwei Gebete enthält.“ Rarissima est in Codicibus tertia. Ritum prorsus singularem refert Ordo Romanus VIII (Mabillon Mus. Ital. II. p. 85): „Quomodo in sancta Romana ecclesia Acolythi ordinentur. Dum Missa celebrata fuerit, induunt clericum illum planetam et orarium. Dumque venerit Episcopus aut ipse domnus apostolicus ad communicandum, faciunt eum venire ad se et porrigit in ulnas eius sacculum super planetam: et prosternit se in terram cum ipso sacculo et dat ei orationem sic: intercedente beata et gloriosa semperque virgine Maria et b. Petro Apostolo salvet et custodiat et protegat te Dominus“. In his sacculis deferebant Acolythi sanctas hostias ad Sacerdotes, vel ad absentes atque aegrotos.

1) Nickel, Pontific. p. 100: Titulus heisst in der kirchlichen Sprache jenes Verhältniss, wodurch einem Kleriker der hinreichende und lebenslängliche Unterhalt gesichert ist. Man unterscheidet einen vierfachen Titel — beneficii, wenn der Geistliche mit einer zu seinem Unterhalte hinlänglichen Kirchenpfründe versehen ist — mensae, wenn von dem Bischofe, oder dem Landesfürsten, oder einer Commune, oder einer Privatperson für die zureichende und lebenslängliche Unterhaltung des Geistlichen gesorgt ist — paupertatis, wenn der Geweihte ein Ordensgeistlicher ist und also von einem Stifte oder Kloster lebenslänglich und zureichend versorgt wird — patrimonii, wenn Iemand so viel eignes Vermögen hat, dass er als Geistlicher hinlänglich und anständig davon leben kann. Die Weihe auf einen solchen Titel ist so alt als das Christenthum (?); doch verstand man in früheren Zeiten unter diesen Worten die Kirche, für welche der Geistliche geweiht wurde. — Nulla fit mentio de titulo in Ordinatione Diaconi et Presbyteri, quoniam non admittitur clericus ad Subdiaconatum, nisi constet de titulo.

sancto proposito perseverare placeat in nomine Domini huc accedite[1]).

Illis tunc accedentibus et coram Pontifice genuflexis, A. vocat ceteros Ordinandos dicens: Accedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri. Diaconandi parati sunt amictu, alba, cingulo et manipulo, stolam in manu sinistra, dalmaticam super brachium sinistrum et candelam in manu dextra tenent. Presbyterandi parati sunt amictu, alba, cingulo, manipulo, stola in modum Diaconi, planetam super brachium sinistrum, mappulam albam manu sinistra et candelam manu dextra tenent. Omnibus ante altare per Archidiaconum ordinatis, P. procumbit in faldistorium et omnes ordinandi in locis super tapetia prosternunt se: ministri vero et alii adstantes genuflectunt et recitatur Litania: Kyrie eleïson, Christe eleïson, Kyrie eleïson, Christe audi nos, Christe exaudi nos etc. etc.

Postquam autem dictum fuerit in Litaniis: Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris surgit P. ab accubitu et baculum pastoralem in sinistra manu tenens, ordinandis prostratis manentibus dicit: Ut hos electos bene ✝ dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Secundo dicit: Ut hos electos bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Tertio dicit: Ut hos electos bene ✝ dicere, sanctificare et consecrare digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Tum iterum super faldistorium procumbit, schola perficiente Litanias Ut nos exaudire digneris usque ad finem. Quibus finitis P. surgens, sedet super faldistorium ante medium altaris et dicit alta voce: Recedant in partem, qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri. Subdiaconandis coram Pontifice in modum coronae genuflexis, P. admonet eos dicens:

Adepturi, filii dilectissim, iofficium Subdiaconatus, sedulo attendite quale ministerium vobis tradatur. Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, Diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre. Oblationes quae veniunt etc. usque ad —

1) Huius admonitionis nullum exstat vestigium apud antiquos. Nickel l. c. p. 120: Die Kirche zwingt Niemand zur Annahme des geistlichen Standes; ia, sie fordert sogar iene, welche um Aufnahme in denselben bitten, laut und feierlich auf, ihren Entschluss weislich vor Gott zu überlegen. Noch ist der Kleriker frei, ehe er die Weihe des Subdiaconates empfangen hat; noch kann er in die Welt und zu ihren Aemtern zurücktreten, wie es ihm gefällt. Aber ist er einmal zum Dienste des Herrn eingeweiht, so ist er auf ewig gebunden. Nun tritt er auf ewig in den Dienst Gottes ein; er bleibt sein Leben lang Gottes Eigenthum. Gott dienen ist sein Amt. Eine erhabene Würde! Die Kirche zeichnet sie als eine „fürstliche Würde". Gott dienen nennt sie herrschen.

— in baptisterium debet vergi ut p. 212[1]). Studete itaque, ut ista visibilia ministeria, quae diximus, nitide et diligentissime compleatis, invisibilia horum exemplo perficiatis. Altare quidem sanctae ecclesiae ipse est Christus, teste Ioanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet stans ante thronum, in quo et per quem oblationes fidelium Deo consecrantur. Cuius altaris pallae et corporalia sunt membra Christi scilicet fideles Dei, quibus Dominus quasi vestimentis pretiosis circumdatur, ut ait Psalmista: Dominus regnavit, decorem indutus est. Beatus quoque Ioannes in apocalypsi vidit filium hominis praecinctum zona aurea, i. e. sanctorum caterva. Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari: praebenda est a vobis aqua coelestis doctrinae, qua purificati ad ornamentum altaris et cultum divini sacrificii redeant. Estote ergo tales, qui sacrificiis divinis et ecclesiae Dei h. e. corpori Christi digne servire valeatis, in vera et catholica fide fundati: quoniam, ut ait Apostolus: Omne quod non est ex fide peccatum est, schismaticum est et extra unitatem ecclesiae est. Et ideo si usque nunc fuistis tardi etc. ut pag. 212. Quod ipse vobis praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus etc.[2]).

Deinde P. accipit et tradit omnibus calicem vacuum cum patena vacua superposita, quem successive manu dextra singuli tangant, Pontifice dicente: Videte cuius ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis. Et A. accipit et tradit eis urceolos cum vino et aqua ac bacile cum manutergio, quae omnia similiter tangere debent[3]). Postea surgit P. et versus ad populum dicit: Oremus Deum ac Dominum nostrum etc. ut p. 211.

---

1) Nickel, Pontif. p. 122: Die äussern Verrichtungen z. B. die Palla und das Corporale zu waschen, mögen zwar Manchem allzukleinlich und eines so feierlichen Amtes nicht würdig genug zu sein scheinen. Allein die heilige Kirche, vom lebendigen Glauben an das h. Messopfer, und von tiefster Ehrfurcht gegen ihren Herrn und Gott im Altarsacramente erfüllt, findet in dergleichen Verrichtungen, welche mit demselben in Verbindung stehen, nichts Kleinliches, nichts Unwürdiges, im Gegentheil etwas Grosses, etwas Erhabenes. 1. Cor. 2, 14.

2) Haec prolixa exhortatio noviter introducta est. Veteres norunt breviorem Gelasii aliorumque librorum formulam, in hodierna etiam haud praetermissam. In Pontif. Moguntino saec. XIII. primum dicitur: Subdiaconum oportet praeparare aquam ad ministrationem altaris et ministrare Diacono. Sequitur porrectio calicis et patena. Interea chorus cantet: Fuerunt sine querela. Tunc dicit P.: Videte cuius ministerium etc.

3) Apud veteres non traduntur Subdiaconis urceoli tangendi: in porrigendis patena et calice propriam adhibent formulam: Accipe patenam et calicem salutaris ad offerendum Diacono ante altare Domini. In nomine etc.

Tum conversus ad altare P. dicit Oremus Et ministri Flectamus genua. ℟. Levate. Et mox P. versus ad Ordinandos genuflexos dicit: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus etc. ut pag. 217.

Tum P. sedens amictum, qui in collo Ordinandorum iacet imponit super caput singulis dicens: Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis. In nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti. ℟. Amen.

Tum immittit manipulum in sinistrum brachium cuilibet dicens: Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum. In nomine etc. ut supra.

Post haec induit quemlibet tunica, et si tantum unica sit, immittit illam cuilibet solum usque ad scapulas, ac retrahens postremum totaliter induit dicens cuilibet: Tunica iucunditatis et indumento laetitiae induat te Dominus. In nomine etc. ut supra[1]).

Postea accipit et tradit omnibus librum Epistolarum, manu dextra ipsum simul tangentibus dicens: Accipite librum Epistolarum et habete potestatem legendi eas in ecclesia sancta Dei tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine etc. ut supra[2]).

De Ordinatione Diaconi.

Subdiaconis ordinatis legitur in Missa pro ratione temporis Hymnus trium puerorum, vel Alleluia etc. Deinde cantat P. Orationem Missae una cum

---

1) Tacent antiquissimi libri, quae in amictu, tunica et manipulo induendis nunc praefatur Pontifex. Pontific. Apamiense saec. XII.: Tradat ei Episcopus manipulum et tunicam, si paratam habuerit dicens: In nomine etc. Pontif. Mogunt. saec. XIII.: Transeat per circuitum et manipulum ad manum sinistram cuiuslibet imponat dicens ad quemlibet sigillatim: In nomine etc. Accipe manipulum, ut supra. Interim chorus cantet: Regnum mundi. Postea dicat Episcopus: Investione horum manipulorum subnixe te, Domine, deprecamur, ut hi famuli tui sic operentur in temporali conversatione, quatenus exemplo piorum Patrum in futuro mereantur perenniter gaudere. Per. Hoc facto iterum circumeat et subtile collo cuiuslibet imponat dicens: Induat te Dominus vestimento salutis et indumento iustitiae circumdet te semper in nomine Domini. Interea Chorus cantet. ℟. Felix namque. Ultimus Subdiaconorum induatur subtili, qui postea legit Epistolam.

2) Binterim l. c. p. 329: Wann ihnen der Auftrag zugekommen, in der Messe die Epistel zu lesen, kann nicht ganz sicher ausgemittelt werden. —— In Frankreich und Spanien war dieser Gebrauch schon beim Anfange des 9ten Iahrh. allgemein eingeführt, welches auch von Deutschland Amalarius bezeugt (De offic. div. I, 11. Miror qua de re sumptus usus in ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissime legat lectionem ad Missam, cum hoc non reperiatur in ministerio sibi dato in consecratione commissum, neque ex litteris canonicis neque ex nomine suo). — Recte monet Micrologus c. 8, hoc non ex eorum consecratione, sed potius ex ecclesiastica consen-

oratione pro Ordinatis et Ordinandis. Per unum ex Subdiaconis noviter ordinatis recitatur Epistola. Qua finita surgit P. et accedit ad faldistorium et ibi sedet. A. clamat: Accedant qui ordinandi sunt ad Diaconatum. Et mox singulatim nominantur nulla tamen facta mentione de titulo. His in modum coronae coram Pontifice genuflexis, A. offerens illos Pontifici dicit:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater ecclesia catholica, ut hos praesentes Subdiaconos ad onus Diaconi ordinetis. P. interrogat dicens: Scis illos dignos esse? Respondet A.: Quantum humana fragilitas nosse sinit et scio et testificor ipsos dignos esse ad huius onus officii. Et P. dicit Deo gratias. Et tunc populo annuntiat: Auxiliante etc. — conditionis suae ut p. 215.

Et facta aliquali mora, P. convertens sermonem suum ad Ordinandos, admonet eos dicens: Provehendi, filii dilectissimi, ad Leviticum ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum ecclesiae ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare. Sane in veteri lege ex duodecim una tribus Levi electa est, quae speciali devotione tabernaculo Dei eiusque sacrificiis ritu perpetuo deserviret. Tantaque dignitas ipsi concessa est, quod nullus nisi ex eius stirpe ad divinum illum cultum atque officium ministraturus assurgeret: adeo ut grandi quodam privilegio haereditatis et tribus Domini esse mereretur et dici: quorum hodie, filii dilectissimi, et nomen et officium tenetis, quia in ministerium tabernaculi testimonii i. e. ecclesiae Dei eligimini in Levitico officio, quae semper in procinctu posita, incessabili pugnà contra inimicos dimicat, unde ait Apostolus: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Quam ecclesiam Dei, velut tabernaculum, portare et munire debetis ornatu sancto, praedicatu divino, exemplo perfecto. Levi quippe interpretatur additus sive assumptus. Et vos filii dilectissimi, qui ab haereditate paterna nomen accipitis, estote assumpti a carnalibus desideriis, a terrenis concupiscentiis, quae militant adversus animam, estote nitidi, mundi, puri, casti sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, ut digne addamini ad numerum ecclesiastici gradus, ut haereditas et tribus amabilis Domini esse mereamini. Et quia comministri et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura: Mundamini qui fertis vasa Domini. Cogitate beatum

---

sione meruisse obtinere. Utut est, quae nunc peraguntur in tradendo Epistolarum libro caerimoniae, ignorantur apud veteres.

Stephanum, merito praecipuae castitatis ab Apostolis ad officium istud electum. Curate, ut quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis ut de vobis dicatur: Beati pedes evangelizantium bona. Habete pedes vestros calceatos Sanctorum exemplis in praeparatione Evangelii pacis. Quod vobis Dominus concedat per gratiam suam. ℟. Amen[1]).

Dein P. sedens in faldistorio etc. intelligibili voce alloquitur clerum et populum dicens: Commune votum etc. ut p. 220.

Deinde surgens P. stans versus Ordinandos dicit alta voce legendo: Oremus fratres carissimi etc. ut p. 218.

Deinde extensis manibus ante pectus dicit Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus honorum dator, ordinumque distributor usque ad tu scrutator es cordium ut p. 217. Tu horum vitam coelesti poteris examinare iudicio quo semper praevales et admissa purgare et ea quae sunt agenda concedere.

Hic solus P. manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando et nullus alius, quia non ad Sacerdotium sed ad ministerium consecrantur, dicens singulis: Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo et tentationibus eius. In nomine Domini[2]).

Postea prosequitur in primo tono, extensam tenens manum dexteram, usque in finem Praefationis: Emitte in eos quaesumus etc. usque ad capere potiora mereantur p. 219.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo ita tamen quod a circumstantibus possit audiri Per eundem Dominum etc.

Post haec P. sedens cuilibet ordinando ante se genuflexo stolam imponit

---

1) Haec quoque Diaconorum exhortatio recentioris originis est. In Pontif. Mogunt. saec. XIII. breviter exponuntur officia Diaconi: Diaconum oportet Sacerdotibus assistere et ministrare ad altare et baptizare et in aliis sacramentis ecclesiae atque Evangelium aliamque scripturam novi testamenti pronuntiare et praedicare verbum Dei.

2) Binterim l. c. p. 342: Einige Neuere haben die Worte: Accipe etc. als eigentliche Ordinationsformel ansehen wollen, allein ausser dass diese Worte einer allgemeinen Bedeutung sind und auf den eigentlichen Diaconaldienst keinen Bezug haben, sind sie eines iüngeren Ursprungs. Vor 500 Iahren waren sie als Formel gar nicht bekannt; wenigstens findet man sie nicht in den älteren Pontificalien. — Tamen simillima formula legitur in Pontif. Moguntino saepius commemorato: Spiritus sanctus superveniat in te et virtus Altissimi sine peccato custodiat te in nomine Domini. Amen.

successive super humerum sinistrum, dicens: Accipe stolam ✝ candidam de manu Dei: adimple ministerium tuum, potens enim est Deus ut augeat tibi gratiam suam. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen[1]).

Post haec P. accipiens Dalmaticam induit ea quemlibet successive, dicens: Induat te Dominus indumento salutis et vestimento laetitiae et dalmatica iustitiae circumdet te semper. In nomine Domini. Amen[2]).

Postremo P. accipit et tradit omnibus librum Evangeliorum quem manu dextera tangunt, dicens: Accipe potestatem legendi Evangelium in ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini. Amen[3]).

Quo facto P. stans ad altare conversus dicit. Oremus. Et ministri Flectamus genua. Levate. Et vertens se ad ordinatos dicit: Exaudi preces etc. ut. p. 219. et Domine sancte, Pater fidei ut p. 220.

De Ordinatione Presbyteri.

Cantato Tractu vel Sequentia P. revertitur ante altare ubi sedet super faldistorium. Tum A. vocat ordinandos voce intelligibili dicens: Accedant, qui ordinandi sunt ad ordinem Presbyteratus. Et mox nominatim leguntur per notarium ut supra dictum est nulla tamen de titulo facta mentione. Tunc ad Pontificem accedunt et coram eo in modum coronae se disponunt.

---

1) Stolae Diaconis induendae mentio fit iam in Codice S. Eligii atque in primo Concilio Bracarensi. Variant orationes ac benedictiones apud antiquos.

2) Ignorant veteres quod hodie praecipit Pont. Romanum, Dalmaticam sollemni cum formula Diaconis esse tradendam. Primus huius ritus vestigium cernitur, nisi fallor, in Pontific. Apamiensi: „Hic tradatur ei Dalmatica et induatur.“ Sed desunt orationes interim dicendae. Fusius Pont. Moguntinum hanc caerimoniam describit: Post hoc iterum circumeat et dalmaticam collo cuiuslibet imponat, ad quemlibet singillatim dicens: Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis in nomine Domini. Amen. Induat te Dominus vestimento salutis et indumento iustitiae circumdabit te.

3) Binterim l. c. p. 343: „Der Bischof Stephanus von Autun, welchen die Bibl. pp. Colon. Tom X in das 10te Iahrh. setzt, meldet die Darreichung des Evangelienbuches im 8. Kapitel de Sacr. altaris fol. 414. Andere setzen ihn aber in das 12te Iahrhundert.“ Praetermisit Vir Doctus Codicem Morini Rotomagensem (Anglicanum) saec. VIII „Postea tradet ei Episcopus sanctum Evangelium dicens: Accipe istud volumen sancti Evangelii, lege et intellige, et aliis trade et opere imple.“ Fortasse hic ritus ex ecclesia Anglicana ad alias permigravit. In Codice Bellovacensi saec. XI. finitur ritus Ordinationis Diaconi, stola tradita: sed adnotatum est in extrema margine alia manu et charactere post haec omnia: „Tunc porrigit Episcopus eis textum Evangelii dicens: Accipite licentiam legendi Evangelium in ecclesia Dei.“ Codex S. Victoris saec. XII hodiernam tenet formulam.

Tunc A. praesentat ordinandos Pontifici dicens: Reverendissime pater et quae sequuntur ut p. 235.

Et annuntiat P. clero et populo dicens: Quoniam, fatres carissimi, rectori navis et navigio deferendis eadem est, vel securitatis ratio vel communis timoris: par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Neque enim frustra a patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus: quia de vita et conversatione praesentandi, quod nonnumquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis et necesse est, ut facilius ei qui obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum praebuerit ordinando. Horum siquidem Diaconorum in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum conversatio (quantum mihi videtur) probata et Deo placita existit et digna (ut arbitror) ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse vel paucos aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis et his testimonium sacerdotii magis pro merito quam affectione aliqua tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat et dicat. Veruntamen memor sit conditionis suae.

Postea P. facta aliqua mora convertens sermonem suum ad ordinandos admonet eos dicens: Consecrandi, filii dilectissimi, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere ac susceptum laudabiliter exequi studeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est ac providendum, ut coelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendent. Unde Dominus praecipiens Moysi, ut LXX viros de universo Israel in adiutorium suum eligeret, quibus Spiritus Sancti dona divideret suggessit: quos tu nosti quod senes populi sunt. Vos siquidem in LXX viris et senibus signati estis: si per Spiritum septiformem, Decalogum legis custodientes probi et maturi in scientia similiter et opere eritis. Sub eodem quoque mysterio et eadem figura in novo testamento Dominus septuaginta duos elegit, ac binos ante se in praedicationem misit: ut doceret verbo simul et facto, ministros ecclesiae suae fide et opere debere esse perfectos, seu geminae dilectionis Dei scilicet et proximi virtute fundatos. Tales itaque esse studeatis ut in adiutorium Moysi et duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysen et Apostolos figurantur, digne per gratiam Dei eligi valeatis.

Hoc certe mira varietate ecclesia sancta circumdatur, ornatur et regitur; cum alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis Sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi, diversorum ordinum viri consecrantur, et ex multis et aeternae dignitatis membris unum corpus Christi efficitur. Itaque, filii dilectissimi, quos ad nostrum adiutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris castae et sanctae vitae integritatem. Agnoscite quod agitis. Imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei. Sit odor vitae vestrae delectamentum ecclesiae Christi, ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum id est familiam Dei, quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari a Domino sed remunerari potius mereamur. Quod ipse nobis concedat. Per gratiam suam. Amen.

Post haec surgunt omnes et ordinandis coram Pontifice binis et binis successive genuflectentibus, P. stans ante faldistorium suum, nulla oratione, nullo cantu praemissis, imponit simul utramque manum super caput cuiuslibet ordinandi successive nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes sacerdotes qui adsunt, quorum tres aut plures planetis vel saltem cum stolis parati si commode fieri potest, esse deberent. Quo facto tam P. quam sacerdotes tenent manus dexteras expansas super illos. Et P. dicit Oremus fratres carissimi etc. ut p. 216. Tum P. conversus ad altare dicit Oremus. Et ministri. Flectamus genua. Levate. Et mox conversus ad ordinandos dicit: Exaudi nos quaesumus etc. ut p. 216.

Tum extensis manibus ante pectus dicit: Per omnia saeculorum etc. ut p. 236. Vere dignum et iustum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens aeterne Deus, honorum auctor et distributor omnium dignitatum etc. usque ad praemia consequantur ut p. 217. Quod sequitur legat submissa voce, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit: Per eundem etc.

P. sedet et reflectit Orarium sive stolam ab humero sinistro cuiuslibet, capiens partem quae retro pendet et imponens super dexterum humerum, aptat eam ante pectus in modum crucis singulis dicens: Accipe iugum Domini, iugum enim eius suave est et onus eius leve[1]).

Postea imponit cuilibet successive casulam usque ad scapulas, quam quilibet teneant super humeros complicatam a parte anteriori deorsum dependen-

1) Primo legitur formula in Cod. saec. X, postmodum frequentissime occurrit, in minutioribus aliquantulum immutata e. g. Accipe iugum Domini Dei dicentis: Iugum meum suave est et onus meum leve.

tem singulis dicens: Accipe vestem sacerdotalem per quam caritas intelligitur: potens est enim Deus ut augeat tibi caritatem et opus perfectum. Deo gratias[1]).

Surgit P. et omnibus genuflectentibus dicit: Deus sanctificationum auctor usque ad Spiritu Sancto pleni resurgant ut p. 218.

Tunc P. ad altare conversus flexis genibus incipit alta voce schola prosequente hymnum: Veni creator spiritus etc. Dicto primo versu surgit P. et sedet in faldistorio: singuli ordinandi coram eo genua flectunt et P. cum oleo Catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul iunctas in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intinctas duas lineas, videlicet a pollice dextrae manus usque ad indicem sinistrae et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae, ungendo mox totaliter palmas, dicens dum quemlibet inungit: Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram ✝ benedictionem. ℟. Amen. P. producit manu dextera signum crucis super manus illius quem ordinat et prosequitur: Ut quaecumque benedixerint benedicantur, quaecumque consecraverint consecrentur et sanctificentur, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Et quilibet ordinandus respondet: Amen[2]).

Tum P. claudit seu iungit manus cuilibet successive, quas sic consecratas aliquis ministrorum albo panniculo lineo simul videlicet dexteram super sinistram alligat. Omnium manibus unctis et consecratis P. tradit cuilibet successive Calicem cum vino et aqua et Patenam superpositam cum hostia et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos et cuppam Calicis et Patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis. ℟. Amen[3]).

---

1) Iam Codex Eligii novit sollennem casulae traditionem tenetque formulum quae legitur infra: Benedictio Patris et Filii etc. Similiter in aliis membranis: aliae alias exhibent benedictiones: — Benedictio etc. et hac sacerdotali vesti indutus protectus et munitus esse valeas ab omnibus impugnationibus malignorum spirituum et sis benedictus et offeras hostias placabiles etc. — Stola innocentiae induat te Dominus. — Veste nuptiali induat te Dominus. — Quae hodie in usu est formula primum vidi in Codice saec. XII.

2) Binterim l. c. p. 485: „Nach einigen Ritualen wurde bei dieser Salbung Chrisam, oder Oel mit Chrisam, nach den neuesten Vorschriften wird aber das Oleum catechumenorum gebraucht. In der lateinischen Kirche werden nur die beiden Hände, in England und in einigen französischen Kirchen wurde auch das Haupt gesalbt.“

3) Erant inter theologos Romanae ecclesiae, qui materiam Presbyteratus in traditione instrumentorum constituerent, primo ut videtur apud Gallos usitata. Demonstrabant alii invictis argumentis Ordinationem ad manuum impositionem impleri et ad eandem Spiritus Sancti gratiam conferri. Cf. Menardum ad. Sacr. Gregor. Opp. S. Gregorii III. p. 506 sq.

His peractis persequitur P. Missam, in qua unus ex Diaconis noviter ordinatis recitat Evangelium. Interea dum Offertorium cantatur vel etiam prius, ordinati Sacerdotes poterunt lavare manus suas cum medulla panis et aqua bene mundare atque extergere mappulis illis, quibus ligatae erant et aqua ablutionis proiiciatur in sacrarium. P. vero, Offertorio lecto vadit ad faldistorium in medio altaris et ibi sedens accipit Offertorium ab omnibus Ordinandis qui omnes accedunt bini, et bini ad Pontificem coram quo genuflexi offerunt illi singulas candelas accensas et osculantur eius manum, primo Presbyteri, tum Diaconi successive et alii suo ordine.

Presbyteri vero ordinati, post Pontificem vel hinc et inde ubi magis commodum erit in terra genuflexi, habeant libros coram se, dicentes Suscipe sancte Pater p. 68 et omnia alia de Missa prout dicit P. qui tamen bene advertat, quod secretas morose dicat et aliquantulum alte ita ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere et praesertim verba consecrationis, quae dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem [1]. Cum P. dixerit orationem Domine Iesu Christe qui p. 100 dat primo et singulis ordinatis cuiuslibet ordinis sacri ad eum successive accedenti et altare prius ad dexteram Pontificis deosculanti pacem, dicens Pax tecum. Cui ille respondet Et cum spiritu tuo. Et quilibet illorum dat sequenti sui ordinis secum ordinato et ille alteri et sic usque ad ultimum continuatur.

Postquam vero P. se communicaverit, communicantur Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi more consueto p. 104 [2]. Quilibet priusquam communionem sumat, manum Pontificis, hostiam tenentem osculatur. Presbyteri ante communionem non dicunt Confessionem nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici.

Omnibus communicatis, P. stans in cornu Epistolae altaris, versus ad illud inchoat in cantu, schola prosequente Responsorium octavo tono quod a Septuagesima ad Pascha dicitur sine Alleluia.

Iam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia omnia cognovistis quae operatus sum in medio vestri. All. Accipite Spiritum Sanctum in vobis Paraclitum. Ille est quem Pater mittet vobis. All. Vos amici mei estis si feceritis quae ego praecipio vobis. Accipite etc. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Ille est quem etc.

Incepto Responsorio P. vertit se ad Presbyteros ordinatos, qui ante altare coram ipso stantes profitentur fidem, quam praedicaturi sunt, dicentes: Credo

1) Martene de antiq. rit. I, 8, 9: Olim Presbyteri in sua Ordinatione non concelebrabant Pontifici, licet alias id persaepe facerent, neque videtur hic usus in ecclesia annis ad summum 400 antiquior, sed neque postea ubique passim obtinuit. . Videtur proprius ecclesiae Romanae, a qua post Concilium Tridentinum aut paulo ante ad alias etiam transiit ecclesias.

2) Olim sanguinem quoque, Diacono ministrante, accepisse notum est.

in Deum, Patrem omnipotentem etc. Quo finito P. sedens super faldistorium ante medium altaris imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium dicens cuilibet: Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata remittentur eis et quorum retinueris retenta sunt.

Deinde explicans casulam quam unusquisque habet super humeros complicatam induit illa quemlibet, singulis dicens Stolam innocentiae induat te Dominus. Et mox unusquisque iterum ad Pontificem accedit et genuflexus ponit manus iunctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet, si suus est Ordinarius Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam? Et ille respondet Promitto. Si vero P. non est suus Ordinarius, cum manus eorum inter suas tenet, ut praefertur, dicit singulis Presbyteris saecularibus Promittis Pontifici Ordinario tuo etc. Singulis vero Regularibus Promittis Praelato ordinario tuo etc. Et ille respondet Promitto.

Tunc P. tenens manus illius inter suas osculatur unumquemque dicens: Pax Domini sit semper vobiscum. Et ille respondet: Amen. His expletis P. sedens admonet eos: Quia res quam tractaturi estis satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos, ut diligenter totius missae ordinem atque hostiae consecrationem ac fractionem et communionem ab aliis iam doctis Sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandum Missam accedatis.

P. surgit et Presbyteris coram eo adhuc genuflexis benedicit dicens voce competenti: Benedictio Dei omnipotentis Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti descendat super vos, ut sitis benedicti in ordine sacerdotali et offeratis placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor et gloria per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Post haec P. convertitur ad altare et prosequitur missam. Dicto Placeat tibi sancta etc. P. dat benedictionem solitam dicens: Sit nomen Domini benedictum etc. Tum sedet et alloquitur ordinatos his verbis: Filii dilectissimi, diligenter considerate ordinem per vos susceptum ac onus humeris vestris impositum: studete sancte et religiose vivere atque Deo omnipotenti placere, ut gratiam suam possitis adquirere quam ipse vobis per suam misericordiam concedere dignetur.

Singuli ad primam tonsuram vel ad quatuor minores ordines promoti dicite semel VII Psalmos poenitentiales cum litaniis, versiculis et orationibus. Ad Subdiaconatum vel Diaconatum Nocturnum talis diei[1]) Ad Presbyteratum vero ordinati post primam

1) Id est officium matutinum diei quo ordinati sunt.

vestram missam tres alias missas, videlicet unam de Spiritu Sancto, aliam de beata Maria semper virgine, tertiam pro fidelibus defunctis dicite et omnipotentem Deum etiam pro me rogate.

Quod illi devote suscipiunt et respondent se facturos. Tum legitur Evangelium S. Ioannis: In principio etc. ac finitur Missa.

De Consecratione Electi in Episcopum.

Statuta die Consecrationis, quae debet esse Dominica vel natalitium Apostolorum, vel etiam festiva si summus Pontifex hoc specialiter indulserit, et tam Consecrator quam Electus conveniens est ut praecedenti die ieiunent. In Ecclesia ubi fiet Consecratio ornantur duae capellae, maior pro Consecrante et minor pro Electo. Adsint duo ad minus Episcopi Assistentes [1]). Hora igitur competenti Consecrator, Electus, Assistentes Episcopi et alii qui Consecrationi interesse debent ad ecclesiam conveniunt, et Consecrator facta oratione ante altare ascendit ad sedem si sit in ecclesia sua, vel accedit ad faldistorium in capella sua, iuxta cornu Epistolae praeparatum et ibi de more paratur. Electus vero cum Assistentibus Episcopis vadit ad capellam suam et ibi capit paramenta opportuna, videlicet amictum, albam, cingulum, stolam in modum sacerdotis et pluviale. Assistentes etiam Episcopi interim sua paramenta capiunt. Omnibus itaque paratis, Consecrator accedit ante altare et ibi in medio sedet super faldistorium vertens renes altari. Electus vero ducitur sic paratus medius inter Assistentes sibi Episcopos paratos et cum ante Consecratorem pervenerit, nudato capite, illud profunde inclinando ei reverentiam facit. Tum sedent in sedibus suis ante Consecratorem hoc modo. Electus contra faciem Consecratoris, ita ut sit inter eos competens distantia. Antiquior Episcopus assistens ad dexteram Electi, iunior ad sinistram. Cum sic locati fuerint et aliquantulum quieverint, surgunt et Senior Assistentium versus ad Consecratorem dicit:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater ecclesia catholica, ut hunc praesentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis. Consecrator dicit: Habetis mandatum apostolicum? Respondetur: Habemus. Consecrator (C.) dicit: Legatur. Tum Notarius Consecratoris accipiens mandatum legit a principio ad finem. Mandato perlecto C. dicit: Deo gratias. Vel si Consecratio fiat vigore literarum Apostolicarum, per quas etiam iuramenti per Electum praestandi receptio Consecratori committitur, litteris ipsis lectis antequam C. aliud dicat, Electus (E.) de sede sua veniens coram Consecratore genuflectit et legit iuramentum de verbo ad verbum iuxta tenorem commissionis praedictae praestandum in hunc modum videlicet:

---

1) Iam in Constitut. Apostol. III, 20 praecipitur episcopum ordinari debere a tribus episcopis aut ad minimum a duobus. Tamen saepius concessum est a summo pontifice, ut loco duorum Episcoporum, qui Censecrationi interesse debent, sufficiantur duo Abbates duove alii habentes dignitates ecclesiasticas.

Ego N. Electus ecclesiae N. ab hac hora in antea fidelis et obèdiens ero b. Petro Apostolo sanctaeque Romanae ecclesiae et Domino nostro Domino N. Papae N. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu, vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione: aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur vel iniuriae aliquae inferantur, quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi crèdituri sunt, per se aut nuntios suos, seu litteras ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine contra omnem hominem. Legatum apostolicae sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Sanctae Romanae ecclesiae, Domini nostri Papae et successorum praedictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eandem Romanam ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personarum, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscunque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse et quanto citius potero significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes et provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos et rebelles eidem Domino nostro vel successoribus praedictis pro posse impugnabo. Vocatus ad synodum veniam nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis trienniis personaliter per me ipsum visitabo et Domino nostro ac successoribus praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio ac de rebus omnibus, ad meae ecclesiae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique quae meae fidei traditae sunt salutem quovis modo pertinentibus et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio mei capituli aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alium personatum habentem; aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum Sacerdotem, et clero deficiente omnino, per aliquem alium Presbyterum saecularem, vel regularem, spectatae probitatis et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento

docebo per legitimas probationes ad Sanctae Romanae ecclesiae Cardinalem Proponentem in Congregatione Sacri Concilii, per supradictum Nuntium transmittendas. — Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo; nec de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli, ecclesiae meae, inconsulto Romano pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo[1]).

C. in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri Electo versa ab eo praestationem huiusmodi iuramenti recipit, Electo adhuc coram eo genuflexo dicente: Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia. Et ipsum textum Evangeliorum ambabus manibus tangente, tum, non prius dicit C. Deo gratias[2]).

---

1) Vehementer in hoc iuramentum invehitur Clausen, Kirchenverf. u. Lehre des Kathol. u. s. w. I, p. 131. „Ein höchst charakteristisches Actenstück, das ohne weitere Erklärung spricht — — womit Gregor VII. im I. 1079 die christliche Welt überraschte. Die Grundzüge dieser Eidesformel kommen iedoch schon im 8ten u. 9ten Iahrh. vor. Vorzüglich merkwürdig ist der Eid, den Bonifacius, der Apostel Deutschlands, in die Hände Gregor II. ablegte. Von Verpflichtungen gegen Gott, Kirche u. Gemeine kommt in dieser Formel kein Wort vor, sondern das Ganze geht darauf aus, ein vollkommenes Vasallen-Verhältniss zu dem Papste als Lehnsherrn auszudrücken und einzuschärfen.“ Sane in his nonnulla iniquius sunt prolata: nam quae debet Ordinandus Deo, Ecclesiae, plebi, ipsi non illo iuramento, sed interrogationibus quae sequuntur inculcantur, nec facile quis desideret in hoc examine sanctam gravitatem et severitatem. Tamen et lubenter fateor mihi quoque multa displicere. Offendit totius formulae ingenium plus iusto Romanum, stomachum movent quae huic aetati videntur inepta, parum accommodota ac magis danda oblivioni quam iterum iterumque recoquenda. Bene convenit temporibus Gregorii atque Cencii, quae commemorantur de mala captione pontificum, de membrorum obtruncatione etc. minus pertinent ad nostrum saeculum. Porro non est Episcoporum haereticos pro posse persequi, sed haereses tantum. Forsitan non multum a nobis discrepat Binterimius l. c. I, 2, p. 268: „Vielleicht wird es eine Paradoxie scheinen, wenn ich sage: Der Parteigeist ist der erste Urheber der gegenwärtigen Disciplin. Naoh der Lehre des h. Hieronymus liegt in iedem Eide etwas, das vom Bösen kommt; der Eid der Bischöfe verleugnet seine Natur nicht.“

2) Sequitur in Pontificali accuratior expositio legis de visitandis per Episcopos apostolorum liminibus; nam quod antea piae fuerat consuetudinis, Sixti V Pontificis auctoritate lege adstrictum est. Ad hoc tempus singulorum trienniorum tenentur episcopi Italiae atque adiacentium provinciarum, quarto quovis anno Romam proficisci debent Germani, Galli, Hispani, Hungari, Poloni, Angli, Scoti etc., ad tempus singulorum quinquenniorum qui intra Europae fines sunt his regionibus remotiores, atque etiam Africani litoribus Italiae adversi atque insularum maris Oceani Septentrionalis et Occidentalis Europae, atque Africae citra continentiam novi orbis, tam qui nunc sunt quam qui ad Catholicam fidem per misericordiam Dei redibunt — ad tempus singulorum decenniorum Asiatici atque Americani etc. — Hanc

Deinde Electo et Assistentibus in locis suis sedentibus C. intelligibili voce legit sequentem examinationem. Assistentes vero Episcopi submissa voce dicunt, quaecumque dixerit C.

Antiqua sanctorum Patrum institutio docet et praecipit, ut is, qui ad Episcopatus ordinem eligitur, antea diligentissime examinetur cum omni caritate, de fide sanctae Trinitatis et interrogetur de diversis causis et moribus, quae huic regimini congruunt ac necessaria sunt retineri secundum Apostoli dictum: Manus nemini cito imposueris. Et ut etiam is qui ordinandus est erudiatur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in ecclesia Dei, et ut irreprehensibiles sint, qui ei manus ordinationis imponunt. Eadem itaque auctoritate et praecepto interrogamus te, dilectissime frater, caritate sincera, si omnem prudentiam tuam, quantum tua capax est natura, divinae scripturae sensibus accommodare volueris.

Tum C. aliquantulum assurgens detecto capite respondet: Ita ex toto corde volo in omnibus consentire et obedire. **Et hoc servabit ad omnes alias responsiones sequentes.**

Vis ea quae ex scripturis divinis intelligis, plebem cui ordinandus es et verbis docere et exemplis? ℟. Volo.

Vis traditiones orthodoxorum Patrum ac decretales sanctae et Apostolicae sedis constitutiones veneranter suscipere, docere ac servare? ℟. Volo.

Vis beato Petro Apostolo cui a Deo data et potestas ligandi ac solvendi eiusque Vicario Domino nostro Domino N. Papae N. suisque successoribus Romanis pontificibus fidem, subiectionem et obedientiam secundum canonicam auctoritatem per omnia exhibere? ℟. Volo.

Vis mores tuos ab omni malo temperare et quantum poteris, Deo adiuvante, ad omne bonum commutare? ℟. Volo.

Vis castitatem et sobrietatem cum Dei auxilio custodire et docere? ℟. Volo.

Vis semper in divinis esse negotiis mancipatus et a terrenis negotiis vel lucris turpibus alienus, quantum te humana fragilitas consenserit posse? ℟. Volo.

Vis humilitatem et patientiam in te ipso custodire et alios similiter docere? ℟. Volo.

Vis pauperibus et peregrinis omnibusque indigentibus esse propter nomen Domini affabilis et misericors? ℟. Volo.

---

legem Sixtinam minus diligenter teneri neminem fugit et sane haud scio, an tam crebra episcoporum absentia accidere possit sine gregum detrimento.

Tunc dicit ei C. Haec omnia et cetera bona tribuat tibi Dominus et custodiat te et corroboret in omni bonitate. Et respondent omnes: Amen.

Credis secundum intelligentiam et capacitatem sensus tui sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Santa Trinitate Deitatem, coessentialem, consubstantialem, coaeternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis, et maiestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia et in quo omnia, quae sunt in coelo et in terra,visibilia, corporalia et spiritualia? ℟. Assentio et ita credo.

Credis singulam quamque in sancta Trinitate personam unum Deum, verum, plenum et perfectum? ℟. Credo.

Credis ipsum filium Dei, verbum Dei aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, et coaequalem Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper virgine, cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, nec fantasmaticum, sed unicum et unum filium Dei in duabus et ex duabus naturis, sed in unius singularitate personae, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum vera carnis passione et sepultum ac tertio die resurgentem a mortuis vera carnis resurrectione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse ad coelum et sedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala? ℟. Assentio et ita per omnia credo.

Credis etiam Spiritum Sanctum plenum et perfectum verumque Deum, a Patre et Filio procedentem, coaequalem et coessentialem, coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio? ℟. Credo.

Credis hanc sanctam Trinitatem, non tres Deos sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem et incommutabilem? ℟. Credo.

Credis sanctam Catholicam et Apostolicam unam esse veram ecclesiam, in qua unum datur verum baptisma[1]) et vera omnium remissio peccatorum? ℟. Credo.

---

1) Ecclesia Romana baptismum qui perficitur in nomine SS. Trinitatis, etsi administratur ab Acatholicis, legitimum ac verum aestimat, qui absque peccato haud possit

Anathematizas etiam omnem haeresin extollentem se adversus hanc sanctam ecclesiam Catholicam? ℟. Anathematizo.

Credis etiam veram resurrectionem eiusdem carnis quam nunc gestas et vitam aeternam? ℟. Credo.

Credis etiam novi et veteris testamenti, legis et prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem? ℟. Credo.

Postea C. dicit: Haec tibi fides augeatur a Domino, ad veram et aeternam beatitudinem, dilectissime frater in Christo. Et respondent omnes: Amen.[1])

Expleto itaque examine Assistentes Episcopi ducunt Electum ad Consecratorem, coram quo genuflexus eius manum reverenter osculatur. Tunc C. facit Confessionem et procedit in missa officio diei convenienti usque ad Alleluia sive ultimum versum Tractus sive Sequentiae. Collectae diei adiungitur sub una conclusione alia pro Ordinando: Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, ut, quod humilitatis nostrae gerendum est ministerio, tuae virtutis impleatur effectu. Interim Episcopi Assistentes ducunt Electum ad capellam suam et ibi deposito pluviali, Acolythi induunt illum sandalia. Tum accipit crucem pectoralem et stola ei aptatur, ut ab humeris dependeat. Deinde tunicella, dalmatica, casula et manipulo induitur. Tunc accedit ad suum altare et stans medius inter Episcopos Assistentes legit officium Missae usque ad Alleluia sive ultimum versum Tractus vel Sequentiae. Finito Graduali, vel Tractu vel Sequentia C. accedit ad faldistorium ante medium altaris et ibi sedet. Assistentes vero Episcopi iterum ducunt Electum ad Consecratorem. Tum sedent omnes ut prius et C. versus ad Ordinandum dicit: Episcopum oportet iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare et confirmare. Deinde omnibus surgentibus C. dicit ad circumstantes: Oremus, fratres carissimi, ut huic Electo utilitati ecclesiae providens benignitas omnipotentis Dei gratiae suae tribuat largitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Et mox C. ante faldistorium suum et assistentes Episcopi ante sedes suas procumbunt: Electus vero se prosternit a sinistris Consecratoris: ministri etiam atque omnes alii genuflectunt. Recitatur Litania prout supra in Ordinatione Subdiaconi dictum est. Post versiculum: Ut omnibus fidelibus defun-

---

iterari. At vero cum supra scriptum sit unum verum esse baptisma nimirum in una vera et sancta ecclesia, tacite concedi videtur, ecclesiae Catholicae fines Romanae ecclesiae ambitum aliquantulum transgredi.

1) Conferas quae supra de huius examinis antiquitate exposuimus p. 212. Quae nunc in usu sunt interrogationes non attingunt quidem venerandam Carthaginiensis formulae aetatem, redolent tamen illa saecula, quibus necessarium videbatur, Arianorum, Gnosticorum, Manichaeorum deliramenta prae ceteris profligare atque damnare.

ctis etc. C., ab accubitu surgens, ad Electum conversus, baculum pastoralem cum sinistra tenens, dicit sub tono litaniarum primo: Ut hunc Electum bene † dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Secundo dicit: Ut hunc Electum bene † dicere et sancti † ficare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Tertio dicit: Ut hunc praesentem Electum bene † dicere, sancti † ficare et conse † crare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Producendo semper signum crucis super illum idemque faciunt et dicunt Episcopi Assistentes, genuflexi tamen permanentes. Deinde iterum procumbit C. et prosequitur Litanias usque ad finem [1]).

Quibus finitis surgunt omnes et Electus coram Consecratore genuflectit. Tum C. accepto libro Evangeliorum illum apertum, adiuvantibus Episcopis assistentibus, nihil dicens imponit super cervicem et scapulas Electi [2]) Deinde C. et Assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes: Accipe Spiritum Sanctum [3]). Quo facto C. dicit: Propitiare Domine supplicationibus nostris ut p. 213. Deinde extensis manibus ante pectus dicit: Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et iustum est.

---

1) Nickel, Pontific. p. 201: Es wird nun der ganze Himmel, die ganze triumphirende Kirche um ihre Fürbitte angerufen. Eine Ceremonie, die sich schon in den ältesten Weiheformularen vorfindet.

2) Binterim l. c. p. 331: „Wahrscheinlich ist diese Ceremonie beim Anfange des 4ten Iahrh. in Africa durch die Veranlassung des Schisma der Traditoren entstanden; wenigstens findet man die erste Spur in dem vierten Concilium von Carthago Can. I. wo sie als eine schon früher in der Kirche übliche erwähnt wird. Von dieser Zeit verbreitete sie sich in die übrigen Lande u. Provinzen.“ Apud Germanos hunc ritum saeculo octavo et nono novitatis speciem habuisse docet locus Amalarii de eccl. off. 2, 14: „Dicit libellus (fortasse Ordo Romanus illo tempore in Germaniam invectus) secundum cuius ordinem celebratur ordinatio apud quosdam ut duo episcopi teneant evangelium super caput eius, quod neque vetus auctoritas intimat, neque apostolica traditio neque canonica auctoritas. Similiter Alcuinus (Fragm. ad Carol. M. de rit. vet. eccl.) „Illud vero quod episcopi tenent codicem Evangeliorum super caput eius et uno fundente super eum benedictionem, reliqui qui adsunt episcopi manibus suis super caput eius tangunt, non reperitur in auctoritate veteri, neque nova sed neque in Romana traditione.“

3) In multis vetustis codicibus nullus est capitis contactus vel manuum impositio: nam cum in reliquis caerimoniis tum in his variant libri antiqui quae pertinent ad manuum impositionem et unctionem. Tamen non assequor mentem Binterimii, qui haud prorsus servata Concilii Tridentini reverentia (Sess. 23, Can. 4) neget, hac formula: Accipe etc. Spiritum Sanctum minus dari quam annuntiari: ipsum coeleste donum exhiberi verbis mox insequentibus. Non video quaenam verba aptiora et graviora esse possint quam illa, trium episcoporum ore prolata: Accipe Spiritum Sanctum.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens aeterne Deus, honorum omnium dignitatum quae gloriae tuae etc. usque ad unguenti rore sanctifica ut p. 217.

C. flexis genibus versus ad altare incipit, prosequentibus hymnum Veni creator spiritus et dicitur usque ad finem prout habetur supra in ordinatione Presbyteri. Finito primo versu C. pollicem suum dexterum intingit in sacrum Chrisma et caput Electi coram se genuflexi inungit, formans primo signum crucis per totam coronam, deinde reliquum coronae liniendo, interim dicens: Ungatur et consecretur caput tuum coelesti benedictione in ordine pontificali. Et producens manu dextera tertio signum crucis super caput Electi dicit: In nomine Pa✝tris et Fi✝lii et Spiri✝tus Sancti. ℟. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Expleta unctione, C. surgit et in pristina voce prosequitur: Hoc Domine copiose etc. usque ad tua gratia possit esse devotus ut p. 215. Deinde submissa voce dicit legendo, ita quod a circumstantibus audiri possit Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Post haec C. inchoat schola prosequente Antiphonam: Unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius: mandavit Dominus benedictionem in saeculum. Ecce quam bonum et iucundum fratres habitare in unum etc. Recitatur Psalmus 132 et deinde repetitur tota Antiphona Unguentum in capite etc.

Incepta Antiphona C. Electo ante ipsum genuflexo inungit ambas manus simul iunctas cum Chrismate in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero intincto duas lineas, videlicet a pollice dexterae manus usque ad indicem sinistrae et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae et mox inungit totaliter palmas Electi dicens: Ungantur manus istae de oleo sanctificato et Chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David regem et prophetam, ita ungantur et consecrentur. Et producens manu dextera ter signum crucis super manus Electi dicit: In nomine Dei ✝ Patris et Fi✝lii et Spiritus ✝ Sancti facientes imaginem sanctae crucis Salvatoris nostri Iesu Christi qui nos a morte redemit et ad regna coelorum perduxit. Exaudi nos pie, Pater omnipotens, aeterne Deus et praesta, ut quod te rogamus, exoremus. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.[1]

---

1) Antiquissimis temporibus unotio sacerdotalis suffecisse videtur neque iterata esse in Episcoporum consecratione. Neque aliud quid probant loci Leonis atque Gre-

Et prosequitur sedens: Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te ad Pontificatus sublimari voluit dignitatem, ipse te Chrismate et mysticae delibutionis liquore perfundat et spiritualis ✝ benedictionis ubertate fecundet: quidquid sanctificaveris sanctificetur et consecratae manus istius vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. ℟. Amen.

Tunc C. benedicit baculum pastoralem, si non sit benedictus, dicens: Oremus: Sustentator imbecillitatis humanae Deus, bene✝dic baculum istum et quod in eo exterius designatur, interius in moribus huius famuli tui tuae propitiationis clementia operetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Deinde illum aspergit aqua benedicta. Tum sedens, solus tradit illum consecrato coram genuflexo, capienti ipsum inter indices et medios digitos manibus non disiunctis, Consecratore dicente: Accipe baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis pie saeviens, iudicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens. ℟. Amen.[1])

Quo facto surgit C. et benedicit annulum si non sit prius benedictus, dicens: Oremus. Creator et conservator humani generis, dator gratiae spiritualis, largitor aeternae salutis, tu Domine emitte bene✝dictionem tuam super hunc annulum: ut quicumque hoc sacrosanctae fidei signo insignitus incesserit, in virtute coelestis defensionis ad aeternam vitam sibi proficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Tum aspergit ipsum annulum aqua benedicta, sedet et solus annulum in digitum annularem dexterae manus Consecrati immittit dicens: Accipe annulum fidei scilicet signaculum quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet ecclesiam, intemerata fide ornatus illibate custodias. R. Amen.[2])

---

gorii, ab Binterimio allati. Paullatim ritum hodiernum in ecclesia obtinuisse confirmatur praeterea librorum ritualium in hoc capite diversitate.

1) Benedictio ac porrectio Baculi iam in Codice Ratoldi commemorantur. Benedictio Baculi versibus hexametris composita est ita:

Tu baculus nostrae et rector per saecula vitae
Istum sanctifica pietatis iure bacillum
Quo mala sternantur, quo semper recta regantur.

Sequuntur duae formulae in porrigendo Baculo, quorum altera ad hodiernam proxime accedit.

2) Idem Codex Ratoldi mentionem facit annuli pastoralis (Concil. Tol. IV. c. 28. I. A. Schmidii Diss. de annulo pastorali, Helmst. 1705. 4.) Benedictio ad annulum Episcopi. Creator et conservator humani generis, dator gratiae spiritalis, largitor aeternae salutis: tu Domine permitte benedictionem tuam super hunc annulum, ut armata (armatus) virtute coelestis defensionis proficiat illis (illi) ad aeternam salutem. Per. Hic datur annulus digito. Accipe ergo annulum discretionis etc.

Tum C. accipit librum Evangeliorum de scapulis Consecrati et adiuvantibus ipsum Episcopis Assistentibus tradit eum clausum Consecrato, tangenti illum sine apertione manuum dicens: Accipe Evangelium et vade, praedica populo tibi commisso: potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam, qui vivit et regnat cum Deo Patre etc. Demum C. recipit Consecratum ad osculum pacis, similiter et Assistentes Episcopi singuli, dicentes ipsi Consecrato: Pax tibi. Et ipse respondet singulis: Et cum spiritu tuo.

Tum Consecratus, medius inter Assistentes Episcopos redit ad capellam suam, ubi abstergitur ei caput etc. Dein uterque et C. et Consecratus procedunt in Missa usque ad Offertorium inclusive.

Dicto Offertorio C. sedet in faldistorio ante medium altaris. Et Consecratus, veniens ex sua capella coram Consecratore genuflectit et illi offert duo intortitia accensa, duos panes et duo barilia vino plena et Consecratoris praedicta recipientis manum reverenter osculatur [1]).

Deinde C. et Consecratus in eodem altari maiori Missam prosequuntur. Secreta sequens dicitur cum Secreta Missae diei sub uno Per Dominum, per Consecratorem: Suscipe Domine munera, quae tibi offerimus pro hoc famulo tuo, ut propitius in eo tua dona custodias. Consecratus dicit: Suscipe Domine munera, quae tibi offerimus pro me famulo tuo, ut propitius in me tua dona custodias. Per.

Infra actionem dicit C. Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus, etiam pro hoc famulo tuo, quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, quaesumus Domine, ut placatus accipias et propitius in eo tua dona custodias: ut quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exequatur, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Consecratus dicit: Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus, etiam pro me famulo tuo, quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, quaesumus, Domine ut placatus accipias et propitius in me tua dona custo-

---

1) Nickel, Pontific. p. 216: Der Bedeutung nach ist dieses Opfer eine symbolische Darstellung, wie der Neugeweihte entschlossen ist, Iesu Christo seine geistige Kraft als Licht auf dem Leuchter der Welt dahin zu geben, sollte er sich auch hierüber, gleich einer Kerze, selbst verzehren müssen. Das Opfer des Brodes und Weines sinnbildet, dass die Bischöfe, den Aposteln gleich, ihren Untergebenen, besonders aber den Bedürftigen und Fremden eine väterliche Liebe, Gastfreundschaft und Freigebigkeit in geistigen und leiblichen Nöthen erweisen sollen.

dias: ut quod divino munere consecutus sum, divinis effectibus exequar, diesque nostros etc. ut supra.

Dicta oratione: Domine Iesu Christe Consecratus accedit ad dexteram Consecratoris et ambo osculantur altare tum C. dat pacem Consecrato dicens: Pax tecum. Cui respondet Consecratus Et cum spiritu tuo. Et dat eam Assistentibus suis, seniori primo, tum alteri.

Deinde postquam C. corpus Domini sumpserit, non totum sanguinem sumit, sed solum partem eius cum particula Hostiae in calicem missae. Et priusquam digitos abluat, communicat Consecratum ante se in eodem cornu capite inclinato stantem et non genuflectentem, prius de corpore, tum de sanguine, deinde purificat se, postea Consecratum. Tum abluit digitos super Calicem et sumit etiam ablutionem et lavat manus [1]).

Proceditur in missa. Postcommunio quae dici debet cum Postcommunione diei sub uno Per Dominum: Plenum quaesumus, Domine, in nobis remedium tuae miserationis operare: ac tales nos esse perfice propitius et sic foveri, ut tibi in omnibus placere valeamus. Per.

Deinde dicto Ite missa est vel Benedicamus Domino, prout tempus requirit, C. dicto in medio altaris Placeat etc. stans versus ad altare populo sollenniter benedicit. Data benedictione reponitur faldistorium ante medium altaris et C. in eo sedet. Consecratus vero parvum biretum in capite tenens, coram eo genuflectit. Tunc C. surgit et benedicit mitram, si non sit benedicta, dicens; Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens, cuius praeclara bonitas est et virtus immensa, a qua omne datum optimum et omne donum perfectum, totiusque decoris ornamentum, bene✝dicere et sanctificare dignare hanc mitram huius famuli tui Antistitis capiti imponendam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et mox eam aspergit aqua benedicta. Deinde sedens adiuvantibus ipsum Assistentibus Episcopis imponit eam capiti Consecrati dicens: Imponimus, Domine, capiti huius antistitis et agonistae tui galeam munitionis et salutis, quatenus decorata facie et armato capite, cornibus utriusque testamenti terribilis appareat adversariis veritatis: et te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat qui Moysi famuli tui faciem ex tui sermonis consortio decoratam lucidissimis tuae claritatis ac veritatis cornibus insignisti et capiti Aaron Pontificis tui tiaram imponi iussisti. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. [2])

---

1) Gerbertus Lit. Alem. II. 509, vetustorum librorum testimoniis nos edocet, aliquando moris fuisse, ut Consecrator Consecrato daret hostiam integram, hic vero, particula sumpta, ex reliqua parte per quadraginta dies vel triginta eucharistiam ut ita dicam celebraret perpetuam ac quotidianam.

2) Non ad nos pertinet disputare de mitrarum antiquitate, diversa forma etc. sed

Deinde si chirothecae non sint benedictae, surgit C. et eas benedicit dicens: Oremus. Omnipotens qui homini ad imaginem tuam condito, manus discretionis insignitas, tamquam organum intelligentiae ad recte operandum dedisti, quas servari mundas praecepisti, ut in eis omnia digna portarentur, et tua in eis digne consecrarentur mysteria bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare dignare manuum haec tegumenta: ut quicunque ministrorum tuorum, sacrorum Pontificum his velare manus suas cum humilitate voluerit, tam cordis quam operis ei munditiam tua misericordia subministret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Et aspergit eas aqua benedicta. Tunc extrahiturConsecrato annulus pontificalis, deinde sedet C. et adiuvantibus Episcopis Assistentibus imponit illas manibus Consecrati dicens: Circumda Domine manus huius ministri tui munditia novi hominis, qui de coelo descendit, quemadmodum Iacob dilectus tuus, pelliculis haedorum opertis manibus paternam benedictionem oblato patri cibo petuque gratissimo impetravit[1]): sic et iste oblata per manus suas hostia salutari gratiae tuae benedictionem impetrare mereatur. Per Dominum etc.[2])

Et statim imponit ei annulum pontificalem. Tum surgit C. et accipit Consecratum per manum dexteram et primus ex Assistentibus Episcopis per sinistram et intronizant eum, ponendo ipsum ad sedendum in faldistorio, de quo surrexit C.: vel si id fiat in ecclesia propria Consecrati, intronizant eum in sede Episcopali consueta et C. tradit ei baculum pastoralem in sinistra[3]).

Deinde versus ad altare C. stans incipit, ceteris usque ad finem prosequentibus hymnum. Te Deum Laudamus. Incepto hymno Consecratus ducitur ab Assistentibus Episcopis per ecclesiam et omnibus benedicit.[4]) Fi-

---

adnotare tantum, quod certum est, in vetustissimis libris nullum exstare ritus supra scripti vestigium.

1) Me non fugit quod legitur apud Chrysostomum: *τὸν πατέρα ἠπάτησεν ὁ Ἰακὼβ ἀλλ' οὐκ ἀπάτη, ἀλλ' οἰκονομία* — tamen, ut sententiam meam indicem, minus placet in bona et pulchra oratione haec manicarum episcopalium cum pellibus Iacobi comparatio.

2) Caerimonia ab omni vetustate accepta Const. App. 8, 5: *καὶ τῇ ἕωθεν ἐνθρονιζέσθω εἰς τὸν αὐτῷ διαφέροντα τόπον παρὰ τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων, πάντων αὐτὸν φιλησάντων τῷ ἐν Κυρίῳ φιλήματι.* Adde Fortunatum in vita S. Martini: Eligitur, trahitur, sacratur, i n a r c e locatur.

3) Ordo Romanus vetustus hanc orationem dicendam praescribit, quando Electus induitur manicis: „Immensam clementiam tuam rogamus omnipotens et piissime Deus, ut manus istius famuli tui fratris nostri, sicut exterius obducuntur manicis istis, sic interius aspergantur rore tuae benedictionis.“ In Missa Ratoldi manicae cum aliis Pontificalibus indumentis commemorantur. Et in Missa Illyrici exstat oratio ad induendas manus.

4) Eddius Stephanus Vita Wilfridi c. 12. Ibique statim conventio magna facta est

nito hymno, cum Consecratus reversus fuerit ad sedem suam, C. incipit, schola prosequente hanc Antiphonam: Firmetur manus tua et exaltetur dextera tua, iustitiae et iudicium praeparatio sedis tuae. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Et repetitur tota Antiphona, qua finita C. dicit: Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus: Deus, omnium fidelium pastor et rector, hunc famulum tuum, quem ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice: da ei quaesumus verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Consecratus surgit et accedens cum mitra et baculo pastorali ante medium altaris, versus ad illud, signans se cum pollice dexterae manus ante pectus dicit: Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum. Deinde faciens signum crucis a fronte ad pectus dicit: Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram. Tum elevans et iungens manus caput inclinans dicit: Benedicat vos omnipotens Deus — et cum dixerit Deus vertit se ad populum, tertio super eum signans benedicit dicens Pa ✝ ter et Fi ✝ lius et Spiritus ✝ Sanctus. ℟. Amen.[1])

Tum Consecratus accedit ad cornu Epistolae altaris et ibidem cum mitra et baculo genuflexus, versus ad Consecratorem dicit cantando: Ad multos annos. Deinde accedens ante medium altaris ut prius genuflexus dicit altius cantando: Ad multos annos. Postea accedit ad pedes Consecratoris ubi tertio genuflexus ut supra iterum altius cantando dicit: Ad multos annos. Tum C. recipit eum surgentem ad osculum pacis et similiter faciunt Assistentes Episcopi, qui Consecratum, cum mitra et baculo pastorali incedentem et Evangelium S. Ioannis; In principio erat verbum etc. recitantem, inter se

---

non minus quam duodecim Episcoporum catholicorum, e quibus unus erat Aegelberchtus Episcopus qui eum propter fidem suam indicatam gratanter et honorifice coram omni populo publice ordinaverunt, et in sella aurea sedentem more eorum sursum elevaverunt, portantes in manibus soli Episcopi intra oratoria, nullo alio attingente, hymnosque et cantica in choro cantantes. Nickel, Pontific. p. 220: Die Prozession ist theils ein Zeichen heiliger Freude, theils eine Aufforderung an die Gemeinde, den ihr feierlich vorgestellten Oberhirten als willige Heerde zu lieben, zu ehren und seiner väterlichen Leitung völlig und mit Friedenszuversicht sich zu übergeben.

1) Constit. Apost, 8, 5. ἀσπασάσθω ὁ χειροτονηθεὶς τὴν ἐκκλησίαν λέγων· ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ τοῦ πατρὸς καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος μετὰ πάντων ὑμῶν. καὶ πάντες ἀποκρινέσθωσαν: καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου.

medium ducentes, ad suam capellam revertuntur, ad se exuendum sacris vestibus et interim dicitur Antiphona Trium puerorum et Canticum: Benedictus etc. C. vero pacis osculo ut praemittitur Consecrato dato dicit submissa voce: Dominus vobiscum. Initium S. Evangelii secundum Ioannem. In principio erat verbum etc. Deinde apud sedem vel faldistorium deponit sacras vestes, interim etiam dicens Antiphonam Trium puerorum et Canticum Benedictus Consecratori et Assistentibus suis pro more gratias agit et vadunt in pace omnes.

CAPUT IV.

De Sacramento Matrimonii.

I. EX SACRAMENTARIO LEONIANO.

Incipit Velatio Nuptialis.[1])

Exaudi nos, omnipotens et misericors Deus[2]): ut quod nostro ministratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per.[3])

Suscipe Domine quaesumus pro sacra lege[4]) coniugii munus oblatum, et cuius creator[5]) es operis esto dispositor. Per.

---

1) Mos erat priscorum Romanorum caput nubentis flammeo obvolvere, qui cum civilis sit et non superstitiosus, facile traductus est ad Christianos. Hinc fluxit Christianis quoque nuptiis nomen Velationis, apud scriptores ecclesiasticos haud raro obvium. Tertull. de vel. virgin. 4.. tegantur virgines solae et hic nuptum venientes, nec antequam cognoverint sponsos.. atqui etiam velatae ad sponsum deducuntur. Ambrosius de virgin. 15. Utinam posses revocare nupturas, utinam posses flammeum nuptiale pro integritatis mutare velamine. Isidorus de eccl. offfc. 2, 19. Quod vero eaedem feminae dum maritantur, velantur, scilicet ut noverint per haec se viris esse subiectas,

2) Sacr. Gelas. Sacr. Greg. sancte Pater omnipotens aeterne Deus.

3) Antiquae institutionis est benedictio matrimonii in ecclesia, inter ipsa Missarum sollemnia facienda. Tertull. ad uxor. 2, 8. Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio et obsignat benedictio. Statut. eccl. ant. c. 13. sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offerantur. Epistola Soteris c. 5. ut sponsus et sponsa cum precibus et oblationibus benedicantur. Sacramentarium Leonis, cuius supra exscripsimus particulam, exhibet orationem missalem, Secretam ac Postcommunionem Missae, quae legebatur in sponsis benedicendis. finem facit sollemnis sponsi ac sponsae benedictio.

4) Greg. connubii lege. 5) Greg. largitor.

Hanc igitur oblationem famulae tuae[1]) (illius) quam tibi offerimus[2]) pro famula tua (illa) quaesumus Domine placatus adspicias.[3]) Pro qua maiestatem tuam supplices exoramus, ut sicut eam ad aetatem nuptiis congruentem pervenire tribuisti, sic[4]) consortio maritali tuo munere copulatam, desiderata sobole gaudere perficias[5]) atque ad optatam seriem cum suo coniuge provehas benignus amorem[6]). Per.

Quaesumus omnipotens Deus, instituta tuae providentiae pio favore comitare et quos legitima societate connectis, longaeva pace custodi[7]). Per.

Adesto Domine supplicationibus nostris, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: ut quod te auctore iungitur, te auxiliante servetur. Per.

Pater, mundi conditor, nascentium genitor, multiplicandae originis institutor, qui Adae comitem tuis manibus addidisti, cuius ex ossibus ossa crescentia parem formam admirabili diversitate signarent: hinc ad totius multitudinis incrementum, coniugalis tori iussa consortia, quo totum inter se saeculum colligarent, humani generis foedera nexuerunt. Sic enim tibi placitum necessario[8]), ut quia longe esset[9]) infirmius quod homini simile, quam quod[10]) tibi Deo feceras, additus fortiori sexus infirmior, unum efficeret[11]) ex duobus et pari pignore soboles mixta manaret: dum[12]) per ordinem flueret digesta[13]) posteritas ac[14]) priores ventura sequerentur, nec ullum sibi finem in tam brevi termino, quamvis esset[15]) caduca posteritas.[16]) Ad haec igitur venturae huius famulae tuae[17]), Pater, rudimenta sanctifica, ut bono et prospero sociata consortio legis aeternae iura[18]) custodiat. Memineritque se[19]), Domine, non tantum ad licentiam coniugalem, sed ad observantiam Dei, sanctorumque pignorum custodiae delegatam[20]) Fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat feminarum. Sit amabilis ut Rachel viro[21]): sapiens ut Rebecca, longaeva et fidelis ut Sara. Nihil ex hac subcisivus[22]) ille auctor praeva-

---

1) Gel. famularum tuarum. 2) Gel. offerunt. 3) Gel. accipias. 4) Gel. sic eam. 5) Gel. proficias. 6) Gel. benignus annorum: diesque nostros. 7) Greg. custodias. 8) Gel. sic enim tibi Domine placitum, sic necessarium. 9) Gel. est et. 10) Gel. hominem similem quem quod. 11) Gel. efficeris. 12) Gel. tunc. 13) Gel. deiesta. 14) Gel. et. 15) Gel. essent. 16) Gel. caduca proponerent. 17) Gel. Ad haec igitur datae sunt leges instituta venturae: quapropter huius famulae tuae pat. rudimenta etc. 18) Gel. iussa. 19) Gel. om. se. 20) Gel. fidei sanct. pignorum diligatam. 21) Gel. viro suo. 22) Gel. subsitivus.

ricationis usurpet, nixa fidei mandatisque permaneat.[1]) Muniat infirmitatem suam robore disciplinae.[2]) Sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis coelestibus erudita. Sit fecunda in sobole, sit probata et innocens, atque ad coelestia regna perveniat. Per.[3]).

II. EX SACRAMENTARIO GELASIANO.

Incipit Actio Nuptialis.

Adesto Domine etc. ut p. 258. Quaesumus omnipotens Deus etc. ut p. 258.

Secreta.

Adesto Domine supplicationibus nostris et hanc oblationem famularum tuarum Illarum, quam tibi offerunt pro famula tua Illa quam ad statum maturitatis et ad diem nuptiarum perducere dignatus es, placidus ac benignus adsume: ut quod tua dispositione expeditur, tua gratia compleatur. Per.

Deus qui foedera nuptiarum blando concordiae iugo et insolubili pacis vinculo nexuisti: ut multiplicandis adoptionum filiis sanctorum connubiorum foecunditas pudica serviret.[4]) Tua enim Domine providentia, tuaque gratia ineffabilibus modis utrumque dispensat: ut quod generatio ad mundi edidit[5]) ornatum, regeneratio ad ecclesiae perducat augmentum.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem etc. ut p. 258.

Infra Actionem ad Trigesimum vel Annualem Nuptiarum.[6])

Hanc igitur oblationem, Domine, famulorum tuorum Illi et Illas quam tibi offerunt ob diem Trigesimum coniunctionis suae

---

1) Gel. permaneat feminarum. serviens Deo vero, devota muniat. 2) Gel. disciplinae uni toro iuncta contactus vitae illicitos fugiat. 3) Gel. et ad beatorum requiem usque ad coelestia etc. 4) Greg. servaretur. 5) Greg. edit. 6) Ex devotione maiorum tricesimus et anniversarius matrimonii dies celebrabatur oblatione sacrificii incruenti et participatione eiusdem sacri mysterii simili modo atque tricesimus dies post obitum defunctorum religiose colebatur. Recte Binterimius Denkw. VI, 2. p. 182 eorum refellit sententiam, qui putant, coniuges per triginta dies continentiae legi adstrictos fuisse.

vel Annualem, quo die eos iugali vinculo sociare dignatus es, placatus suscipias deprecamur: ob hoc igitur reddunt tibi vota sua Deo vero et vivo, pro quibus tremendae pietati tuae supplices fundimus preces: ut pariter bene et pacifici senescant et videant et filios filiorum suorum usque in tertiam et quartam progeniem et te benedicant omnibus diebus vitae suae. Per Christum Dominum nostrum. Quam oblationem tu Deus.

Percompleas Canonem plenarium: et dicis Orationem dominicam et sic eam benedicis his verbis: Deus qui mundi crescentis exordio multiplicata prole benedicis, propitiare supplicationibus nostris et super hanc famulam tuam opem tuae benedictionis infunde: ut in iugali consortio affectu compari, mente, consimili, sanctitate mutua copulentur. Per.

Incipit Benedictio: Pater mundi conditor etc. ut p. 258.

Post haec dicis Pax vobiscum. Et sic eos communicas. Deinde posteaquam communicaverint[1]), dicis super eos Benedictionem his verbis: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, iteratis precibus te supplices exoramus, pro quibus apud te supplicator est Christus: coniunctiones famulorum tuorum fovere digneris: benedictiones tuas excipere mereantur et filiorum successibus foecundentur: nuptias eorum sicut primi hominis confirmare dignare. Avertantur ab eis inimici omnes insidiae ut sanctitatem Patrum etiam in ipso coniugio imitentur, qui providentia tua Domine coniungi meruerunt. Per.

Item post Communionem. Exaudi nos Domine Sancte etc. ut p. 257.

III. ORATIO AD SPONSOS BENEDICENDOS E SACRAMENTARIO GREGORIANO.[2])

Exaudi nos etc. ut p. 257.

Super oblata.

Suscipe quaesumus etc. p. 257.

---

1) Vides quam antiquus sit ille mos, ex quo accedit ad Sacramentum Matrimonii Sacramentum Eucharistiae. Monet Concilium Tridentinum, ut Sponsi antequam contrahant, vel saltem triduo ante consummationem matrimonii, sua peccata diligenter confiteantur et ad Eucharistiae Sacramentum accedant: nam si illud contraherent peccato mortali nondum deleto per contritionem vel per confessionem, indigne reciperent Sacramentum ac novum mortale peccatum incurrerent. Tamen ut sentiunt plurimi Rubricistae, Canon ille continet consilium tantum, non praeceptum et sane multa contrahuntur matrimonia sine sumptione sacramenti eucharistici.

2) Collatus est Codex Bibl. Caesar. Th. 149 Saec. IX olim Augiensis monasterii apud Gerbertum Monum. Lit. Alem. II. p. 45.

Praefatio.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare. Qui foedera nuptiarum etc. ut p. 259.

Hanc igitur oblationem famulorum tuorum, quam tibi offerunt pro famula tua Illa, quam perducere dignatus es ad statum mensurae et ad diem Nuptiarum, pro qua maiestati tuae fundimus supplices preces, ut eam propitius cum viro suo copulare digneris: quaesumus Domine ut placatus etc.

Antequam dicatur Pax Domini dicat hanc Orationem: Propitiare Domine supplicationibus nostris et institutis tuis etc. ut p. 258.

Benedictio.

Deus, qui potestate virtutis tuae de nihilo cuncta fecisti: qui dispositis universitatis exordiis, homini,[1] ad imaginem Dei facto, ideo inseparabile mulieris adiutorium condidisti, ut foemineo corpori de virili dares carne principium; docens, quod ex uno placuisset institui, nunquam licere disiungi: Deus qui tam excellenti mysterio coniugalem copulam consecrasti, ut Christi et Ecclesiae Sacramentum praesignares in foedere Nuptiarum: Deus, per quem mulier iungitur viro et societas principaliter ordinata ea benedictione donatur, quae sola nec per originalis peccati poenam, nec per diluvii abluta[2]) est sententiam: respice propitius super hanc famulam tuam, quae maritali iungenda est consortio. Tua se expetit protectione muniri.[3]) Sit in ea iugum dilectionis et pacis. Fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque[4]) sanctarum permaneat foeminarum. Sit amabilis ut Rachel viro, sapiens ut Rebecca, longaeva et fidelis ut Sara. Nihil in ea actibus suis ille auctor praevaricationis usurpet. Nexa fidei mandatisque[5]) permaneat uni toro iuncta: contactus illicitos fugiat, muniat infirmitatem suam robore disciplinae. Sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis coelestibus erudita. Sit foecunda in sobole, sit probata et innocens et ad beatorum requiem atque ad coelestia[6]) regna perveniat.[7]) Et videat[8]) filios filiorum suorum usque in tertiam et quartam progeniem et ad optatam perveniat[9]) senectutem.

Ad Complendum. Quaesumus omnipotens Deus etc. ut p. 258.

---

1) Aug. hominem. 2) Aug. ablata. 3) Aug. maritali iungenda consortio tua expetit protectione muniri. 4) Aug. imitatusque. 5) Aug. mandati. 6) Aug. coelesti. 7) Aug. perveniant. 8) Aeg. videant. 9) Aug. perveniant.

IV. ORDO AD MATRIMONIUM SOLLENNITER CELEBRANDUM.

Ex Rituali Augustano anni 1587.

Ubi matrimonio iungendi ad fores ecclesiae pervenerint, Sacerdos in foribus templi consistens ad eos conversus faciat quandam exhortationem. Ea finita se convertat ad Sponsum a dextris et ad Sponsam a sinistris consistentem rursusque faciat hanc proclamationem germanicis verbis: [1])

Ist iemand hie, der etwa irrung oder hindernuss zwischen disen personen wisse, das Sacrament der H. Ehe betreffend, der sage dz bey Christlicher gehorsam allhie offentlich. Zum ersten mal, zum anderen mal, und zum dritten mal.

Deinde Sacerdos inquirat nomina contrahentium, dicens: Wie heist Du? **Et accepto utriusque responso, pergat interrogare sponsum:** N. Verwilligst Du dich in N. als in deinen ehelichen Gemahel, so sprich, Ia.

Deinde simili modo Sponsa interrogatur: N. Verwilligest du dich in N. als deinen ehelichen Mann, so sprich, Ia. [2])

Qua consentiente coniungat utriusque dexteras et rursum dicat ad sponsum: N. nimbst du N. zu deiner Ehelichen Haussfrawen, so sprich, Ia. **Viro annuente pergat dicere Sponsae:** N. nimbst Du N. zu deinem Ehelichen Mann, so sprich, Ia.

Cum et illa consenserit, Sacerdos iuxta communem consuetudinem observari curet annuli traditionem et dicat Sponso: Gieb ihr den Mähel Ring. **Ubi Sponsus solet Sponsae annulum in digitum annularem inserere, dicente in-**

---

1) Agenda Mogunt. 1513. Primo Sacerdos inquirat nomina nubentium et inquirat primo, utrum sint excommunicati, secundo an aliquis ex eis cum aliquo alio prius contraxerit. Dehinc inquirat, si gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis prohibitis coniuncti fuerint: quibus per singula negantibus manus dextera sponsi et sponsae copulentur. Agenda Mogunt. 1551. Matrimonio iungendos Sacerdos in foribus ecclesiae consistens exhortetur in hunc sensum: Deiveil ir zwei der Meynung hie erscheinet, den heiligen Ehestandt etc. Lecta exhortatione sacerdos inquirat nomina contrahentium et an ipsis impedimentum nullum obstet. Negantibus obstare ullum impedimentum, sacerdos appellet primo sponsum vulgari sermone etc.

2) A. M. 1513. Accipis N. in uxorem legitimam? et dicat: Volo Ich will A. M. 1551. N. ist es nun dein freier, ungedrungener Will und wolbedachte Meynung, diese N. hiegegenwertig für deine eheliche Hausfrau anzunehmen? ℟. Ia. — Binterim l. c. p. 152: Die Fragen an die Brautleute, die wir ietzt bei der Einsegnung zweimal wiederholen, kennen die alten liturgischen Ordines nicht. Sie kommen erst im 10ten Iahrh. vor. Ex hodierna Canonistarum doctrina consensus contrahentium est Matrimonii fundamentum, sine quo Matrimonium non dici potest tale, immo ad valorem matrimonii necessario requiritur de essentia.

terim Parocho[1]): Annulo suo subarravit me Dominus et tamquam Sponsam decoravit me corona.[2])

Hinc Sacerdos Sponsus Sponsam his verbis commendet: N. ich befelhe dir auss dem befelch Gottes, dass du diser N. deiner Ehelichen Haussfrauwen getrewlich vorstehen, und sie als deinen eignen Leib ernehren und verwaren, Ir auch eheliche trew und glauben halten, und wie Christus seine Kirch geliebet, auch sie lieben wöllest, Also dass euch beyde nichts anders dann der Tod scheide.

Postea conversus ad Sponsam illi Sponsum commendet: N. Ich befehle dir aus dem befelch Gottes, dass du diesem N. deinem Mann, mit Ehelicher trew, glauben und lieb underthenig seyest, ihme gehorsam, ehr und hülff erzeigest, gleichwie die Kirche Christo ihrem haupt underthenig ist, also dass euch beyde nichts anders als der Tod scheide.

---

1) A. M. 1513. coniungantur verbis aptis aut per annuli traditionem, si est consuetudo loci A. M. 1551. Utroque affirmante iungat manus amborum dexteras et annuli traditione si est consuetudo copulet eos. Annulus ille nuptialis commemoratur apud Tertullian. Apologet. c. 6. de idol. c. 16. Ambros. Ep. IV. 54. Isidor. Offic. 2, 20. Nicolaum I. in Resp. ad consulta Bulgarorum c. 3. e. a. Tamen quonam tempore in ritum ecclesiasticum traditio et benedictio annuli recepta sit, prorsus alia est quaestio: opinor non ante saeculum nonum vel decimum id factum esse. Libri inferioris aetatis varias exhibent annuli Benedictiones v. c.: Creator et conservator humani generis, dator aeternae salutis, omnipotens Deus, tu permitte Spiritum Sanctum paraclitum super hunc annulum. Per. Alia subsequetur infra. Caeterum docent Agendae Moguntinae, decimo sexto saeculo non ubique ritum tradendi annulum fuisse vel notum vel receptum.

2) Nescio an haec formula pertineat ad illam aetatem qua in Benedictione novorum coniugum id servatum est a Latinis quod hodie diligenter servatur in ecclesia orientali. Dico coronarum nuptialium Benedictionem, dico Sponsi ac Sponsae per manus Sacerdotis coronationem. Etenim saeculo quarto exeunte admiserunt Christiani coronas nuptiales, antea tam ferventi gentilis pravitatis odio reiectas, ut Tertulliano aeque absurdum sit cibum aure, sonum aure atque florem capite sectari. At vero cave ne coronarum illarum usum confundas cum ecclesiastica caerimonia coronationis. Nec quisquam scriptor exstat antiquus, quo satis certo auctori stetur, nisi forte fidem meretur Vita S. Alexii, cui una cum sponsa „coronas per manus honoratissimorum sacerdotum impositas esse“ refert libelli auctor. Refutatur Gregorio ep. 171: „Caetera vobis curae sint: coronat quidem pater ut optavit: id enim, si alicubi in nuptiis praesentes fuimus instituimus. Illorum enim sunt coronae propriae: ad nos vero preces fundere spectat.“ Adde Nicolaum in Epistola ad Bulg: „Post haec autem de ecclesia egressi coronas in capitibus gestant, quae in ecclesia ipsa solitae sint reservari.“ Utut est, ante saec. XIV. in Liturgiis quoque nullum exstat illius caerimoniae neque postea apud multos usitata fuisse videtur. Unam addo Benedictionis formulam „Benedic ✝ Domine annulum istum et coronam istam, ut sicut annulus circumdat digitum hominis et corona caput: ita gratia Spiritus Sancti circumdet Sponsum et Sponsam.“

Posthaec Sacerdos Sponsi et Sponsae manibus quas adhuc coniunctas ambo tenent, stolam imponat vel circumvolvat, haec verba proferens: 1)

Matrimonium inter vos contractum Deus confirmet et ego illud approbo et in facie ecclesiae solennizo. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. 2)

Et mox addere poterit germanice: Die ehelichen pflicht, die ihr da vor Gott und seiner Kirchen einander gelobt habt, bestettige ich auss befelch der heiligen Christlichen Kirchen, Im namen dess Vatters, dess Suns, und dess heiligen Geistes. Amen. Gott geb euch seinen frid und vil glücks.

Quod si tempus permiserit et Sacerdoti videbitur opporturum, ad divinam gratiam invocandam pro coniugibus sequentes adiungere preces poterit.

Psalm. 66. Deus misereatur nostri etc.

Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater Noster. Salvum fac servum tuum et ancillam tuam Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. Mitte eis auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non nocebit eis. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob sit vobiscum vosque coniungat, et ipse impleat haereditatem suam in vobis, ut videatis filios filiorum vestrorum, usque in tertiam et quartam generationem: ut postea vitam aeternam habeatis sine fine, adiuvante et praestante Domino nostro Iesu Christo qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Modus novis coniugibus in ecclesia benedicendi.

Animadvertat Parochus illorum coniugum nuptiis non esse benedicen-

---

1) Haec Stolae sacerdotalis impositio non praescribitur in Rituali Romano, servatur tamen quod sciam in plurimis Germaniae ecclesiis. Puto in hoc ritu conspici reliquias velationis apud vetustos Christianos usitatae, cuius supra mentio facta est p. 257. Agendae Moguntinae norunt caerimoniam stolae, tamen multum discrepant ab Augustana. Ag. 1553 „Intrans ecclesiam aspergat eosdem aqua benedicta et data Stola ad manus sponsae introducantur cum versiculo: Dominus custodiat introitum vestrum et exitum etc. Similiter Ag. 1550.

2) Ag. Mog. 1513—1551. Ideo matrimonium per vos contractum ratifico et confirmo (Ag. 1551 benedico) in nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spi ✝ ritus Sancti. Alias formulas qnaeras apud Martenium. „ — Et ego coniungo vos in nomine etc." — Desponso vos in nomine etc. — Et ego auctoritate qua fungor, coniungo vos — In nomine. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, ipse sit vobiscum, ipse vos coniungat impleatque benedictionem suam in vobis.

dum, quorum alter in prioribus nuptiis benedictionem accepit: alioquin secundis nuptiis benedicens, ipso facto in poenam incidit suspensionis. [1])

Post finem Missae, cum Sponsus et Sponsa coram altare genuflexerint sequens Psalmus 127: Beati omnes qui timent Dominum etc. Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. Salvos fac fideles tuos. ℟. Deus meus sperantes in te. Exaudiat eos Deus in die tribulationis. ℟. Protegat vos nomen Dei Iacob. Mitte eis auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Respice Domine super hanc conventionem per angelum tuum Raphaelem, ut sint sani, digni, pacifici atque tua benedictione perfusi.

Deus qui ab initio fecisti hominem et dedisti adiutorium simile sibi, ut crescerent et multiplicarentur super terram: da misericordiam famulae tuae ut prospere et sine gravi dolore parturiat.

Omnipotens sempiterne Deus instituta providentiae tuae pro favore prosequere, ut quos legitima societate connectis, longaeva pietate custodias.

Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob bene ✝ dic adolescentes illos et semina semen vitae aeternae in mentibus eorum, ut quidquid pro utilitate didicerunt, hoc facere cupiant per Iesum Christum recuperatorem hominum, filium tuum unigenitum.

Benedicat vos Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui est trinus in numero et unus in omnibus. Et ille multiplicet semen vestrum et augeat incrementum frugum iustitiae vestrae: ut cum iustis et Deum timentibus securi astare mereamini in die iudicii Per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat etc.

Postremo signet eos sancta cruce dicens: Benedictio Dei Pa ✝ tris omnipotentis et Fi ✝ lii et Spiritus Sancti ✝ descendat super vos et maneat semper vobiscum. Amen.

His dictis aspergantur coniuges aqua benedicta.

---

1) Ecclesia Romana-Catholica secundas nuptias semper quidem tanquam vera et indubitata matrimonia recepit: ipsius tamen desiderium et votum fuerat, ut non nisi virgo virgini nuberet secundasque nuptias, ut certa incontinentiae signa, aegre tulit. Non nisi certis legibus et conditionibus permisit ecclesia secundas nuptias: in harum numero erat et est privatio Benedictionis nuptialis, intra Missam dandae, quae ipsis a sacerdote non impertiebatur.

V. EX RITUALI ROMANO.

Parochus admonitus de aliquo matrimonio in sua parochia contrahendo, primum cognoscat ex his ad quos spectat, qui et quales sint qui matrimonium contrahere volunt: an inter eos sit aliquod Canonicum impedimentum, utrum sponte, libere, et secundum honestatem Sacramenti velint contrahere: utrum sint in aetate legitima, ut vir saltem quatuordecim mulier vero duodecim annos expleverit et uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant. — — Noverit ex probatis auctoribus, quae sint Canonica impedimenta matrimonii contrahendi et quae contractum dirimant, et qui sint gradus consanguinitatis et affinitatis et item cognationis spiritualis ex Baptismi vel Confirmationis Sacramento contractae. Habeat imprimis ipse bene cognita praecepta illa omnia quae in matrimoniis rite conficiendis servari oportere sacri Canones et praecipuo sancta Synodus Tridentina iussit; dabitque operam ut illa in parochia sua accurate exacteque serventur. Praesertim vero meminerit, matrimonia inter raptorem et raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, inita, necnon clandestina et quaelibet matrimonia quae aliter quam praesente parocho, vel alio Sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius Concilii decretis irrita omnino ac nulla esse. Est autem proprius parochus, qui adesse debet, is, in cuius parochia matrimonium celebratur sive viri sive mulieris. Caveat praeterea parochus, ne facile ad contrahendum matrimonium admittat vagos et peregrinos et qui incertas habent sedes, neque item eos, qui antea coniugati fuerunt; ut sunt uxores militum vel captivorum vel aliorum qui peregrinantur; nisi diligenter de iis omnibus facta inquisitione et re ad Ordinarium delata ab eoque habita de eiusmodi matrimonii celebrandi licentia, quae gratis concedatur. — Antequam matrimonium contrahatur, ter a propria contrahentium parocho continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia ad ipsius Concilii praescriptum publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. — Si vero vir et mulier parochiae sint diversae, in utraque parochia fiant denuntiationes: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonii procedatur. Sed si quid obstat, ultra parochus non procedat. — Quodsi aliquando probabilis fuerit suspicio vel alia rationabilis causa subsit, arbitrio Episcopi matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes; tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiat denuntiatio, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem, denuntiationes in Ecclesia fiant; ut si aliqua subsunt impedimenta facilius detegant, nisi aliter Ordinarius ipse expedire iudicaverit. — Has autem denuntiationes Parochus facere non aggrediatur nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet. — Si vero infra duos menses post factas denuntiationes ma-

trimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur. — Denuntiationes autem fiant hoc modo. Inter Missarum sollemnia parochus populum admoneat in hanc sententiam vulgari sermone:

Notum sit omnibus hic praesentibus, quod N. vir et N. mulier, ex tali vel tali familia et parochia, Deo adiuvante, intentendunt inter se contrahere matrimonium. Proinde admonemus omnes et singulos, ut si quis noverit aliquod consunguinitatis vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quoduis aliud impedimentum inter eos esse, quod matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quam primum nobis denuntiare debeat; et hoc admonemus primo, si fuerit prima, vel secundo, si fuerit secunda, vel tertio, si fuerit tertia denuntiatio.

Moneat parochus coniuges ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium c onsumment, nec etiam simul maneant, nonnisi aliquibus propinquis, vel aliis praesentibus, quae benedictio a nullo alio, quam ab ipso parocho, seu ab alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, fieri debet. — Caveat etiam parochus, ne quando coniuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est. Sed viduae nuptias non benedicat etiamsi eius vir nunquam uxorem duxerit. — Matrimonium in Ecclesia maxime celebrari decet; sed si domi celebratum fuerit praesente parocho et testibus, sponsi veniant ad Ecclesiam benedictionem accepturi, et tunc caveat sacerdos, ne iterum a contrahentibus consensum exigat sed tantum benedictionem illis conferat, celebrata Missa, ut infra dicetur. — Admoneantur praeterea coniuges, ut antequam contrahunt, sua peccata diligenter confiteantur et ad sanctissimam Eucharistiam atque ad Matrimonii sacramentum suscipiendum pie accedant et quomodo in eo recte et christiane conversari debeant, diligenter instruantur ex divina scriptura, exemplo Tobiae et Sarae verbisque Angeli Raphaëlis eos edocentis, quam sancte coniuges debeant convivere. — Postremo meminerint parochi, a Dominica I. Adv. usque ad diem Epiphaniae, et a Fer. IV. cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive, sollemnitates nuptiarum prohibitas esse; ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Nuptiae vero qua decet modestia et honestate fiant: sancta enim res est matrimonium sancteque tractandum. — Quae omnia fere ex sacri Concilii Tridentini decretis desumta et item alia, quae ibi de matrimonio rite contrahendo praecipiuntur, sunt diligenter servanda.

Ritus celebrandi Matrimonii sacramentum.

Parochus igitur matrimonium celebraturus publicationibus factis tribus diebus festis, ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum in Ecclesia superpelliceo et alba stola indutus, adhibito uno saltem clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram tribus aut duobus testibus virum et mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum praesentia cohonestari decet, de consensu in matrimonium interroget utrumque sigillatim in hunc modum vulgari sermone:

N. vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta ritum sanctae matris ecclesiae? Respondeat sponsus Volo. Mox sacerdos sponsam interroget: N. vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum maritum iuxta ritum sanctae matris ecclesiae? Respondeat Volo. Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem. Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Sacerdos iubeat eos invicem iungere dexteras dicens: Ego coniungo vos in matrimonium, in nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti. Amen, vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum: postea aspergat aqua benedicta: mox benedicat annulum: ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui facit coelum et terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℣. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Benedic ✝ Domine annulum hunc quem nos in tuo nomine benedicimus ✝ ut quae eum gestaverit, fidelitatem integram suo sponso tenens in pace et voluntate tua permaneat, atque in mutua caritate semper vivat Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Deinde sacerdos aspergat annulum aqua benedicta in modum crucis et sponsus acceptum de manu Sacerdotis imponit in digito annulari sinistrae manus sponsae, sacerdote dicente: In nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Mox subiungat ℣: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. ℟. A templo sancto tuo quod est in Ierusalem. Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster etc. ℣. Et ne nos iuducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. Respice quaesumus Domine super hos famulos tuos, et instiutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste, ut qui te auctore iunguntur, te auxiliante serventur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

His expletis si benedicendae sint nuptiae parochus Missam pro sponso et sponsa ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus quae ibi praescribuntur.[1] Ceterum si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus et caerimoniis in celebrando matrimonii Sacramento utuntur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retineri. — Peractis omnibus, Parochus manu sua describat in libro Matrimoniorum nomina coniugum et testium et alia iuxta formulam praescriptam: idque licet alius sacerdos vel a se vel ab ordinario delegatus Matrimonium celebraverit.[2]

---

1) Introitus. Deus Israel coniugat vos et ipse sit vobiscum, qui misertus est duobus unicis et nunc Domine fac eos plenius benedicere te. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. Gloria Patri. Collecta. Exaudi nos ut p. 257. Epistola. Ephes. 5, 22—23. Graduale. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae. Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae. All. All. Mittat vobis Domine auxilium de Sancto et de Sion tueatur vos. All. Evangelium Matth. 19, 3—7. Offertorium. In te speravi Domine: dixi: Tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea. Secreta. Suscipe quaesumus ut p. 257. Dicto Pater Noster, antequam dicat Libera nos, stans in cornu Epistolae versus Sponsum et Sponsam ante altare genuflexos, dicit super eos sequentes orationes: Propitiare Domine ut p. 258. Deus qui potestate ut p. 261. Tum Sacerdos reversus ad medium altaris dicat Libera nos et reliqua more solito et postquam sumpserit sanguinem, communicet Sponsos et prosequatur Missam. Communio. Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum et videas filios filiorum tuorum: pax super Israel. Postcommunio. Quaesumus omnipotens Deus, instituta ut p. 258. Dicto: Benedicamus Domino vel: Ite missa est, Sacerdos antequam populum benedicat, conversus ad Sponsum et Sponsam dicat: Deus Abraham etc. ut p. 265. Moneat eos Sacerdos sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem: orationis tempore, et praesertim ieiuniorum et sollemnitatum, casti maneant: et vir uxorem atque uxor virum diligat et in timore Dei permaneant. Postea eos aspergat aqua benedicta et dicto Placeat die benedictionem et legat ut solitum est Evangelium: In principio erat verbum etc.

2) Anno — die — mensis — denuntiationibus praemissis tribus continuis diebus festivis quorum prima die — secunda die — tertia die — inter missae parochialis sollennia, habita est nulloque legitimo impedimento detecto ego N. Rector huius ecclesiae Parochialis N. civitatis N. vel loci N. filium N. Parochiae S. N. et N. filiam N. seu relictam q. N. (si vidua fuerit) huius seu Parochiae S. N. in ecclesia N. interrogavi eorumque mutuo consensu habito, sollenniter per verba de praesenti matrimonio coniunxi, praesentibus testibus notis N. filio N. qui habitat in Parochia S. N. et N. filio N. etc. et N. filio N, etc. postea eis ex ritu sanctae Matris ecclesiae (si tamen nuptias benedixerit) in Missae celebratione benedixi.

VI. EX RITUALI TREVIRENSI ANNO 1836 EDITO.[1])

Ordo contrahendi Sponsalia.

Sponsaliorum celebratio est certe multumque laudabilis caerimonia; sed cum nec praecepta, neque necessaria sit, omitti potest iis in locis, ubi non est in usu. Ubi vero celebrantur sponsalia, moneat Parochus spondentes, caerimoniam hanc, cum ex parte magistratus civilis nulla exspectanda sit assistentia, nullam in conscientia sortiri obligationem. Diligenter insuper inquirat et examinet spondentes, an teneant rudimenta fidei, et an sufficientem scientiam habeant officiorum, quae in matrimonio tum inter virum et foeminam, tum in educatione prolium occurrunt.

Parochus rogatus ut sponsalibus assistat in domo pastorali, comparentibus ibidem sponsis eorumque parentibus, consanguineis aut amicis quibusdam, praevie observatis quae in magno Rituali annotata sunt, Germanice vel Gallice pro loci idiomate interroget sponsos:

S. Kennet Ihr kein rechtmässiges Hinderniss, welches Euch unfähig machen könnte, einander zu ehelichen; oder doch wenigstens nicht erlaubte, diese Verbindung einzugehen?

℟.

S. Seyd Ihr frei von allem Ehebündniss und aller Eheverlobung mit Anderen?

℟.

S. Bindet Euch kein geistliches Gelübde, in Keuschheit, in Enthaltung, oder unverheirathet Euer Leben zuzubringen?

℟.

S. Seyd Ihr nicht mit einander befreundet, oder verwandt in einem Grade, der Euch beide hinderte, den Ehestand anzutreten?

℟.

Hic poterit Sacerdos pro sua prudentia, hoc est, habita ratione status personarum, affidandos interrogare de cognatione spirituali, proveniente ex Baptismo et Confirmatione, et sciscitari ab eis, an non alter alterum in casu necessitatis baptizaverit? An non e sacro fonte, vel ipsum, vel ipsius infantem susceperit? An non in Confirmatione Patrinus vel Matrina ipsius, aut eius infantis fuerit? Praeterea, si sponsandorum alter nondum sit per aetatem sui iuris, petet utrum parentes, tutores et alii, ad quos spectat, in eorum sponsalia et futurum subsequens Matrimonium consentiant? Quod postremum ab ipsismet parentibus, aut tutoribus exquiri oportet. Tum demum interrogabit:

S. Stellet Ihr Euch hier ein aus ganz freiem Willen und ohne Zwang?

℟.

1) Collata est Agenda Monasteriensis anni 1712.

Ubi interrogationibus fecerint satis, nullumque subesse impedimentum ab ipsis quoque adstantibus amicis vel propinquis certo compererit Sacerdos, poterit, si per tempus licet, et conditionis personarum habita ratione, hanc sequentem, aut aliam similem, ad affidandos habere exhortationem:

Ermahnung.

Was wir hier vornehmen, ist kein Sakrament; sondern es ist eingesetzt, um die Gläubigen zu dem Segen vorzubereiten, den Christus Iesus dem Sakramente der Ehe beigelegt hat. In der That, wäre es wohl vernünftig, sich blindlings und ohne Vorbedacht in einen Stand einzulassen, welcher ohne Beruf und ohne Gnade Gottes nicht glücklich seyn kann? Die Ehe der Christen ist keine so gleichgültige und gemeine Sache, dass Gott und die Kirche sich derselben nicht annehmen sollte. Die Eltern können ihren Kindern zwar irdische Güter hinterlassen; aber Gott allein kann eine kluge Ehefrau geben, und ihr einen tugendhaften Bräutigam zuführen; und ihr Ehebund wird glücklich seyn, wenn Gott ihn schützet, segnet und heiliget.

Dieses Glück habt Ihr zu erwarten, wenn Ihr, wie iene kluge Eheleute, von welchen das Evangelium meldet, Christum zu Eurer Hochzeit einladet und bittet, er selbst wolle Euer Bündniss stiften. Erwerbet Euch diese Gnade durch eifriges Gebet, reichliche Almosen und den öftern Gebrauch der heiligen Sakramente. Ueberlegt vor Gott die Pflichten des Standes, den Ihr erwählet, und erinnert Euch, dass Kinder der Heiligen auf eine andere Weise sich verehelichen müssen, als iene, welche Gott nicht kennen; das ist, sie müssen sich mit christlichen Absichten vereinigen, mit dem Vorsatze, einen unsträflichen und auferbaulichen Wandel zu führen, damit dieses, zur Heiligung der Seelen eingesetzte Sakrament niemal gemissbrauchet werde, sondern damit sie die Pflichten, welche es auflegt, erfüllen. Auf diese Weise könnet Ihr den Gefahren entgehen, welche eben so wohl, als die Obliegenheiten, von unendlicher Wichtigkeit sind in Beziehung auf die ewige Seligkeit, wenn man nämlich beide betrachtet, nicht nach den falschen Grundsätzen der Welt, sondern nach dem richtigen Begriff, den uns das Christenthum davon gibt.

Finita exhortatione, Parochus primum dicet viro, eum suis nomine et cognomine appellans:

NN. Versprechet Ihr Gott dem Herrn und vor seiner heiligen Kirche, dass Ihr gegenwärtige NN. zu Eurem ehelichen Weib neh-

men wollet, wenn sie es von Euch begehren und sich kein rechtmässiges Hinderniss vorfinden wird?

℟. Ia, Euer Ehrwürden, ich verspreche es.

Deinde dicet mulieri:

Und Ihr, NN. versprechet Ihr Gott dem Herrn und vor seiner heiligen Kirche, dass Ihr gegenwärtigen NN. zu Eurem ehelichen Mann nehmen wollet, wenn er es von Euch begehren, und sich kein rechtmässiges Hinderniss vorfinden wird?

℟. Ia, Euer Ehrwürden, ich verspreche es.

Postquam sponsionem dederint mutuo et acceperint, iubebit eos Parochus dexteras iungere, moxque dicet, signum Crucis, ubi notatur, producens: Et ego haec sponsalia, et hanc vestram mutuam promissionem auctoritate, qua fungor, confirmo. In Nomine Patris, et Filii ✝ et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Tum eos moneat, ut pro felici futuri Matrimonii successu Dei misericordiam diligenter implorent, ut aliquibus diebus ante nuptias, vel saltem pridie, peccata sua confiteantur sacramentaliter, et sacro-sanctam Eucharistiam devote percipiant. Ipsis praeterea iniunget, ut toto sponsaliorum tempore caste et pie vivant, sicuti decet filios Sanctorum: neque interea, donec Matrimonio legitime coniuncti sint, in eadem domo cohabitent[1]).

Ordo celebrandi sacramentum Matrimonii.

Parochus Matrimonium celebraturus, certior effectus de Religione, aetate, statu et conditione contrahentium, et de denuntiationibus legitime factis,[2]) sive per seipsum, sive per Litteras Testimoniales; visis quoque dispensationibus, si quae fuerint obtentae, nullo insuper apparente impedimento, super quo diligenter inquirat, convenienteque et non interdicto tempore, nisi aliunde cum desponsandis dispensatum fuerit, sic se geret.

Hora data (scilicet mane et non post meridiem, nec unquam ante horam

---

1) Ag. Mon. Cum sponsalia celebraturi coram Parentibus, Consanguineis, et Parocho conveneriut hic subiecto modo Sponsum ac deinde Sponsam interroget: N. Ihr verheisset ganz freiwillig und treulich, gegenwärtige Person zu nächst gebührender Zeit für Euer eheliches Gemahl anzunehmen. Und dafern kein erhebliche Verhinderniss wird gefunden werden, nach Gebrauch der Catholischen Kirchen Euch mit Ihr zu verehlichen. Idem interroget alteram compartem. Si uterque annuat, Parochus illorum promissionem sic confirmet: Et ego hanc sponsalitiam promissionem vestram auctoritate qua fungor, confirmo in nomine Patris et Filii ✝ et Spiritus Sancti. Amen. Poterit autem Parochus suadere, ut promissionem inscripto consignent.

2) Formula denuntiationis in Agenda Mon.: „Es lassen sich zum heiligen Ehestand zum —mal verkündigen der NN. und die NN. Welcher nun etwas weiss, das diese vorhabende Ehe verhindern könnte, solle solches gebührenden Orts gemäss der Obligation seines Gewissens mit Christlicher Liebe erstens angeben.

quartam matutinam, nisi habeatur dispensatio) induet superpelliceum et stolam albi coloris (aut amictum, albam, cingulum et stolam sine manipulo, posito quod Missam sit ipse continuo celebraturus) adhibebitque unum Clericum superpelliceo indutum, vel saltem aliquem Ministrum, qui Librum hunc Ritualem cum aqua benedicta et aspersorio paratum teneat, una cum pelvi parvula, in qua ponatur annulus unicus, simplex absque caelatura aut gemmis.

Tum sponso et sponsa a suis parentibus, vel amicis et invitatis utriusque sexus honorifice et cum modestia intra Ecclesiam ante Chorum, vel aliquod Altare coram Pastore deductis, ipsis ante confessis et communicatis, saltem pridie, et insuper, si fieri potest, ieiunis, Parochus, praesentibus testibus, iisque parentibus et cognatis, aut aliis, postulabit a sponso annulum, quem sponsus deponet in pelvi, de qua supra, quam tenebit Clericus, vel alius Minister ante Parochum. Ipse autem Parochus stans facie versa ad sponsum et sponsam, ita ut vir sit ad sinistram suam, et mulier ad dexteram, postquam ipsos et adstantes, mediocriter se inclinans, salutaverit, producendo super se signum Crucis, dicet:

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Benedictio Annuli.

S. Adiutorium nostrum in Nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram. S. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. S. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Benedic ✝, Domine, annulum hunc etc. ut p. 268.

Tum aspergat annulum aqua benedicta in modum Crucis.

Si sponsaliorum solemnis celebratio non praecesserit, Parochus, operto capite, faciet sponso et sponsae interrogationes positas in ordine celebrandi sponsalia, supra pag. 271.

Facta annuli benedictione (aut factis supra dictis interrogationibus, si faciendae fuerint) Parochus adstantes, operto capite, alloquens, dicet:

Liebe, hier versammelte Christen! Wir machen Euch bekannt und bezeugen, dass die gewöhnlichen Ausrufungen wegen bevorstehender Ehe beider gegenwärtigen Verlobten N. N. und N. N. ohne einigen Widerspruch geschehen sind; und da beide ietzt zur Ehe schreiten wollen, so ermahnen wir Euch abermal, dass, wenn Einer aus Euch etwas weiss, was diese Ehe rechtmässiger Weise verhindern könnte, er uns solches augenblicklich anzeige. Es unterstehe sich aber Niemand ein Hinderniss aus Bosheit und ohne Ursache vorzubringen.

Si fuerit concessa dispensatio de aliquo impedimento, vel de bannis, vel

vel de loco, seu tempore celebrandi Matrimonii, id Parochus quoque declarabit, ne ex eius ignoratione suboriatur scandalum, aut dubium.

Tum interposita aliqua mora, si nemo contradixerit, aperto capite in hunc modum precabitur Sacerdos:

Da nun kein Hinderniss vorkommt, so lasset uns den höchsten und gütigsten Gott bitten, Er wolle diess heilige Vorhaben, das Er diesen beiden Verlobten eingegeben, bestätigen, damit Alles zur Ehre seines heiligen Namens gereichen möge.

Hic Parochus loqui poterit ad sponsum et sponsam de Sacramento Matrimonii; et de eius institutione, dignitate, sancto usu, ac de coniugii benedictionibus pauca dicere, prout illi expedire videbitur ad eorum et adstantium aedificationem, et hanc brevem, aut aliam similem vulgari sermone exhortationem habere, personarum conditione perpensa.

Ermahnung.

Die Ehe ist ein heiliger Stand, ein von Gott im Paradiese zur Zeit der Unschuld gestiftetes Band, welches er nach dem Falle Adams bestätiget hat. Sie ist ein Bündniss, welches im alten Testamente von den treuen Dienern Gottes heilig gehalten, im neuen aber von Iesus Christus unserm Herrn zur Würde eines Sakraments erhoben worden ist. Auch nennt der heilige Apostel Paulus die Ehe ein Sakrament, ia ein grosses Sakrament: gross wegen dessen, was sie vorstellet; denn sie ist ein Sinnbild der Vereinigung Christi mit seiner Kirche: gross wegen der Gnade, welche Gott in demselben mittheilet, und wegen der Pflichten, zu denen es verbindet.

Wenn nun der Glaube uns die Ehe als ein heiliges Bündniss darstellet; so lehrt er uns auch, dieselbe heilig anzutreten und darin zu leben, wie es Gott gefällig ist, und nicht nach den Gebräuchen und den Gewohnheiten der verderbten Welt.

Die heilige Kirche, unsere Mutter, unterrichtet uns, dass die Ehe für ihre Kinder keine blos menschliche Sache, kein blos bürgerlicher Vertrag sey; sondern eine Religionshandlung, voll Gnade und Heiligkeit, und sie macht es denselben zur unerlässlichen Pflicht, sich dem Priester darzustellen, und ihr Ehebündniss im Angesichte der Kirche zu schliessen. Der Ehestand muss daher in Ehre gehalten, und der Wohlanstand darin beobachtet werden durch reine Sitten und einen recht christlichen Lebenswandel. Diesen bei den Heiden durch ihre Ausgelassenheit so sehr entehrten und bei den Iuden durch das Scheiden so verächtlich gewordenen Stand hat Christus wieder zu seiner ursprüng-

lichen Gestalt, zur Einheit und Unauflöslichkeit des nämlichen Bandes bei Lebzeiten beider Ehegatten zurückgeführt. Es ist eine von Ihm in alle ihre Reinigkeit hergestellte heilige Gesellschaft, um durch dieselbe die Kinder des Glaubens zu vermehren, und in dem Schoosse seiner Kirche Erben seines ewigen Reiches zu erziehen. Es ist ein Bündniss, dessen Würde und Glückseligkeit nach der Behauptung Tertullian's nicht hoch genug dargestellt werden kann, indem die Kirche selbst das Band desselben stiftet, das unblutige Opfer der heiligen Messe es bekräftiget, der priesterliche Segen es besiegelt, die Engel als unsichtbare Zeugen dabei erscheinen und Gott der Vater im Himmel dasienige bestätiget, was die Eheleute vor dem Altar versprechen.

Wir sind Kinder der Heiligen, sagte ehedem der iunge Tobias zu seiner Braut; wir dürfen nicht so zusammenkommen, wie die Heiden, welche Gott nicht kennen. Eben dieses können wir Euch heute mit grösserem Recht sagen: Ihr seyd Kinder der Heiligen, ia Ihr selbst seyd heilig, wenigstens Eurem Berufe nach; denn Ihr seyd Christen und Kinder der Christen, Ihr dürfet also in dem Ehestande nicht leben, wie iene, welche Gott nicht erkennen und seine Gebote nicht halten: sondern Ihr sollet Euern Stand heiligen durch einen lebhaften Glauben, eine aufrichtige Liebe und beiderseitigen Eifer in der Tugend zuzunehmen. Zwei Christen, welche durch die Ehe sich verbinden, sollen darum sich vereinigen, um gemeinschaftlich ihr zeitliches und ewiges Heil zu wirken, die Lebensiahre, welche Gott ihnen schenkt, im Frieden beisammen zuzubringen, Mühe und Arbeit unter sich zu theilen, in Widerwärtigkeiten einander beizuspringen und zu trösten, und zu dem nämlichen Ziele ihrer Bestimmung, welches der Himmel ist, glücklich zu gelangen.

Schliesset aus diesem Unterricht, christliches Brautpaar, mit welcher Andacht und Eingezogenheit Ihr dieses Sakrament empfangen sollet, mit welcher Sorgfalt und mit welchem Eifer Ihr, so lange Ihr lebet, Euch bemühen sollet, die Gnade, welche Gott der Herr dem Ehestande für seine getreuen Diener gibt, durch göttliche Hilfe zu erhalten und zu vermehren. Diese Gnaden sind auch hauptsächlich zur guten Erziehung der Kinder nothwendig, wenn es Gott gefallen sollte, Eure Ehe damit zu segnen. Ihr werdet frühzeitig das Herz derselben zur Tugend anleiten müssen; ihnen die Erkenntniss und die Liebe Iesu Christi einflössen; sie durch Euer Beispiel in der treuen Beobachtung der Gebote Gottes und der Kirche unterrichten; kurz Ihr müsset aus ihnen

gute Christen und würdige Erben des Himmels bilden. Diese christliche Kindererziehung wird eine Eurer wesentlichsten Pflichten seyn, über welche Ihr dermaleinst dem Allerhöchsten werdet Rechenschaft ablegen müssen.

Die Ehe ist ein heiliger Stand, welcher vorzüglich von denienigen heilig gehalten werden muss, welche ihrem Stande nach höher stehen, als andere, indem ihr Beispiel auf viele Andere wirkt, und ienachdem Gatte oder Gattinn einen mehr oder weniger erbaulichen Ehestand führen, mehr oder weniger auf das Wohl der ganzen Gesellschaft gewirkt wird. Damit aber dieses mit Kraft und Ausdauer geschehen könne, ist es nicht genug, dass Eheleute sich einander herzlich lieben, sondern sie sollen auch mit Freundschaft und Hochachtung einander begegnen. Das ist es, liebe Brautleute, was ich, vermöge meines Amtes, Euch empfehlen und an's Herz zu legen schuldig bin.

Completa exhortatione Parochus sponsum absque praefatione honoris, sed eum suo nomine et cognomine apellans, interrogabit, attendetque, ut clare et voce intelligibili respondeat.

An den Bräutigam.

N. N. Ich frage Euch im Namen Gottes des Allmächtigen, ob es Eure Meinung, und freier, wohlbedachter Wille ist, die hier gegenwärtige N. N. für Euer eheliches Weib anzunehmen; und ob Ihr bereit seyd zu versprechen, ihr in Allem treu zu verbleiben, so wie es ein treuer Ehemann seiner Eheliebsten nach Gottes Gebot schuldig ist?

Sponsus respondebit:

℟. Ia, Euer Ehrwürden.[1])

Deinde sponsam proprio nomine et cognomine appellans, absque praefatione honoris, interrogabit, et attendet, ut clare et intelligibili voce respondeat:

An die Braut.

N. N. Ich frage auch Euch ebenfalls im Namen Gottes des Allmächtigen, ob es Eure Meinung, und freier, wohlbedachter

---

1) Ag. Mon. Ioannes (oder N.) ist es Euer freier, ungedrungener Wille und wohlbedachte Meinung, diese N. gegenwärtig nach Gottes Ordnung und Aufsetzung als Euer ehelich Weib und Ehegemahl anzusehen? **Antwort: Ia Herr.**

Wille ist, den hier gegenwärtigen N. N. für Euren ehelichen Mann anzunehmen; und ob Ihr bereit seyd zu versprechen, ihm in Allem treu zu verbleiben, so wie es eine treue Ehefrau ihrem Ehemanne nach Gottes Gebot schuldig ist?

Sponsa respondebit;

Ia, Euer Ehrwürden.[1])

Postea Parochus det annulum benedictum sponso, qui acceptum inseret digito annulari sinistrae manus sponsae, id est, ei qui minimo est proximus, dicens, Parocho illi verba suggerente:

Mit diesem Ring vermähle ich mich mit Euch im Namen des Vaters, und des Sohnes, und des heiligen Geistes.

Et mox dabunt sibi dexteras sponsus et sponsa, dicetque sponsus voce clara et intelligibili, sponsam proprio nomine et cognomine apellans:

N. N. Ich nehme Euch ietzt an für mein eheliches Weib.[2])

Respondebit sponsa voce similiter clara et intelligibili, sponsum proprio nomine et cognomine apellans:

N. N. Ich nehme Euch ietzt an für meinen ehelichen Mann.[3])

Statimque Parochus partem stolae dexteram manibus illorum adhuc iunctis circumvolvat, et dicat:

Et ego Matrimonium per vos contractum confirmo, ratifico et benedico, in Nomine Patris ✝, et Filii ✝, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Et aspergens eos aqua benedicta addat:

Dominus custodiat introitum vestrum, et exitum vestrum, ex hoc nunc, et usque in saeculum.

His peractis, spónsus et sponsa procedent ante Altare, ubi Missa celebranda est (nisi iam ante illud constiterint) sequentibus consanguineis, aliisve testibus et invitatis.

Interim Sacerdos, sumptis in sacristia manipulo et casula seu planeta, ad Altare procedit celebraturus Missam pro sponso et sponsa, ut in Missali, vel aliam cum Collecta dictae Missae pro sponso et sponsa: et fiet oblatio a sponsis et adstantibus intra Missam, more solito.

Dicto Benedicamus Domino vel Ite Missa est, prout Missae conveniet, Sacerdos, antequam populo benedicat, stans in Medio Altaris versus

---

1) Ag. M. Anna (oder N,) ich frage Euch anstatt des allmächtigen Gottes, ist es nun dergleichen Eure gründliche und wohlbedachte Meinung, Ernst und Gemüth, mit diesem N. ehelich zu werden und ihn für Euren ehelichen Mann anzunehmen? Antwort: Ia, Herr.

2) Ag. M. Anna (oder N.) ich nehme Euch zu meinem ehelichen Weib.

3) Ag. M. Ioannes (oder N.) ich nehme Euch zu meinem ehelichen Mann.

novos coniuges coram se super gradu Altaris genuflexos, illorum nuptias, si, iuxta rubricam infra positam, benedicendae sunt, benedicet; si vero benedicendae non sunt, preces, quae post Benedictionem coniugum adnotantur pag. 264, super novos coniuges recitabit.

Si non dicatur Missa, tum post verba Dominus custodiat introitum vestrum, pag. 265, benedicuntur coniuges, vel dicuntur preces super eos, addendo Evangelium sancti Ioannis: In principio etc.

FASCICULUS SECUNDUS.

CAPUT V.

De Sacramento Poenitentiae.

I. DE EXPULSIONE PUBLICE POENITENTIUM AB ECCLESIA IN FERIA QUARTA CINERUM ET DE RECONCILIATIONE POENITENTIUM, QUAE FIT IN QUINTA FERIA COENAE DOMINI.[1])

Ex Pontificali Romano.

Poenitentes, quibus secundum ius vel consuetudinem pro gravioribus criminibus sollennis poenitentia est imponenda, in Capite Quadragesimae hora quasi tertia conveniunt ad ecclesiam Cathedralem, in vilibus vestimentis, nudis

1) Vetus ecclesia novit solummodo poenitentiam quae dicitur publica: saeculo quarto et quinto exorta et nata est poenitentia privata, a Leone Magno propter gravissimas causas commendata. Ep. 135 „Illam etiam contra apostolicam praesumptionem, quam nuper cognovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. Ne videlicet de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus iudicari confessione secreta — — Quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea, qui poenitentiam poscunt, non timeant publicare: removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut rubescunt, aut metuunt inimicis suis facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli.“ Tamen per totum medium aevum hanc religiose servavit ecclesia legem, ut peccata graviora, quae non sine scandalo aliorum essent perpetrata, publica poenitentia expianda videantur. Eiecit publice poenitentes feria IV Cinerum, reconciliavit in Coena Domini, rarius in Parasceve. Exstant igitur formulae quae ad hunc ritum spectant in Sacramentariis Gelasii atque Gregorii (a nobis secundum textum Muratorii infra excitatae) reperiuntur in membranis medii aevi, non omissae sunt in Pontificali Romano quod hodie in usu est, quamquam caerimonia ipsa vix alicubi servatur. Binterim Denkw. V, 3. S. 200: „Selbst nach der Zeit, wo die öffentliche Bussdisciplin im Allgemeinen eingegangen war,

pedibus et vultibus ad terram demissis, quorum nomina scribi debent: accipientes poenitentiam iuxta modum culpae ab Episcopi Poenitentiario, et postea omnes emittuntur et manent ante fores ecclesiae.

— — Pontifex benedicit et imponit cineres. Quibus peractis cum ministris, schola et toto clero, cruce, aqua benedicta et duobus cereis praecedentibus, egreditur chorum circa medium ecclesiae, ubi parata sit sedes, Tunc Clerus dividitur per duos choros, hinc inde versus valvas ecclesiae. Poenitentes vero omnes ingressi prosternunt se cum lacrimis in ecclesiae pavimento coram Pontifice inter utrumque chorum. Tunc P. sedens vel Archipresbyter stans imponit cineres super capita singulorum dicens: Memento homo quia pulvis es et in pulverem reverteris: age poenitentiam ut habeas vitam aeternam. Et unus ex Canonicis aspergit eos aqua benedicta.

Postea P. stans benedicit cilicia. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens et misericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuaé misericordiam quaerentibus hoc indumento vestitis misericordiam tuam et veniam tribuisti: obsecramus clementiam tuam, ut hoc indumentum quod vocatur cilicium bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris: ut quicunque eo pro peccatis suis indutus fuerit, et misericordiam tuam imploraverit, veniam et indulgentiam tuae sanctae misericordiae consequatur. Per. Aspergantur aqua benedicta.

Benedictis ciliciis P. capita eorum cooperit cum eis dicens: Apud Dominum misericordia est et apud Deum redemptio: ita enim lapsis subvenit non solum per Baptismi et Confirmationis gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam, ut spiritus humanus vita reparetur aeterna. ℟. Deo gratias.

Quo facto P. incipit Antiphonam Ne reminiscaris et super faldistorium accumbit et ministri et totus populus et poenitentes prosternunt se in terram et pro ipsorum poenitentium absolutione dicunt VII Psalmos poenitentiales alternatim: deinde dicitur Antiphona Ne reminiscaris. Postea dicuntur Litaniae quibus finitis P. dicit super ipsos Poenitentes Pater Noster. Salvos

---

behielt man doch noch bei ausserordentlichen Fällen in mehreren Kirchen Deutschlands den alten Reconciliations-Termin auf den Gründonnerstag bei. So wird es in den Statuten des Bischofs Otto v. Münster von 1413 vorgeschrieben. — — In der Diöcese Culm scheint es noch sogar in der Mitte des 18ten Iahrh. gebräuchlich gewesen zu sein. Denn in dem 15ten Artikel der Synode von Culm bei der Taufe wird den Frauen, die ihre Kinder im Bette erstickt haben, als Busse aufgelegt, die ganze Faste hindurch vor der Kirchthüre zu stehen und am Gründonnerstage sich dem Bischof oder dessen Deputat zu präsentiren, um die öffentliche Absolution zu erhalten."

fac servos tuos et ancillas tuas. ℟. Deus meus sperantes in te. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. R. Et de Sion tuere eos. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. Domine Deus virtutum converte nos. ℟. Et ostende faciem tuam et salvi erimus. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Exaudi Domine preces nostras et confitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientiae reatus accusat, indulgentia tua miserationis absolvat.

Praeveniat hos famulos tuos, quaesumus Domine, misericordia tua: ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ne sit ab his famulis tuis clementiae tuae longinqua miseratio: sana vulnera eorumque dimitte peccata, ut ab omnibus iniquitatibus expiati, tibi Domine semper valeant adhaerere.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris sed satisfactione placaris, respice quaesumus ad hos famulos tuos, qui se tibi peccasse graviter confitentur: tuum est enim absolutionem criminum dare et veniam praestare peccantibus, qui dixisti te poenitentiam malle peccatorum quam mortem: concede ergo Domine ut et tibi poenitentiae excubias celebrent et correctis actibus suis conferri sibi a te sempiterna gaudia gratulentur. Per.

His peractis surgunt Poenitentes et facit eis P. sermonem, ostendens qualiter Adam propter peccatum eiectus est de paradiso et multa maledicta in eum congesta sunt; et qualiter eius exemplo ipsi de ecclesia ad tempus eiiciendi sunt. Quo facto accipiat unum ex eis per dexteram manum et omnes alii similiter se manibus tenentes, candelas accensas in manibus tenentes subsequantur eum et ita eos eiiciat de ecclesia cum lacrimis dicens:

Ecce eiicimini vos hodie a liminibus sanctae matris ecclesiae propter peccata et scelera vestra, sicut Adam primus homo eiectus est de paradiso propter transgressionem suam.[1])

Et interim schola cantat Responsorium: In sudore vultus tui vesce-

---

1) Cum apud plurimos in desuetudinem abiisset publica Poenitentium eiectio, remansit, praesertim in Cathedralibus ecclesiis, mos eiiciendi feria IV Cinerum Adamum. Homo quidam protoplastum humani generis parentem repraesentans, sollenniter exturbabatur ex atrio ecclesiae, quod inde nomen accepit p a r a d i s i. Nobilis erat haec Caerimonia apud Halberstadenses. Etiam nunc huius ritus memoria tam infixa haeret mentibus, ut plebs ecclesiae cathedralis turriculam, cuius campana in eiiciendo Adamo pulsabatur, etiam hodie nuncupet turrim Adami vel parvum Adamum.

ris pane tuo, dicit Dominus ad Adam, cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi. Pro eo quod audisti vocem uxoris tuae plus quam me: maledicta terra in opere tuo, non dabit fructus suos sed spinas. Ecce Adam quasi unus e nobis factus est, sciens bonum et malum.! Videte ne forte sumat de ligno vitae et vivat in aeternum. Fecitque Dominus Adae tunicam pelliceam, et induit eum et ait: Videte. Gloria. Videte.

Et sic eis extra eiectis et ante valvas ecclesiae genibus flexis gemendo manentibus, P. in limine ostii stans, moneat eos, quod de Domini misericordia non desperent, sed ieiuniis, orationibus, peregrinationibus, eleemosynis et aliis bonis operibus invigilent, ut Dominus ad dignum fructum verae poenitentiae eos perducat; quodque feria V in Coena Domini redeant, quoniam tunc in sanctam ecclesiam reducentur, quam usque tunc ingredi non praesumant. Et mox Pontifice cum processione ad Chorum redeunte, valvae ecclesiae ante oculos eorum clauduntur et incipitur Missa et proceditur ordine suo.[1])

Feria V. Coenae Domini P., ministris paratis et insuper IV Subdiaconis paratis et uno Diacono de antiquioribus atque Archidiacono prosternit se super faldistorium coram altari dicens cum praefatis ministris et clero VII Psalmos poenitentiales et Litanias. Poenitentes vero tunc ante fores ecclesiae nudis pedibus ad terram prostrati manent, tenentes in manibus cereos extinctos. Cumque in Litaniis dictum fuerit: Omnes sancti Patriarchae et Prophetae Orate pro nobis paullisper subsistitur et P. mittit ad Poenitentes duos Subdiaconos candelas accensas in manibus ferentes. Qui cum ad portam pervenerint stantes in limine ostii elevatis manibus ostendunt illis candelas accensas dicentes Antiphonam: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat.

Qua finita extingunt mox ipsas candelas coram illis et revertuntur ad locum suum. Et proceditur in Litaniis. Cumque dictum fuerit Omnes sancti Martyres Orate pro nobis, tunc etiam subsistitur et P. mittit ad illos duos alios Subdiaconos simili modo, cum candelis accensis, qui in limine ostii con-

---

1) Sacr. Gelasii: Ordo agentibus publicam poenitentiam. Suscipis eum IV feria mane in capite Quadragesimae et cooperis eum cilicio: oras pro eo et inclaudis usque ad Coenam Domini. Qui eodem die in gremio praesentatur ecclesiae et prostrato eo omni corpore in terra dat orationem Pontifex super eum ad reconciliandum in quinta Feria Coenae Domini sicut ibi continetur. — Sacr. Gregorii: Orationes et Preces super Poenitentem Confitentem peccata sua more solito feria Quarta infra Quadragesimam. Exaudi Domine preces nostras etc. Praeveniat hunc famulum tuum etc. Adesto Domine supplicationibus nostris etc. Domine Deus noster, qui offensione nostra etc. ut supra.

stituti cantant Antiphonam: Dicit Dominus: poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum.

Et mox extinctis candelis revertuntur ad locum suum. Et proceditur in Litaniis usque ad Agnus Dei. Tunc P. mittit ad illos senem Diaconum cum magno cereo illuminato. Ille igitur in limine ostii constitutus cantat Antiphonam: Levate capita vestra, ecce appropinquabit redemptio vestra. Et nunc accenduntur candelae Poenitentium ex illo cereo. Cereus autem ille non extinguitur, sed Diaconus cum eo accenso revertitur. Et tunc dicitur in litaniis: Agnus Dei qui tollis peccata mundi Parce nobis Domine et alia usque in finem. Quo dicto P. ab accubitu surgens cum ministris et clero, cruce, thuribulo, cereis et omni paratu praecedentibus, egreditur extra chorum ecclesiae. Et parato sibi quasi in medio faldistorio, sedet respiciens ad ostium ecclesiae, clero per choros versus ipsum ostium ab utroque latere disposito seriatim. Tunc Archidiaconus stans in limine ostii excelsa voce in tono Lectionis ad illos ante ostium foris stantes: State in silentio: audientes audite.

Indicto itaque silentio, vertens se ad P. dicit similiter in tono Lectionis: 1) Adest o venerabilis P. tempus acceptum, dies propitiationis divinae et salutis humanae, quo mors interitum et vita accepit aeterna principium: quando in vinea Domini Sabaoth sic novorum palmitum plantatio sarcienda est, 2) ut purgetur execratio 3) vetustatis. Quamvis enim a divitiis bonitatis et pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen et largior est per indulgentiam remissio peccatorum et copiosior per gratiam assumptio renascentium. Augemur regenerandis, crescimus reversis. Lavant aquae, lavant lacrimae. Inde est gaudium 4) de assumptione vocatorum: hinc laetitia 5) de absolutione Poenitentium. Inde est quod supplices famuli tui 6) posteaquam in varias formas criminum neglectu mandatorum coelestium et morum probatorum 7) transgressione ceciderunt, 8) humiliati ac prostrati 9) Prophetica ad Dominum voce clamant dicentes: 10) Peccavimus, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Miserere nostri Domine. 11) Evangelicam vocem non frustratoria voce capientes: 12) Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Manducaverunt, sicut scriptum est panem doloris: lacrimis stratum suum rigaverunt, cor suum luctu, corpus afflixe-

1) Sacr. Gel. Ordo Agentibus publicam poenitentiam. Egreditur Poenitens de loco, ubi poenitentiam gessit et in gremio praesentatur ecclesiae, prostrato omni corpore in terra et postulat in his verbis Diaconus: Adest etc. 2) S. Gel. sic novorum plantatio facienda est. 3) ut purgetur et curatio vetustatis. 4) inde gaudium. 5) laetitiae. 6) quod supplex tuus. 7) probabilium. 8) cecidit. 9) humiliatus atque prostratus. 10) clamat dicens. 11) peccavi — egi — feci — mei. 12) capiens.

runt[1]) ieiuniis ut animarum reciperent, quam perdiderunt sanitatem.[2]) Unicum itaque est poenitentiae suffragium, quod et singulis prodest et omnibus in commune succurrit.[3])

His dictis P. surgens accedit cum ministris ad ostium ecclesiae clericorum choro se non movente. Et stans in medio ostii, facit eis brevem exhortationem de clementia divina et de veniae promissione, dicens eis, qualiter mox in ecclesiam reducentur et qualiter vivere debent. Quo facto cantat Antiphonam: Venite, Venite, Venite filii, audite, timorem Domini docebo vos. Qua dicta Diaconus ex parte poenitentium stans dicit pro eis: Flectamus genua. Tunc omnes genuflectunt Poenitentes. Et bis P. repetit: Venite etc. et bis Poenitentes, iubente Diaconi genuflectunt ac surgunt.

Deinde P. ingreditur ecclesiam stans infra ostium, distans ab illo spatio convenienti et tunc Archidiaconus inchoat et schola prosequitur Antiphonam: Accedite ad eum et illuminamini et facies vestrae non confundentur. Psalmus 33. Benedicam etc. Qua incepta mox Poenitentes ingredientes infra ostium ecclesiae, corruunt ad pedes Pontificis sicque prostrati ac flentes iacent donec praemissa Antiphona et Psalmus compleantur. Quibus expletis Archipresbyter dicit in tono Lectionis: Redintegra in eis[4]) Apostolice P. quidquid diabolo suadente[5]) corruptum est: et orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinae reconciliationis gratiam fac homines proximos[6]) Deo. Ut qui antea in suis sibi perversitatibus displicebant,[7]) nunc etiam placere se Domino in regione vivorum devicto[8]) mortis suae auctore gratulentur.[9])

Et P. interrogat: Scis illos reconciliatione fore dignos? Et ille respondet: Scio et testificor fore dignos. Et tunc autem Diaconus dicit: Levate. Quibus surgentibus P. accipit unum ex illis per manum, omnibus aliis se similiter ad manum tenentibus. Tunc Archipresbyter dicit alta voce: Iniquitates meas ego cognosco ℟. Et peccatum meum contra me est semper. Averte faciem tuam a peccatis meis R. Et omnes iniquitates meas dele. Redde mihi laetitiam salutaris tui ℟. Et spiritu principali confirma me.

Quo dicto P. inchoat schola prosequente Antiphonam: Dico vobis, gau-

---

1) Gel. manducavit — stratum rigavit — afflixit. 2) animae suae reciperet quam perdiderat. 3) succurrit. Hic ergo dum ad poenitudinis actionem tantis excitatur exemplis, sub conspectu ingemiscentis ecclesiae, venerabilis Pontifex, protestatur et dicit: Iniquitates meas ego agnosco et delictum meum contra me est semper. Averte faciem tuam, Domine, a peccatis meis, Domine et omnes iniquitates meas dele. Redde mihi laetitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me. Quo ita supplicante et misericordiam Dei afflicto corde poscente, redintegra etc. 4) Gel. in eo. 5) scindente. 6) hominem proximum. 7) in suis displicebat. 8) cum devicto. 9) Gel. Post hoc admonetur ab Episcopi sive alio Sacerdote ut quod poenitendo diluit, iterando non revocet.

dium est angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente. Qua dicta trahit illum, quem manu tenet, et ille alios ducens eos usque ad faldistorium in medio ecclesiae paratum. Et ibi conversus ad illius genua flectentes inchoat Antiphonam: Oportet te fili gaudere quia frater tuus mortuus fuerat et revixit: perierat et inventus est.

Qua dicta dicit in modum Orationis: Omnipotens Deus vos absolvat ab omni vinculo peccatorum, ut habeatis vitam et vivatis. Per.

Deinde dicit super illos voce mediocri hanc Praefationem: Per omnia saecula etc. usque ad Gratias agamus Domino Deo nostro ut p. 78.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus per Christum Dominum nostrum. Quem omnipotens genitor ineffabiliter nasci voluisti, ut debitum Adae tibi persolveret aeterno Patri, mortemque nostram sua interficeret, vulnera nostra in suo corpore ferret, nostrasque maculas sanguine suo dilueret, ut qui antiqui hostis corrueramus invidia et ipsius resurgeremus clementia. Te per eum, Domine, supplices rogamus ac petimus ut pro aliorum excessibus nos digneris exaudire, qui pro nostris non sufficimus exorare. Tu igitur clementissime Domine, hos famulos tuos quos a te separaverunt flagitia ad te revoca pietate solita! Tu namque nec Achab scelestissimi humiliationem despexisti, sed vindictam debitam protelasti. Petrum quoque lacrimantem exaudisti clavesque postmodum coelestis regni ipsi tradidisti et confitenti latroni regni praemia promisisti. Ergo, clementissime Domine, hos pro quibus preces tibi fundimus, clemens recollige et tuae ecclesiae gremio redde, ut nequaquam de iis valeat triumphare hostis, sed tibi reconciliet filius tibi coaequalis, emundetque eos ab omni facinore et ad tuae sacratissimae coenae dapes dignetur admittere. Sicque sua carne et sanguine reficiat, ut post huius vitae cursum ad coelestia regna perducat. Quod sequitur dicit clam legendo Iesus Christus filius tuus Dominus noster. Qui tecum vivit et regnat in unitate etc.

Praefatione finita P. super faldistorium et ministri super tapetia et clerus et populus ad terram prosternuntur et Cantor inchoat Schola prosequente sequentem Antiphonam: Cor mundum crea in me Deus et spiritum rectum innova in visceribus meis. Psalm. Miserere mei Deus secundum. Psalm. Miserere mei Deus quoniam conculcavit. Psalm. Miserere mei Deus miserere mei. Quibus dictis P. ab accubitu surgens dicit super poenitentes: Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. Domine non secundum peccata nostra faciās nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. ℟. Cito anticipent

nos misericordiae tuae. Convertere Domine usquequo. ℟. Et deprecabilis esto super servos tuos. Salvos fac servos et ancillas tuas. ℟. Deus meus sperantes in te. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Adesto Domine supplicationibus nostris et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi et quem[1]) non electione meriti sed dono gratiae tuae constituisti huius operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi et ipse in nostro ministerio, quod tuae pietatis est, operare. Per.

Praesta quaesumus, Domine, his famulis tuis[2]) dignum poenitentiae fructum, ut ecclesiae tuae sanctae, a cuius integritate deviaverant[3]) peccando, admissorum veniam consequendo reddantur innoxii.[4]) Per.

Precor Domine tuae clementiam maiestatis, ut his famulis tuis peccata et facinora sua confitentibus veniam praestare et praeteritorum criminum vincula relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, et publicani preces placatus exaudisti: tu etiam Domine his famulis tuis placare: tu horum precibus benignus assiste: ut in confessione flebili permanentes clementiam tuam celeriter exorent ac sanctis altaribus restituti spei rursus aeternae ac coelesti gloriae reformentur. Per.[5])

Deus humani generis benignissime conditor et misericordissime reformator,[6]) qui hominem invidia diaboli ab aeternitate deiectum unici filii tui[7]) sanguine redemisti: vivifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori desideras et qui non derelinquis devios, assume correctos.[8]) Moveant pietatem tuam, quaesumus[9]) Domine, horum famulorum tuorum lacrimosa suspiria, tu eorum medere[10]) vulneribus, tu iacentibus[11]) manum porrige salutarem, ne ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne[12]) grex tuus detrimentum sustineat: ne de familiae tuae damno inimicus exultet, ne renatos[13]) lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo Domine supplices fundimus preces, tibi fletum cordis effundimus, tu parce confitentibus,[14]) ut imminentibus poenae sententiam, futuri

1) Greg. ut quem. 2) Gel. Greg. huic famulo tuo. 3) Gel. Greg. deviarat. 4) Gel. Greg. reddatur innoxius. 5) In Greg. et Gel. omissa. 6) Gel. formator. 7) Gel. unici tui. 8) Gel. vivifica itaque quem — desideras — devium — assume correptum. Greg. hunc famulum tuum quem — devium — correctum. 9) Gel. Greg. huius famuli tui. 10) Gel. Greg. eius. 11) Gel. Greg. iacenti. 12) Gel. nec. 13) Gel. Greg. renatum. 14) Gel. Greg. confitenti.

iudicii te miserante non incidant,[1]) nesciant[2]) quod terret in tenebris, quod stridet in flammis atque ab erroris via ad iter reversi[3]) iustitiae nequaquam ultra novis vulneribus saucientur[4]) sed integrum sit eis[5]) ac perpetuum et quod tua gratia contulit et quod misericordia reformavit. Per eundem.

Deus misericors, Deus clemens, Deus qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium deles et praeteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice propitius super hoc famulos tuos[6]) et remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentes[7]) deprecatus exaudi. Renova in eis, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est et unitati corporis ecclesiae membrum redemptionis annecte.[8]) Miserere Domine gemituum, miserere lacrimarum eorum[9]) et non habentes[10]) fiduciam nisi in misericordia tua ad tuae[11]) Sacramentum reconciliationis admitte. Per.[12])

Maiestatem tuam supplices deprecamur, omnipotens aeterne Deus, ut his famulis tuis[13]) longo squalore poenitentiae maceratis[14]) miserationis tuae veniam largiri digneris, ut nuptiali veste recepta ad regalem mensam unde eiecti fuerant, mereantur introire.[15]) Per.

Absolutio. Dominus Iesus Christus qui totius mundi peccata sui traditione atque immaculati sanguinis effusione dignatus est expurgare, quique discipulis suis dixit: Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis et quaecunque solveritis super terram erunt soluta et in coelis: de quorum numero me, quamvis indignum ministrum esse voluit, intercedente Dei genitrice Maria et beato Petro apostolo cui data est potestas ligandi ac solvendi et omnibus Sanctis: ipse per ministerium meum ab omnibus peccatis vestris, quaecunque aut cogitatione, aut locutione vel opera-

---

1) Rectius Gel. ut in imminentes poenas sententiamque fr. i. t. m. non incidat. Greg. ut sic in hac mortalitate peccata sua te adiuvante defleat, qualiter in tremendi iudicii die sententiam aeternae damnationis evadat. 2) Gel. nesciat. Greg. evadat et nesciat. 3) Gel. Greg. reversus. 4) Gel. Greg. sauciëtur. Greg. om. novis. 5) Gel. Greg. ei. 6) Gel. respice hunc famulum tuum. 7) Gel. poscentem. 8) Gel. in unitatem corporis ecclesiae tuae membrum perfecta remissione restitue. 9) Gel. om. eorum. 10) Gel. habentem. 11) Gel. om. tuae. 12) Orationes Deus misericors. Deus clemens ac Maiestatem tuam in Gelasiano efficiunt formulam Reconciliationis Poenitentiis ad mortem. 13) Gel. huic famulo tuo. 14) Gel. macerato. 15) Gel. eiectus fuerat — mereatur.

tione negligenter egistis, vos absolvat sancti sui sanguinis interventione, qui in remissionem peccatorum effusus est atque a vinculis peccatorum absolutos perducere dignetur ad regna coelorum. Per.

Tunc P. adspergat eos aqua benedicta et thurificet eos dicens: Exurgite qui dormitis, exurgite a mortuis et illuminabit vos Christus. Ultimo dat eis indulgentiam prout sibi placuerit. Qua data manibus elevatis et supra illos extensis dicit sollemnem benedictionem. Precibus et meritis beatae Mariae semper virginis, beati Michaelis archangeli, beati Ioannis Baptistae, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum misereatur vestri omnipotens Deus et dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Ultimo benedicit eis dicens: Benedicat vos omnipotens Deus Pa ✝ ter, et Fi ✝ lius et Spiritus ✝ Sanctus. Amen.

Quo facto crines et barbam, quam nutrierant, deponunt et vestibus poenitentialibus dimissis se cultioribus et mundioribus induunt.

II. ORDO ANTIQUUS POENITENTIAE PRIVATAE E LIBRO HENRICI RUYS DE GRAVIA p. 133.[1])

Cum venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua,[2]) mandet ei sacerdos, ut expectet modicum donec intret in cubiculum suum ad orationem. Si autem[3]) non habuerit cubiculum, prosternat se in oratione et dicat.[4])

Domine Deus, omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, et me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad orandum et intercedendum ad Dominum nostrum Iesum Christum, pro peccatoribus ad poenitentiam revertentibus, ideoque dominator Domine, qui omnes ho-

---

1) Adiecta est scriptura Codicis Siculi apud Morinum et Codicis Bibl. Caes. Vindob. saec. X. Gerbert. Mon. L. A. II. p. 25 sq.

2) Sic. more solito cum aliquis venerit etc. Vind. omittit omnia usque ad verba quae infra leguntur: Tunc interroget eum dicens etc. 3) Sic. rectius si autem. 4) Sic. prius in secreto cordis hanc dicat orationem.

mines vis salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiae tuae pro famulis et famulabus tuis qui ad poenitentiam venerunt.

Deinde Sacerdos cantet septem psalmos poenitentiales super poenitentes, ac litaniam et sequentes dicat orationes.

Deus qui omnium confitentium tibi corda purificas et accusantes suam conscientiam ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da indulgentiam captivis et medicinam tribue vulneratis, ut exclusa dominatione peccati, liberis tibi mentibus famulentur. Per Christum.

Da nobis Domine, ut sicut publicani precibus et confessione placatus es, ita et huic famulo tuo N. placare Domine, ut in confessione flebili permanens et propitiatione tua perpetuam clementiam tuam exoret, sanctisque altaribus et sacramentis eum restituas, rursumque coelesti gloriae mancipetur. Per Christum.

Post haec dicat Sacerdos ad poenitentem: Vis tuam confessionem dare? **Respondebit:** Volo. **Tunc interroget eum dicens:** Credis in Deum Patrem omnipotentem et Filium et Spiritum Sanctum?[1]) **Respondebit:** Credo. **Interroga:** Credis quod istae tres personae, quas diximus Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus sit Deus?[3]) **Responde:** Credo. **Interroga:** Credis, quod in hac carne, in qua nunc es,[4]) resurgere habes[5]) et recipere sive bonum sive malum quod gessisti? **Responde:** Credo. **Item interroga:**[6]) Vis dimittere illis, qui in te peccaverunt omnia debita, ut et tibi Deus dimittat peccata tua, ipso dicente:[7]) Si non remiseritis hominibus peccata eorum; nec pater vester coelestis dimittet vobis peccata vestra. **Responde:** Volo. *(Hic deerant quinque lineae quae prae vetustate legi non poterant, nihil tamen videbantur tractare, nisi quasdam poenitentis ceremonias.)* [8])

Quo facto fixis genibus in terra ubi stabat suppliciter tensis manibus ad coelum blande ab flebili voce dicat:

---

1) Vind. in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. 2) Vind. quae modo diximus. 3) Vind. tres personae sunt et unus. 4) Vind. in carne in quo. 5) Vind. in ipsa habes resurgere in die iudicii. 6) Vind. om. verba item interroga. 7) Vind. Vis dim. illis peccata quaecunque in te peccaverunt Domino dicente. 8) Fortasse exciderunt quae leguntur in Cod. Vind. „Et require eum diligenter, si est incestuosus et si non vult, ipsa incesta dimittere, non potes ei dare poenitentiam. Nam si vult ipsa incesta dimittere, dic psalmum Domine ne in furore tuo. Et dic orationem hanc: Cuius indulgentia (rectius Sic. Deus cuius indulgentia) cuncti indigent.“ At vero cum in sequentibus prorsus abhorreat Codex Vindobonensis a formula supra scripta vel saltem in paucis cum illa conveniat, satius duxi, codicis scripturam (in multis vitiosam) Ordini ex libro Henrici descripto attexere.

Multa quidem Domine et innumerabilia sunt delicta mea, quae recordari nequeo, in factis, in dictis et cogitationibus, pro quibus omnibus misera mens mea interdum acri poenitentia compungitur et cruciatur. Ideoque consilium tuum, imo iudicium tuum, qui sequester ac medius inter Deum ac peccatorem hominem ordinatus es, supplex deprecor, et ut pro eisdem peccatis meis intercessor existas, humiliter imploro. Quo peracto prosternat se iterum in terram et gemitus atque suspiria et lacrimas, prout Deus dederit, ab intimo cordis producat.[1])

Absolutio criminum.

Misereatur tui omnipotens Deus et demittat tibi omnia peccata tua, praeterita, praesentia et futura, visibilia et invisibilia, quae commisisti coram eo et sanctis eius, quae confessus es, vel per aliquam negligentiam seu oblivionem vel malevolentiam abscondisti, liberet te Deus ab omni malo, hic et in futuro, conservet et confirmet te semper in omni opere bono et perducat te Christus filius Dei vivi ad vitam sine fine manentem. Qui vivit et gloriatur in secula seculorum. Amen.[2])

Post haec sacerdos cantet istos psalmos: Domine ne in furore tuo. Miserere mei Deus. Quid gloriaris in malitia. Deus in nomine

---

1) Damus aliam Confessionis formulam e Codice saec. X. „Confiteor Domino et omnibus sanctis eius, quia peccavi nimis in vita mea in cogitatione, in locutione, in actu, in commessatione, in crapula, in ebrietate, in curis huius mundi, in concupiscentia carnis, in avaritia, in luxuria, in immunditia, in pollutione, in superbia, in vana gloria, in arrogantia, in iactantia, in velatione, (?) in inobedentia, in contumacia, in duritia mentis, in contradictione, in murmuratione, in indignatione, in despectione, in detractione, in ira, in odio, in invidia, in maledictione, in pertinacia, in fornicatione, in susurratione, in mussitatione, in periurio, in mendacio, in furto, in negligentia, in tristitia huius seculi, in laetitia vana, in loquendo, in reticendo, in increpando immoderate, in remittendo incaute, in dilectione vana, in inclementia, in simulatione, in risu, in ioco, in scurrilitate, in seminando discordiam, in pace falsa, in ficta amicitia, in ignavia, in segnitie, in auditu, in gustu, in tactu, in visu, in odoratu, in dando, in accipiendo, in contentione, accipiendo usuram.

2) Aliae Absolutionis formulae e membranis eiusdem aevi: „Frater N. Dominus I. C. qui discipulis suis dixit: Quaecunque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelo et quaecunque solveritis erunt soluta et in coelo, (de quorum numero quamvis nos indignos esse voluit) Ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis quaecunque cogitatione, lusione atque operatione negligenter egisti et a nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regnum coelorum. Amen.“ — Frater N. absolutionem et remissionem peccatorum tuorum per invocationem nominis Dei et per ministerium nostrum percipere merearis hic et in aeternum. (Hic aspergat eos aqua benedicta et postea dicat) Exurge qui dormis, exurge a mortuis et illuminabit te Christus.

tuo. Benedic anima mea Domino, usque Renovabitur ut aquilae iuventus tua. Postea cantet litaniam et preces Kyrie eleïson. Pater noster. Salvum fac servum tuum. Domine Deus meus, sperantem in te. Illustra faciem tuam super servum tuum. Salvum me fac in misericordia tua Domine, non confundar, quoniam invocavi te. Mitte nobis auxilium de sancto, et de Sion tuere nos. Domine Deus virtutum converte nos, ostende faciem tuam et salvi erimus. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Exaudi Domine preces nostras et confitentium tibi parce peccatis, ut indulgentiam nobis tribuas benignus et pacem. Deus cuius indulgentia cuncti indigent, memento famuli tui N., et qui lubrici terrenique corporis est fragilitate nudatus, quaesumus ut des veniam confitenti, parcas supplici, ut quae nostris meritis accusamur, tua miseratione salvemur.

Deus sub cuius oculis omne cor trepidat, omnisque conscientia contremiscit, propitiare omnium gemitibus, et cunctorum medere vulneribus ut sicut nemo nostrum liber est a culpa, ita nemo sit alienus a venia.

Codex Vindobonensis. Et dic Orationem: Cuncti indulgentia omnes indigent. Oremus. Memento famuli tui ill. et qui lubrica terreni corporis fragilitate nudatus est etc. ut supra. Deinde dicis psalmum: Benedic anima mea Domino usque renovabitur. Et dic. orat. hanc: Oremus. Deus sub cuius oculis etc. ut supra. Et dicis psalmum quinquagesimum Miserere mei Deus usque omnes iniquitates meas dele. Et dicis hanc orat. Oremus. Precor Domine clementiae et misericordiae tuae maiestatem, ut famulo tuo ill. peccata et facinora sua confitenti veniam relaxare digneris delictorum et praeteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti, qui publicani preces confessione placatus exaudisti, tu etiam huic famulo tuo placare Domine, tu huius precibus benignus adspira, ut in confessione placabilis permaneat fletus eius et petitio perpetuam clementiam celeriter exoret, sanctisque altaribus et sacrariis restitutus spei rursus aeternae ac coelestis gloriae mancipetur. Per. Interroga eum si iam confessus fuisset et propter hoc interroges si ipse aliquid de malo ingenio[1]) habet aut de furto aut de aliqua causa iniustificata contra directum.[2]) Si confessus fuerit quod habet, instrue

---

1) Ingenium hic et infra saepius ex more scriptorum medii aevi significat dolum, astutiam, artes malas. 2) contra ius, contra praeceptum.

illum quod non est licentia de aliis peccatis iudicium recipere antequam ipsum malum reddiderit aut eiecerit. Postea si fecerit interroges eum si iracundiam contra qualemcunque hominem habeat. Si confessus est, admone eum, quod scriptum est quod non proficit abstinentia eius. Et si talis est interroges eum si fugitivus sit, quia non liceat poenitentiam agere antequam se reconciliet. Tunc fac eum confiteri omnia peccata sua ita dicendo:

Fecisti omicidium aut casu aut nolens aut pro vindicta parentum aut per iussionem Domini tui aut in publico bello vel facere voluisti et non potuisti: quinque aut tres vel quadraginta dies. Similiter si servum occiderit duos annos.

Fecisti periurium per cupiditatem saeculi aut coactus vel pro necessitate vel pro vita parentum aut nesciens aut si alios in periurium induxisti scienter septem annos vel tres et quadraginta dies.

Fecisti furtum id est effracturam quadrupedia vel fortiorem causam valentem: solidos quadraginta vel centum. Annos septem vel quinque. Et de minoribus furtis annum unum vel tres quadragesimas seu et quadraginta dies.

Fecisti adulterium cum uxore aliena aut cum sponsata. Vel virginem corrupisti aut cum sancta moniale vel Deo dicata quinque vel tres annos. Nupsisti cum uxore tua retro vel cum ancilla XI dies.

Fecisti fornicationem sicut Sodomitae fecerunt vel cum fratre vel cum matre vel cum pecoribus vel ullo ingenio [1]) quindecim aut duodecim vel septem annos vel unum.

Dixisti falsum testimonium per cupiditatem, sciens aut nesciens tres vel duos vel annum unum.

Percussisti hominem ut sanguis exiret ab homine vel ossa fregisti annum unum vel quadraginta dies. Truncasti ei ullum membrum propter iram annos tres.

Odisti fratrem tuum quamdiu in ipso odio fuisti, tamdiu poeniteas in pane et aqua.

De ministerio ecclesiae abstraxisti aliquid, detraxisti ullum hominem aut seniorem vel ad parentes propter invidiam annum unum vel quadraginta dies.

Nupsisti cum uxore tua aut cum alia femina quadraginta dies ante partum vel post partum quadraginta dies poeniteas.

Nupsisti die dominico unum diem vel tres.

Violasti sepulcra propter furtum annos tres aut duos.

---

1) I. e. modo insolito atque artificioso, spurco tamen ac detestabili.

Contigit tibi ulla negligentia de sacrificio: centum dies vel quadraginta.

Fecisti usuras quinque annos vel tres. Tulisti res alienas malo ordine per malum ingenium: tres annos.

Fecisti sacrilegium id est quod aruspices vocant et augures faciunt et sortilegos vel vota quae ad arbores vel ad fontes seu ad cancellos[1]) aut per ullum ingenium novisti aut sortitus fuisti aut aversum fecisti quinque annos vel quatuor.

Fecisti raptum de virgine vel vidua tres annos poeniteas.

Tulisti aliquid pecuniae in ecclesia contra directum: tres annos aut quadruplum restituas.

Prodidisti aliquam rem per iniustam dilaturam[2]) tres annos poeniteas.

Deduxisti aut transmisisti per ullum ingenium servum tuum aut alium hominem in captivitate christianum quinque annos poeniteas aut tres.

Cremasti domum aut area: tres annos.

Fecisti vomitum propter ebrietatem quindecim dies, si per contentionem quadraginta dies. Si nesciens septem dies.

Cogisti ullum hominem bibere ut inebriaretur aut per odium hoc fecisti centum dies.

Bibisti sanguinem aut manducasti de ullo pecude vel homine tres annos poeniteas. Aliorum thesaurum sumpsi pro quo debitas orationes non implevi.

Manducasti morticina aut dilacerata a bestiis: quadraginta dies.

Bibisti de liquore in quo mus vel mustela mortuae inventae fuerunt.

Contempsisti indictum ieiunium in ecclesia vel contra decreta seniorum quadraginta dies. Et si quatuor tempora anni vel quadragesima annum unum.

Oppressisti infantem tuum vel alium ut moreretur septem annos aut quinque vel tres.

Bibisti ullum maleficium id est erbas vel alias causas ut non potuisses infantes habere, aut alio donasti, aut hominem per potionem occidere voluisti, aut de sanguine vel de semine mariti tui ut maiorem de te haberet amorem aut gustasti aut urinam bibisti septem annos poeniteas vel quinque aut tres.

Necasti partus tuos decem annos poeniteas.

---

1) Cancelli sepulcrorum, apud quae superstitiosae peragebantur caerimoniae.
2) Delatura, accusatio calumnia.

Et si filium vel filiam occidisti duodecim annos poeniteas. Et si in utero ante conceptum annum unum. Si post conceptum annos tres.

Si infans per negligentiam mortuus fuerit sine baptismo annum unum et numquam sine aliqua poenitentia.

Fecisti aliud paganias, quae in Kal. Ian. faciunt in cervulo aut in vagula tres annos poeniteas.[1])

Misisti filium tuum super lectum aut in fornacem pro aliqua sanitate quinque annos poeniteas.[2])

Et ad ultimum dicendum est poenitenti: Multa sunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus.

Habes fidem confessam Deo et sacerdoti ut remittantur tibi peccata tua. Credis hoc. ℟. Credo.

Habes voluntatem quod egisti contra mandata Dei in hoc emendes. ℟. Sic habeo.

Unde confessus fuisti, vis iudicium recipere et illud bene custodire et omnibus adinventionibus diaboli renuntiare. ℟. Volo.

Dices ei: Dominus sit tibi adiutor et protector et praestet indulgentiam de peccatis praeteritis, praesentibus et futuris.

Tunc da illi poenitentiam et iudica secundum modulum criminum eius. Data vero poenitentia dic psalmum: Deus in nomine tuo. Et dices orationes has super eum. Exaudi Domine preces nostras et confitentium tibi parce peccatis ut quos conscientiae reatus accusat, indulgentiae tuae miseratio absolvat. — Praesta Domine huic famulo tuo ill. dignum poenitentiae fructum, ut ecclesiae tuae sanctae a cuius integritate deviaverat peccando, admissorum veniam consequendo reddatur innocuus. — Praeveniat hunc famulum tuum N. ablutio criminum dare et veniam praestare peccatoribus, qui dixisti poenitentiam te malle peccatorum quam mortem. Concede ergo Domine hoc ut tibi poenitentiae excubias celebret et correctis actibus suis conferri sibi ante sempiterna gaudia gratuletur. — Adesto Domine supplicationibus nostris et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, ut quem non electione meriti sed dono gratiae tuae constituisti operis huius ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi et ipse in nostro ministerio, quod tuae pietatis est, operare.

---

1) Solebant pagani Kalendis Ianuarii belluarum pecudum, vitulorum assumptis formis huc et illuc discursare et petulantius se gerere. Cf. Halitgarii Poenit. c. 6. Si quis in Kalendis Ianuarii, quod multi faciunt in cervulo ducit aut in vetula vadit tres annos poeniteat. — Procul dubio supra legendum est pro v a g u l a — v e t u l a.

2) Cf. Du Cange s. v. Fornax.

III. EX RITUALI ROMANO.

Sacerdos ad audiendam confessionem vocatus, promtum facilemque se praebeat: ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit. — In Ecclesia, non autem in privatis aedibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit studeat tamen id decenti ac patenti[1]) loco praestare. — Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat: quae sedes patenti, conspicuo et apto Ecclesiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et sacerdotem sit instructa. — Superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo. — Poenitens si opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis et habitus accedat flexis genibus signo crucis se muniat.[2]) — Mox Confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit) et quam pridem sit confessus, et an impositam poenitentiam adimpleverit, num rite atque integre alias confessus fuerit, num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit. — Quod si poenitens aliqua censura vel casu reservato sit ligatus, a quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi prius obtenta facultate a superiore.[3]) — Si vero Confessarius pro personarum qualitate cognoverit poenitentem ignorare christianae fidei rudimenta; si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis fidei et aliis ad salutem cognitu necessaris, et ignorantiam eius corripiat illumque admoneat, ut ea post modum diligentius addiscat. — Tum poenitens confessionem generalem latina vel vul-

---

1) Observant Rubricistae quando femina sit, quae domi peccata confiteatur, quacunque dignitate decoretur, semper fores cubiculi apertas tenendas esse ut facile a vicinioribus conspici possit Confessionarius.

2) Agenda Monaster. 1712. Benedictionem petenti benedicat hunc in modum: Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis ut bene confitearis omnia peccata tua in nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Rituale Trevirense 1836. Sedeat Sacerdos in Confessionali et poenitens ad latus eius prosternatur, utroque genuflexo et signans se signo crucis dicat: Im Namen des Vaters ✝ und des Sohnes und des h. Geistes. Segnen mich Ew. Ehrwürden, denn ich habe gesündigt. Tunc Sacerdos dicet: Deus sit in cordo tuo etc. ut supra.

3) Quaecunque ecclesia particularis habet suas Constitutiones particulares definitas ab Ordinario per Synodales Sessiones. Ita v. c. Episcopus Monasteriensis in Synodo a 1711 habita hos casus sibi voluit reservatos. 1. Abusus cuiuscunque rei sacrae ad divinationem, incantationem aliosve usus magicos. 2. Crimen incendiarii. 3. Sacrilega calicum vel Monstrantiarum ex ecclesiis aut sacellis ereptio. 4. Commixtio carnalis cum moniali. 5. Violenta oppressio feminae. 6. Infanticidium propriae prolis. 7. Matrimonium cum impedimento ligaminis scienter contractum. 8. Pactum explicitum cum Daemone. In Manuali Parochialium 1522: Isti casus servandi sunt papae: Ad papam: clerum feriens, falsarius, urens Ecclesiam, si non audeas celebrare missas.

gari lingua dicat, scilicet: Confiteor etc. vel saltem utatur his verbis: Confiteor Deo omnipotenti et tibi Pater.[1]) Peccata sua exinde confiteatur, adiuvante, quotiescunque opus fuerit Sacerdote: qui confitentem non reprehendet, nisi finita, ut dicetur, confessione: neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere: proinde fiduciam ei praebeat et humaniter suggerat, ut omnia peccata sua rite et integre confiteatur, remota stulta illa quorumdam verecundia, qua praepediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent. — Si poenitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget. — Sed caveat ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, praesertim iuniores utriusque sexus, vel alios, de eo quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.[2]) — Demum audita confessione, perpendens peccatorum quae ille admisit magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac poenitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna caritate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet. Postremo salutarem et convenientem satisfactionem quantum spiritus et prudentia suggesserit, iniungat, habita ratione status, conditionis, sexus et aetatis et item dispositionis poenitentium. Videatque ne pro peccatis gravibus levissimas poenitentias imponat: ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novae vitae remedium et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum castigationem. — Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis poenitentias iniungat: veluti avaris eleemosynas, libidinosis ieiunia vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius

---

1) Rit. Trevirense 1836: Poenitens facit Confessionem generalem dicens: Ich armer, sündiger Mensch beichte und bekenne u. s. w. bis an iene Worte: Meine Schuld. Omnibus peccatis declaratis, prout memoria suggesserit, et expleta interrogatione Sacerdotis, si aliquam faciendam iudicaverit, poenitens dicit: Diese und alle meine andern Sünden, deren ich mich vor Gott schuldig weiss, sind mir von Herzen leid und reuen mich, weil ich mit denselben Gott, meinen gerechtesten Richter, meinen liebreichsten Vater, das höchste, seiner selbst wegen aller Liebe und Ehre würdigste Gut beleidigt habe. Ich will mich mit Gottes Hülfe bessern und bitte Ew. Ehrwürden um die Lossprechung und um eine heilsame Busse.

2) Ista cautela in interrogando adhibenda est praesertim circa sextum praeceptum Decalogi et materias ad illud pertinentes. Paucis verbis utendum est a Confessionario et verba quaecunque modestiam comitem habere debent. Hanc sanam ac salubrem veterum doctrinam saepius negligunt Iesuitae, ut patet ex eorundem libris poenitentialibus. Pulcre Agenda Monaster. 1712: Pariter non vacat quidem periculo de diversis luxuriae peccatis confitentes audire — — radio solari, qui cloacas pertransit quin foedetur, hi non absimiles se deprehendent.

autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut saepe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, et si expediat communicent. — Poenitentias pecuniarias sibi ipsis confessarii non applicent, neque a poenitentibus quidquam tamquam ministerii praemium petant vel accipiant. — Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponant. — Videat autem diligenter Sacerdos, quando et quibus conferenda vel neganda vel differenda sit absolutio; ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata dereliquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant; neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt superioribus reservata. — Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantumvis reservatis, (cessat enim tunc omnis reservatio), sed prius, si potest, cui debet, satisfaciat; ac si periculum evaserit, et aliqua ratione superiori a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur; cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus. — Quod si inter confitendum vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegrum deficiat, nutibus et signis conetur, quoad eius fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere; quibus utcunque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam, si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est. — Meminerit porro Sacerdos, aegris non esse iniungendam gravem aut laboriosam poenitentiam; sed indicendam tantum illam, quam si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim iuxta gravitatem morbi, aliqua oratione aut levi satisfactione imposita et acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.

Absolutionis forma.

Cum igitur poenitentem absolvere voluerit iniuncta ei prius et ab eo acceptata salutari poenitentia primo dicit:

Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen.

Deinde dextera versus poenitentem elevata dicit:

Indulgentiam, absolutionem et remissionem, peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si poenitens sit laicus omittitur verbum suspensionis.

Passio Domini nostri Iesu Christi, merita beatae Mariae virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.[1])

In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest Misereatur etc. satis erit dicere: Dominus noster Iesus Christus etc. ut supra usque ad illud Passio Domini etc.

Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis breviter dicere poterit.

Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.[2])

De absolutione ab Excommunicatione in foro exteriori.

Si potestas absolvendi ab excommunicationis sententia Sacerdoti commissa fuerit a Superiori et in mandato certa forma sit praescripta, illa omnino servanda est, si vero in mandato seu commissione dicitur: in forma Ecclesiae consueta absolvat, haec servanda sunt. — Primo, ut excommunicatus ei, ob cuius offensam in excommunicationem incurrit prius si potest, satisfaciat. Quod si tunc non possit, sufficientem cautionem praebeat, aut saltem, si eam praestare non potest, iuret se, cum primum poterit, satisfacturum. — Secundo si crimen ob quod in excommunicationem incidit sit grave, iuramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiae, quae illi fient pro tali causa: ac praecipere ne deinceps delinquat contra illum canonem vel decretum contra quod faciendo censuram incurrit.

Denique hunc absolvendi ritum observabit. Poenitentem coram se utro-

---

1) Agenda Mogunt. 1513. Misereatur tui omnipotens Deus et dimittat tibi omnia paccata tua et custodiat te ab omni malo, conservet te in omni bono etc. Indulgentiam etc. Dein imponat poenitentiam salutarem qua a poenitente accepta absolvat eum: primo ab excommunicatione minori, dein a peccata dicendo: Dominus noster I. C. per suam magnam misericordiam dignetur te absolvere et ego auctoritate ipsius, qua ego fungor, absolvo te a vinculo excommunicationis minoris, si ligaris, et absolvo te a peccatis tuis in nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Rituale Augustanum 1587. Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis omnibus peccatis tuis perducat te sine macula cum gaudio in vitam aeternam. Amen. Indulgentiam etc. Deinde manu super caput confitentis posita: Dominus noster I. C. te absolvat et ego absolvo te a vinculo excommunicationis minoris et a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Removens manum ista subiungat: Passio etc. Ac demum concludendo dicat latine vel germanice: Ecce iam sanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius contingat. Vade in pace.

2) Haec verba vere sunt de necessitate et essentia Sacramenti, nec unquam omitti possunt, et si omitterentur Sacramentum imperfectum esset atque invalidum.

que genuflexo in humero (si vir fuerit) usque ad camisiam exclusive denudato, virga aut funiculis sedens leviter percutit, dicendo totum psalmum Miserere mei Deus etc. cum Gloria patri etc. Deinde surgit et aperto capite dicit Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam) Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo (vel in ea). ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox sedet et cooperto capite dicit. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius et sanctissimi Domini nostri Papae (vel Reverendissimi Episcopi N. vel talis Superioris) mihi commissa absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum vel caussam etc. et restituo te communioni et unitati fidelium et sanctis Sacramentis Ecclesiae in nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti.

Quod si sacerdoti nulla sit a Superiore praescripta formula nec sibi mandatum, ut in forma Ecclesiae communi vel consueta absolvat, tunc nihilominus pro rei gravitate praedictam caerimoniam et preces adhibeat, at vero si res non fuerit adeo gravis absolvere poterit dicens:

Dominus noster Iesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius et sanctissimi Domini nostri Papae (si a papa fuerit delegatus) (vel Reverendissimi Episcopi N. vel talis Superioris) mihi concessa, absolvo te etc. ut supra.

In foro autem interiori Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat iuxta formam communem supra praescriptam in absolutione sacramentali.

Ritus absolvendi excommunicatum iam mortuum.

Si quis excommunicatus ex hac vita decedens dederit signum contritionis, ne ecclesiastica careat sepultura, sed ecclesiae suffragiis, quatenus fieri potest, adiuvetur, absolvi potest hoc modo. Si corpus nondum sepultum fuerit verberetur et absolvatur ut infra, deinde absolutum in loco sacro sepeliatur.

Si vero fuerit sepultum in loco profano, si commode fieri poterit, exhumabitur, et eodem modo verberabitur, et post absolutionem in loco sacro sepelietur, sed si commode exhumari non potest, locus sepulturae verberetur, postea absolvatur. Quod si in loco sacro sit sepultus non exhumabitur, sed verberabitur sepulcrum. Dum autem corpus sive sepulturam verberat sacerdos dicat Antiphonam: Exultabunt Domino ossa humiliata Psalm. Miserere mei Deus etc. Quo facto absolvatur, dicendo: Auctoritate mihi concessa ego te absolvo a vinculo excommunicationis quam incurristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum et restituo te communioni fidelium in nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Deinde dicatur Psalm. De profundis in fine Requiem aeternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Da quaesumus Domine animae famuli tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et superni luminis claritatem, Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De modo absolvendi a Suspensione vel ab Interdicto extra vel intra sacramentalem confessionem.

Si sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem a suspensione vel interdicto, quamvis nulla verba sint praecipue determinata, uti poterit hac formula. Poenitens dicat: Confiteor Deo etc. Sacerdos: Misereatur tui etc. Indulgentiam etc. Auctoritate mihi ab N. tradita, ego absolvo te a vinculo suspensionis (vel interdicti) quam (vel quod) propter tale factum (vel causam) incurristi (seu incurrisse declaratus es) in nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si vero Confessario sive in foro conscientiae, sive extra data est potestas dispensandi super irregularitate, tunc postquam absolverit a peccatis addat consequenter:

Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate (vel irregularitatibus, si sunt plures) in quam (vel in quas) ob talem causam (vel tales causas, eas exprimendo) incurristi et habilem reddo et restituo te executioni ordinum et officiorum tuorum in nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si nullum habet ordinem dicatur: habilem reddo te ad omnes or-

dines suscipiendos vel etiam ad alia iuxta tenorem mandati. Quod si necesse sit titulum beneficii restituere et fructus male perceptos condonare, subiungat: Et restituo tibi titulum (seu titulos) beneficii (seu beneficiorum) et condono tibi fructus male perceptos. In nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Advertat autem Sacerdos ne ullo modo in iis facultatis suae terminos excedat. —

VI. RITUS ABSOLVENDI AB HAERESI.

Ex Rituali Trevirensi anno 1836 *edito.*[1])

Sacerdos superpelliceo indutus et stola violacei coloris, genuflectat una cum ministris vel coram Altari, vel saltem in sacristia coram imagine crucifixi duos inter accensos cereos posita et testibus simul cum poenitente cereum accensum prae manibus habente, retro similiter genuflectentibus, intonet hymnum Veni Creator Spiritus; sin minus incipiat sine cantu eundem hymnum quem ministri divisis choris prosequentur. ℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terrae. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum sedens versa facie ad poenitentem ante se genuflexum, operto capite ipsum interrogabit his verbis: Verharret Ihr in dem Vorhaben, den katholisch-apostolisch-römischen Glauben zu bekennen, dessen Lehre anzunehmen und mit dem Geiste und Herzen abzusagen allen Irrlehren, die derselbe verdammet?

Respondente poenitente ad haec sincere se esse dispositum, super eius ad bonam matrem Ecclesiam reditu ei gratulabitur, talisque conversionis inaestimabilem gratiam, ut par est extollens, ipsum hortabitur, quatenus, fidei integritati morum puritatem iungat, ne quae ipsi sinum suum amanter aperit Ec-

1) Feruntur et inter Catholicos et inter Protestantes multae fabulae inanes de Acatholicorum vel Pontificiorum ritibus excogitatae, quae cum ab ipsa Eride videantur inventae, quid odii, quid inimicitiarum, quid furoris denique conflaverint vix verbis potest exprimi. Inter has diabolicas fabulas haud ignobilem locum tenet ea, ex qua Protestantes qui Romanam fidem profiteri velint, non solum omnes Protestantes eorumque dogmata sed ipsos parentes atque amicos damnare ac diris devovere oporteat. Itaque adiecimus supra formulam abiurationis, ut qui videre atque audire velit, ipse videat audiatque.

clesia, non filium, sed inimicum et persecutorem recipiat. His breviter dictis et expositis, poenitens sequentem fidei professionem emittat, aut eam legendo, aut saltem ad singula Sacerdotis interrogata respondendo.

Professio fidei.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae etc. ut p. 66.

Apostolicas et Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes firmissime admitto et amplector.

Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae Legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem, sine sacrilegio, reïterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari.

Similiter et sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos

atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictan fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis succcessori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

Caetera item omnia sacris canonibus et oecumenicis Concliis, ac praecique a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definitı et declarata indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo voveo ac iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Tum Sacerdos, genibus flexis inchoat psalmum Miserere, **quem alternatim cum ministris et astantibus prosequitur cum** Gloria Patri etc. Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam, servos tuos, ancillas tuas). ℟. Deus meus sperantem (sperantes) in te. ℣. Esto ei (eis) Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo (ea, eis). ℟. Et filias iniquitatis non apponat nocere ei (eis). ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram et hunc famulum tuum (hanc famulam tuam, hos famulos tuos, has famulas tuas) quem (quam, quos, quas) excommunicationis sententia constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc: Confiteor. Sacerdos: Misereatur etc. Indulgentiam etc., et sedens operto capite, postquam poenitentem monuerit, absolutionem, quam dare paratus est, non extendere se ad peccata, sed solum ad excommunicationem, qua extra Ecclesia eiectus erat et separatus propter haeresim aut schisma, dextera super eum extensa, dicet:

Ego auctoritate Dei omnipotentis et beatorum Apostolorum eius Petri et Pauli ac Ecclesiae suae sanctae (si adsit Ordinarius addit: mihi a Reverendissimo Episcopo N. concessa) te absolvo a vinculo excommunicationis, qua propter haeresim ligatus (ligata) eras. Reduco in gremium sanctae matris ecclesiae, et ad consortium et communionem totius Christianitatis, a quibus fueras per excommunicationis sententiam eliminatus (eliminata) et restituo te participationi ecclesiasticorum sacramentorum. In nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Data absolutione, inchoat sacerdos hymnum Te Deum, quem astantes ministri alternatim prosequentur, quo finito dicet: ℣. Benedicat nos Deus. Deus noster, benedicat nos Deus. ℟. Et metuant eum omnes fines terrae.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia maiestatis adorare Unitatem: quaesumus ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis: Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos actum abiurationis acceptum referet in abiurationum registrum, vel si desit, in librum baptismalem. Subscribent autem recens conversus (qui si scribere nesciat, fiat de eius imperitia scribendi mentio) et testes ad minimum duo et ipse Sacerdos.

CAPUT VI.

De Sacramento Extremae Unctionis ac de Cura Infirmorum et Mortuorum in Universum.

I. ORDO AD VISITANDUM INFIRMUM.

Ex Rituali Romano.

— Sacerdos infirmi cubiculum ingressus primum dicat: Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea. Mox infirmum et lectum eius et cubiculum aspergat aqua benedicta, dicens Antiphonam: Asperges me Domine etc.[1]) Deinde erga infirmum officium suum praestet ut supra dictum est.[2]) Quo praestito vel antequam discedat dicere poterit supra Infirmum aliquem Psalmum ex quatuor prioribus Poenitentialibus vel Psalmum 90 Qui habitat in adiutorio etc. cum Gloria Patri in fine. Postea dicat Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater Noster — et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Esto Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. Dominus opem

1) Codex Sacr. Greg, Menardianus: Imprimis faciant Sacerdotes asperso sale aquam benedictam et aspergant eam cum antiphona et ipsis orationibus super ipsum infirmum et super domum eius.

2) Id est, et in temporalibus (si opus est) atque in spiritualibus ipsum adiuvet, hortetur ut omnem spem suam in Deo ponat, ad sacram confessionem inducat, proponat Passionis Dominicae vel Sanctorum exempla etc. etc.

ferat illi. ℟. Super lectum doloris eius.[1]) Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram: ut nos et hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.[2])

Deus, infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem: ut ope misericordiae tuae adiutus, ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur.[3])

Concede hunc famulum tuum quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosae beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.[4])

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti descendat super te et maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

Qui sequuntur Psalmi et Evangelia cum precibus pro temporis etiam opportunitate et aegrotantium pio desiderio, Sacerdotis arbitrio dici poterunt[5]) Psalmus 6 Domine ne in furore tuo arguas me. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum. ℟. Gloria tibi Domine.

---

1) Precationes: Nihil proficiat etc. usque ad lectum doloris eius omittit Agenda Monast. 1712.

2) Haec Oratio quae in aliis quoque officiis legitur est proprie de peccatis. Exstat in Sacr. Gregor.

3) Sacram. Gelasii continet IV orationes dicendas super Infirmo in domo, adiunctis tribus aliis, in Missa pro Infirmis recitandas. Inter has quas modo nominavi legitur ea: Deus infirmitatis etc.; in his tamen variat scriptura: super infirmos nostros — adiuti — sanctae repr. mereantur. Eandem scripturam exhibet Sacr. Gregorianum, IX orationes de infirmis praebens.

4) Agenda Monaster. 1712 exhibet Collectas Deus cui proprium et Concede. „Deinde Infirmo adhibeat Crucem osculandam oretque cum illo sequentia: Ich bete Dich an, o mein gekreuzigster Iesu, und benedeie Dich: denn durch dein heiliges Kreuz hast Du meine Seele erlöst.“ Postea ex formulis supra scriptis praelegere poterit actum fidei, spei et caritatis illisque actibus absolutis, si ita videatur, discursu quopiam pio animum Infirmi erigere ante abitum suum poterit. Demum si Infirmus id desideret Sacerdos imponat dexteram manum supra caput Infirmi dicens: Super aegros etc.

5) Hinc patet, quod istae Orationes et preces super Infirmum non sunt de praecepto faciendae a Sacerdote, sed quando tempus, conditio et occasio id ferat: non enim sunt Sacramenta sed Sacramentalia, ad quorum ministrationem Parochus tam rigorose non tenetur.

Dum Sacerdos dicit: Sequentia sancti etc. faciat signum crucis de more super se in fronte, ore et in pectore (p. 64. 65) similiter super infirmum si fuerit masculus et is ob infirmitatem non potest se signare. Si autem fuerit femina, dum Sacerdos se signat, illa per semetipsam in locis praedictis se signat; si vero non potest alia mulier eam signet: et hoc idem in sequentibus Evangeliis servatur.

Matth. VIII 5—13. In illo tempore: Cum introisset Iesus Capharnaum etc. — — et sanatus est puer in illa hora.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna credentium: exaudi nos pro infirmo famulo tuo N. pro quo misericordiae tuae imploramus auxilium: ut reddita sibi sanitate gratiarum tibi in ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.[1])

Psalmus 15. Conserva me Domine etc. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum. ℟. Gloria tibi Domine.

Marc. XVI 14—18. In illo tempore: Recumbentibus undecim etc. — super aegros manus imponent et bene habebunt.

Oremus. Virtutum coelestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem et omnem infirmitatem praecepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo N., ut fugatis infirmitatibus et viribus receptis nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate, benedicat. Per.[2])

Psalmus 19. Exaudiat te Dominus in die tribulationis etc.

Dominus vobiscum etc. ut supra.

Luc. IV 38—40. In illo tempore: Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis etc. — at ille singulis manus imponens curabat eos.

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui fragilitatem humanae conditionis, infusa virtutis tuae dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuae corpora nostra et mentes vegetentur: super hunc famulum tuum propitius intende; ut omni necessitate corporeae infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinae sanitatis perfecte reparetur. Per.[3])

---

1) Sacram. Gelas. Greg. pro famulis tuis illis — Gel. Greg. referant. 2) Haec Oratio aeque atque sequens reperitur, quod memoratu dignum est, in Sacram. Gallicano ab Muratorio edito. Sacram. Gelas. huic servo tuo Gall. famulo tuo ill. — Gel. vir revocatis Gall. reparatis. 3) Sacram. Gelas. Greg. Gall. frag. conditionis nostrae — Gel. Greg. propitiatus Gall. super famulum tuum propitius intende.

Psalmus 85. Inclina Domine aurem tuam et exaudi me etc.

Dominus vobiscum etc. ut supra.

Ioan. V, 1—14. In illo tempore: Erat dies festus Iudaeorum et ascendit Iesus Ierosolymam — iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Oremus. Respice Domine famulum tuum in infirmitate corporis sui laborantem, et animam refove quam creasti; ut castigationibus emendatus, continuo se sentiat tua medicina salvatum. Per.[1])

Psalmus 90. Qui habitat in adiutorio altissimi etc.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem famuli tui propitius respice, atque ad protegendum eum dexteram maiestatis tuae extende. Per.

Completa oratione ultima Sacerdos imponat dexteram super caput infirmi et dicat: Super aegros manus imponent et bene habebunt. Iesus Mariae filius, mundi salus et Dominus, meritis et intercessione sanctorum Apostolorum suorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum sit tibi clemens et propitius. Amen.[2])

Postea dicat: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Initium sancti Evangelii secundum Ioannem. ℟. Gloria tibi Domine.

Ioan. I, 1—14. In principio erat Verbum etc. — plenum gratiae et veritatis. ℟. Deo gratias.[3])

Postea benedicens infirmum subiungat dicens: Benedictio Dei etc.

---

1) Est Sacram. Greg. emendata — salvatam.

2) Ingens est Benedictionum numerus quo Codices medii aevi aegrotorum saluti consulunt. Singularis est ea quam continet Cod. saec. X apud Gerbertum Mon. L. A. II. p. 30: Sanet te Deus Pater omnipotens qui te creavit, nec erit tibi dolor in capite tuo, nec in capillis tuis, nec oculis tuis, neque in pectoribus tuis, nec in mente tua, nec in auribus tuis, nec in omni corpore tuo. Surge, surge Domine, diabolum fugere facias et proiice illum de capite, de capillis, de fronte, de oculis, de lingua, de sublingua, de gutture, de corde, de humeris, de ventre, de omnibus membris istius.

3) Agenda Monast. post impositionem manuum legi praescribit Evangelium Matth. VIII de servo Centurionis. Postea benedicitur Infirmus: Benedictio etc. ut super — Rituale Trevirense 1836 hortatur Sacerdotes ut frequenter visitent ac consolentur Infirmos, ut ex lubitu ipsis praelegant Historiam Passionis, aut aliquot Evangelia de diversis a Christo factis morborum curationibus praesertim quatuor Evangelia in Rituali Romano descripta. Uti etiam poterit Sacerdos brevibus et quasi iaculatoriis precibus, vernaculo sermone conscriptis, quae pertinent ad actum fidei, spei, amoris etc. Moneat aegrotum, ut ad beatissimam Virginem Mariam, Angelum custodem aliosque sanctos Patronos cum omni fiducia recurrat: nomen vero sanctissimum Iesu, quod est super omne nomen, invocare ipsi praecipue commendabit: nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.
Quae omnia etiam poterunt arbitrio Sacerdotis breviora fieri. 1)

II. ORDO EXTREMAE UNCTIONIS EX CODICE TILIANO p. 9. 2) Saec. IX. vel X.

Antequam ungatur Infirmus, confiteatur omnimodis Deo et Sacerdoti suo puriter peccata sua omnia et reconciliationem ab eo percipiat plenam: ut ulceribus peccatorum confessione purgatus, adapertis dignus proficiat ei unctioni-

1) Plurimi libri rituales vetusti commendant Sacerdotibus consuetudinem, quae nunc non amplius servatur, nimirum ut coram Infirmo quotidie recitent Horas canonicas vel de tempore vel pro Infirmis compositas. Ita Codex Tilianus „Debent etiam ex ministris sanctae eccelesiae cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies et noctes vespertinales et matutinales laudes pleniter sicut mos est in ecclesia." Codex Remensis p. 9 „Et VII dies vel multo plures, si necessitas fuerit, tam de communione quam de alio officio erga infirmum fiat: ut sicut Apostolus dicit, immo Spiritus Sanctus per eum ait: Si in peccatis fuerit dimittentur ei. Debent etiam ex ministris sanctae ecclesiae procurare ut Canonici cursus circa eum decantentur, id est matutinae, prima, tertia, sexta, nona, vesperum, completorium Quodsi Episcopus affuerit, beuedictionem dabit; si non singuli Sacerdotes singulas has orationes dicant etc." Officium proprium quaeras apud Binterimium Denkw. VI,3, p. 90 sq. De Hymno Christe coelestis medicina patris adeas Thesaurum meum Hymnolog. I. p. 198 sq. Ceterum notum est coram Infirmis saepius Missas celebratas esse ac celebrari indeque multae exstant Missae pro Infirmis in libris liturgicis. Missale Romanum hodiernum hanc habet: Introitus. Exaudi Deus orationem meam et ne despexeris deprecationem meam, intende in me et exaudi me*. Contristatus sum in exercitatione mea et conturbatus sum a voce inimici et a tribulatione peccatoris. Gloria. Exaudi. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna credentium ut supra. Epistola. Iac. V, 13—16. Graduale. Miserere mihi Domine quoniam infirmus sum sana me Domine*. Conturbata sunt omnia ossa mea et anima mea turbata est valde. All. All.* Domine exaudi orationem meam et clamor meus ad te perveniat All. Evangel. Matth. VIII, 5—14. Offert. Exaudi Deus orationem meam et ne despexeris deprecationem meam, intende in me et exaudi me. Secreta. Deus cuius nutibus vitae nostrae momenta decurrunt: suscipe preces et hostias famulorum tuorum, pro quibus aegrotantibus misericordiam tuam imploramus: ut de quorum periculo metuimus, de eorum salute laetemur. Communio. Illumina faciem tuam super servum tuum et salvum fac in tua misericordia: Domine non confundar quoniam invocavi te. Postcommunio. Deus infirmitatis humanae singulare praesidium etc. ut supra.

2) Cum in vetustissimis Sacramentariis, immo in antiquissimis Sacramentarii Gregoriani Codicibus ritus Extremae Unctionis desiderentur, audiamus necesse est saec. IX. et X. membranas. Habes Codici Tiliano παράλληλον Codicem S. Eligii (in quo Binterimius andacius sincerum Gregorii ritum exstare putat), Codicem Ratoldi, Codicem Remensem. Denique non neglexímus Capitulare Theodulphi Aurelianensis apud Baluzium Miscell. Tomn. VII apud Binterimium l. c. p. 267 sq. Vix est quod adnotemus, nos non haesisse in discrepantiae minutiis: satisfecisse putamus lectoribus exscribendo ac pensando graviora.

spiritalis medendo nequitiarum putredinem interius latitantem.[1]) Et tunc imprimis faciant Sacerdotes aspergi salem et aquam benedictam et aspergant eum cum Antiphona: Aspergas me Domine, Miserere mei Deus.[2])

Domine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae et orent super eum ungentes eum oleo sancto in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum et allevabit eum Dominus et si in peccatis est dimittentur ei. Cura quaesumus Redemptor noster gratia Spiritus Sancti languores istius infirmi et sua sana vulnera eiusque dimitte peccata atque dolores cunctos cordis et corporis expelle plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde ut ope misericordiae tuae restitutus et sanatus ad pristina pietatis tuae reparetur officia. Per.[3])

Et sic flectat genua sua qui est languidus et stet ad dexteram Sacerdotis et cantetur haec Antiphona: Sana Domine infirmum istum cuius ossa conturbata sunt etc. Domine ne in furore tuo arguas me etc.[4])

Oremus Dominum nostrum Iesum Christum et cum omni supplicatione rogemus ut hunc famulum suum Ill. per Angelum sanctum suum visitare, laetificare et confortare dignetur.[5])

Dominus locutus est condiscipulis suis: In nomine meo daemonia eiicite et super infirmos manus vestras imponite et bene habebunt. Deus Deorum Imponant manus super Infirmum omnes sacerdotes, iubente vel tantum permittente Episcopo quia canonicus sic docet ordo.[6]) Deus qui non vis mortem peccatorum etc. An-

1) Rat. Dicat Sacerdos ad Infirmum: Quid me advocasti frater? Ille ait: ut mihi unctionem tradas. Dicit Sacerdos ad eum: Donet tibi Dominus noster Iesus Christus veram facilemque unctionem: tamen si te respexerit et sanaverit Deus, custodies illam? Respondet: Custodiam. — Similiter Rem.

2) Rat. Rem. Theod. praescribunt, ut Infirmo, in cilicio posito, imponatur cinis vel in pectore vel in capite etiam. Antiphonae etc. inter hanc caerimoniam cantandae variant. Theod.: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es. Pulvis es et in pulverem reverteris. Sequuntur psalmi poenitentiales, Confessio Infirmi, prolixa Litania. Aspersio aquae benedictae apud plurimos commemoratur. Mirum quod iubet Theod.: Fundat Sacerdos de oleo sacrato in aquam benedictam et spargat eam, dicens Antiphonam: Benedic Domine domum istam etc.

3) Haec vel similis Oratio occurrit apud El. Rat. Rem.

4) El. Et sic flectat genu vel genua qui est languidus et stet ad dexteram sacerdotis et sic decantetur haec Antiphona: Dominus locutus est discipulis suis etc. (etiam in Rat.) Antiphona: Sana Domine etc. In aliis membranis alium locum tenet. Ex Theodulfi lege Infirmus, si permiserit infirmitas, abluto corpore albis vestibus induitur et in ecclesiam deportatur. 5) Habet El. 6) Praeter Codicem Tilianum Eligianus multique alii libri rituales vetusti commemorant plures sacerdotes. Olim enim moris erat ut septem vel saltem plures sacerdotes unctionis sacramentum administrarent.

tiph. Succurre Deus infirmo isti et medicare illi spiritali medicamine, ut in pristinam sanitatem restauratus gratiarum tibi referat actiones.[1]) Ad Dominum cum tribularer cum Gloria Patri. Oremus Dominum nostrum Iesum Christum pro fratre nostro N. quem dure ad praesens malum languoris affligit: ut eum Domini pietas coelestibus dignetur medicinis curare, ut qui dedit vitam det et salutem.

Deus qui humano generi salutis remedium et vitae aeternae munera contulisti conserva famulo tuo tuarum dona virtutum et concede ut medelam tuam non solum in corpore sed etiam in anima sentiat.

Et sic perungant singuli sacerdotes Infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo et gutture et pectore et inter scapulas seu in loco ubi dolor plus imminet[2]) ut in quinque sensibus corporis et in superciliis oculorum et in naribus intus et foris et in aurium summitate exterius sive interius et in labiis exterius et manibus exterius id est deforis: ut si quinque sensibus mentis et corporis aliqua macula inhaesit, medicina spirituali sanetur et Domini misericordia impetretur. Dum igitur Sacerdos ungit Infirmum, dicat hanc orationem morosius inungendo: Adesto, Domine, quaesumus, humilitatis nostrae obsequiis, eisque benignus coopera etc.[3])

Unctio sacrati olei ad caput. Ungo caput tuum oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut more militis uncti praeparatus ad luctam superare possis aerias catervas. Per.[4])

Ad oculos. Ungo oculos tuos de oleo sanctificato: ut quicquid illicito visu deliquisti, huius olei unctione expietur. Per.[5])

Ad aures. Ungo aures has sacrati olei liquore in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ut quicquid peccati nocivo auditu admissum est, medicina spiritualis evacuet.[6])

---

1) Apud omnes fere haec Antiphona obvia est.

2) Ad apicem cum his convenit El. At vero quae de quinque sensibus praescribuntur ita adnotat in fine: Multi sacerdotes perungunt insuper in quinque sensus corporis, id est in superciliis oculorum et in naribus deintus, et in narium summitate sive exterius, id est deforis. In omnibus ergo his membris crucem faciant de oleo sacrato dicentes: In nomine † Patris et Fi † lii et Spiritus Sancti. Hoc enim faciant, ut si in quinque sensus mentis et corporis aliqua macula inhaesit, haec medicina Dei sanetur.

3) Rem. Ante unctionem palam dicitur Symbolum hoc est Credo in Deum Patrem usque ad vitam aeternam. Deinde dicatur a Sacerdote ad Infirmum: Credis frater quod diximus Symbolum? Cum responderit aut nutu significaverit: Credo, ungatur a Sacerdote vel plurimis Sacerdotibus etc.

4) Unctionem capitis novit Theod. „super caput usque ad frontem in transverso ab aure usque ad aurem“ ac Rem., eandemque formulam exhibens atque Tilianus.

5) Oculorum unctio in Rat. ac Rem. „in superciliis et subciliis iuxta angulos oculorum dicendo: Ungo oculos etc.“ ut supra.

6) Apud Rat. Theod. „aures intus et foris in summitate crucis dicendo: Ungo has

Ad nares. Ungo has nares oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti quicquid noxio contractum est odoratu vel superfluo, ista emaculet medicatio.[1])

Ad labia. Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quicquid otiosa vel criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante, expurgetur hac unctione.[2])

Alia. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti sit tibi haec unctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis et ad munimen et ad defensionem contra iacula inimicorum spiritualium.

In gutture. Inungo te in gutture de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: ut non lateat spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum: sed habitet in te virtus Christi altissimi et Spiritus Sancti: quatenus per huius operationem mysterii et per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem, virtute sanctae Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam et melioratam percipere merearis sanitatem.[3])

Ad pectus. Ungo pectus tuum de oleo sancto, ut hoc unctione protectus, fortiter certare valeas adversus aethereas catervas:[4])

Ungo locum cordis oleo divinitus sanctificato, coelesti munere nobis attributo in nomine sanctae et individuae Trinitatis: ut ipsa te interius exteriusque sanando vivificet: quae universam conditionem suam, ne pereat, continet.[5])

Ad scapulas. Ungo has scapulas sive medium scapularum de oleo sacrato in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut ex omni parte spiritali protectione munitus, iacula diabolici impetus viriliter contemnere ac procul possis cum robore superni iuvaminis repellere.[6])

Ad manus. Ungo has manus oleo sacrato in nomine Patris

---

aures corporis tui et per has fenestras recipias auditum gratiae remissionis Christi in vitam aeternam."

1) Rat. Theod. Rem. „nares in summitate et subtus ungantur crucis modo."

2) Rat. Theod. Rem. „exterius crucem super mentum et guttur faciendo." At vero apud Theod. Til. et El. unctio in collo et gutture diversa est ab unctione labiorum.

3) Occurrit Oratio in El. ac Rem., sed ibi subsequitur totam unctionum seriem neque pertinet ad unctionem gutturis. Ignorat El. omnino proprias formulas in singulis membris ungendis.

4) Iubent El. Rat. Theod. innungi pectus, vetat Rem.

5) Propria esse videtur haec unctio Codici Tiliano.

6) El. „inter scapulas." Rem. „Item super humeros duos, hoc est scapulas, non in pectore neque inter scapulas." Theod. „primum inter scapulas magnam crucem usque ad collum." Ratoldi formula facit cum Tiliano.

et Filii et Spiritus Sancti, ut quicquid illicito vel noxio opere egerunt, per hanc unctionem evacuetur.[1])

Ad pedes. Ungo hos pedes de oleo benedicto, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: ut quicquid superfluo vel noxio incessu commiserunt, ista deleat perunctio.[2])

Ubi plus imminet (sc. dolor) Ungo te de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Domini nostri Iesu Christi, ut omnibus fugatis doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur vitae virtus et sanitas: quatenus per huius operationem mysterii et per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem virtute Trinitatis medicatus, pristinam et magis robustam recipere merearis sanitatem.[3])

Ad omnes compages membrorum. Ungo te de oleo sancto, invocata magni Creatoris maiestate, qui iussit per Samuelem prophetam ungi David regem. Operare, creatura olei, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut non lateat hic Spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum sed inhabitet in te virtus Christi altissimi Filius et sanctificatio Sancti Spiritus.[4])

Item alia unctio. Inungo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti oleo sancto atque sacrato, ut virtute Spiritus Sancti tribuat tibi haec sacra unctio sanitatem animae et corporis in remissionem omnium peccatorum et vitam aeternam.

Impositio manuum. Deus salvator noster, qui es vera salus et medicina et a quo omnis sanitas et medicamentum venit: qui apostoli tui voce nos instruis, ut languidos olei liquore tangentes tuae postulemus misericordiam pietatis: respice propitius super hunc famulum tuum Ill. et quem languor curvat ad exitum et virium defectus trahit ad occasum, medela tuae gratiae restituat ad salutem. Sana quoque, quaesumus, omnium medicator eius febrium et cunctorum languorum cruciatus aegritudinemque et dolorum omnium dissolve tormenta, viscerumque ac cordium interna medica, medullarum quoque et cogitationum: sana discrimina ulcerum vanitatumque putredines evacua, conscientiarumque atque plagarum

1) Theod. Rat. Rem. „item super manus et si Presbyter est non infra, sin aliter et infra."

2) Theod. Rat. Rem. „item super pedes et sub plantis cruces fiunt."

3) El. „seu in loco ubi dolor plus imminet amplius perungatur."

4) Occurrit Oratio in reliquis Codicibus, at unctionem „ad omnes compages membrorum" in Tiliano tantum investigavi.

obducito cicatrices veteres immensasque remove passiones: carnis ac sanguinis materiam reforma delictorumque cunctorum veniam tribue: sicque illum tua pietas iugiter custodiat, ut nec ad correptionem aliquando sanitas nec ad perditionem nunc, te auxiliante, perducat infirmitas, sed fiat illi haec olei sacri perunctio, morbi et languoris praesentis expulsio atque peccatorum omnium optata remissio.[1])

Sequitur Ordo ad communicandum Infirmum.

III. ORDO AD INUNGENDUM INFIRMUM EX RITUALI AUGUSTANO ANNO 1587 EDITO.

Primum sacerdos ad infirmum iturus, iubeat in domo eius mensam honeste praeparari, ipse vero decenter vestitus superpelliceo et accepta stola sumat in manus oleum benedictum. Nec solus prodeat, sed aedituum habeat cum lumine praecedentem et inter eundum ex psalmis aliquid recitet.[2]) Deinde cum aegroti domum fuerit ingressus, ita dicat:

Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea. Benedic Domine domum istam et omnes habitantes in ea, sit in ea sanitas et sanctitas, fides, spes et caritas.

Hinc se recipiat ad locum honestum, ubi mensa erit instructa, lumen accensum et crux posita incipiatque recitare septem Psalmos poenitentiales cum Antiphonis, nisi partem illorum iam antea in templo vel in itinere recitaverit.

Psalm. Domine ne in furore. *Ant.* Sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea et anima mea turbata est valde, sed tu Domine convertere et eripe animam meam. *Psalm.* Beati quorum remissae. *Ant.* Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Iesus veniret in Galilaeam: rogabat eum ut descenderet et sanaret filium eius. *Psalm.* Domine ne in furore. *Ant.* Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur. Amen dico tibi ego veniam et curabo eum. *Psalm.* Miserere mei Deus secundum magnum. *Ant.* Cor contritum et humiliatum Deus non despicies, sed propter magnam misericordiam tuam miserere mei. *Psalm.* Domine exaudi. *Ant.* Do-

---

1) Exstat Oratio in El. et Rem. sed desideratur quod superscriptum est in Tiliano: Impositio manuum.

2) Agenda Mogunt. 1513. Veniat Sacerdos cum oleo sacro et incensu. Oret in via VII Psalmos poenitentiales, si via longa est, usque ad domum vel ante lectum. Consentiunt Agendae Mog. an. 1551. 1582. 1671 editae.

mine descende, ut sanes filium meum, priusquam moriatur. Dicit ei Iesus vade, filius tuus vivit. *Psalm.* De profundis clamavi. *Ant.* Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus. *Psalm.* Domine exaudi. *Ant.* Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum et curabantur.

Finitis psalmis poenitentialibus interrogat sacerdos infirmum latine vel germanice in hunc modum. Credis quod, propter preces sanctorum, Dominus velit exaudire preces nostras: Glaubst du dass Gott der Herr von wegen der Fürbitt seiner lieben Auserwählten unser Gebet erhören wolle? **Respondeat aegrotus, si per infirmitatem potest:** Credo. Ich glaubs. **Et deinde sacerdos astantes exhortetur, dicens:** Invocemus Deum et sanctos eius pro salute huius infirmi. **Addere potest haec quoque germanice:** Ihr Andächtige und Geliebte in dem Herrn, lasst uns Gott den Allmächtigen von ganzem Herzen anrufen und demüthiglich bitten, dass er uns gnädiglich erhöre und durch die Fürbitt seiner lieben Heiligen diesem Kranken alles, was ihm nütz und gut sei zu Seel und Leib verleihen wolle. Sprecht darauf mit Andacht das Heilige Vater unser, Ave Maria und den Glauben.[1])

Post haec sacerdos recitet Litaniam flexis genibus, aliquo illi respondente, si adfuerit et intentione semper ad infirmum applicata. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos etc. Pater noster etc. **Postea clara voce.** ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℟. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. ℟. Universum stratum eius versasti in infirmitate eis. ℟. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Omnipotens et misericors Deus, quaesumus immensam clementiam tuam ut in nomine tuo ad introitum humilitatis nostrae hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) in hoc habitaculo

---

1) Agenda Mog. 1513. Pax huic domui ut supra. Deinde interroget Infirmum: Quis vocaris. ℟. N. Desideras Sacramentum extremae unctionis? Si non desideret non detur ei. Credis quod propter preces etc. Similiter in reliquis Agendis. Adiiciunt tamen Exhortationem germanicam Infirmo faciendam: Geliebter in Christo, es ist ia wohl billig etc.

fessum (fessam) iacentem salutifere visitare digneris, ut sicut visitare dignatus es Domine Tobiam et Saram et socrum Petri, puerumque Centurionis: ita et iste (ista) pristina sanitate animae et corporis recepta, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actionem.

Respice Domine propitius super hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) et opem ei ferre dignare super lectum laboris eius. Pone Domine manum tuam in manum meam et impera aegritudini eius ne mei peccatoris manum spernat infirmitas, sed ad invocationem tui nominis avertatur et fugiat, ut hic famulus tuus (haec famula tua) omni languore depulso ad sanitatem refectus (refecta) exurgat et praesentetur ecclesiae tuae sanctae ut gratias agat etc.

Deus qui beatum Petrum Apostolum misisti ad sanandam famulam tuam, ut eius precibus suscitaretur ad vitam, exaudi nos quaesumus, ut huic famulo tuo (famulae tuae) quem (quam) in tuo nomine visitat nostra fragilitas curata medicinae tuae medela subveniat.

Deus qui famulo tuo Ezechiae ter quinos annos ad vitam donasti, ita et famulum tuum (famulam tuam) a lecto aegritudinis tua potentia erigat ad salutem.

Deus sub cuius nutibus vitae nostrae momenta decurrunt ut p. 309.

Omnipotens sempiterne Deus qui per beatum Iacobum apostolum tuum dixisti, ut p. 310. Per Dom. ℟. Amen.

Si longo tempore non fuerit confessus infirmus, moneatur a Parocho ut peccata sua confiteatur. Si vero id facere non potest vel paullo ante confessus fuit, per se aut alium immo per ipsum etiam Sacerdotem generalem dat confessionem in hunc modum:[1])

Ich armer sündiger Mensch widersag dem bösen Feind, allem seinem Eingeben, Rath und That. Ich glaub in Gott den Vater, Gott den Sohn und in Gott den heiligen Geist. Ich glaube gänzlich was die gemein christliche Kirche befiehlt zu glauben. Mit diesem heiligen catholischen Glauben beichte ich und bekenne Gott dem Allmächtigen, Marie seiner hochwürdigen Mutter, allen Heiligen und Euch, Priester an Gottes statt, und gebe mich schul-

1) Agenda Mogunt. 1513. Hic si confessus fuerit Infirmus in brevi, generalis Confessio praemittatur, si autem in longo non fuerit confessus in primo confiteatur Infirmus per se, si potest, deinde Presbyter faciat generalem absolutionem super Infirmum ut capax fiat gratiae Sacramenti. Ag. Mog. 1582. Confessionem aegri secedentibus aliis audiat, si autem nolit, vel quia in brevi est confessus, vel quia propter morbum confiteri nequit, tunc moneatur, si quid conscientiam gravet, saltem signum doloris det. Postea recitetur coram illo Confessio generalis sermone vernaculo et detur ei generalis Absolutio. Dein flexis genibus cum astantibus recitet Litanias.

dig, dass ich von meinen kindlichen Tagen an bis auf diese Stund oft und viel gesündigt hab mit Gedanken, Worten und Werken und Unterlassung vieler guter Werke, wie denn solches Alles geschehen ist heimlich oder öffentlich, wissentlich oder unwissentlich wider die zehn Gebot in den sieben Todsünden an den fünf Sinnen meines Leibes, wider Gott, wider meinen Nächsten und wider das Heil meiner armen Seel. Solche und alle meine Sünden sind mir leid von Herzen. Bitt' derhalben demüthiglich dich ewigen barmherzigen Gott, du wollest mir deine göttliche Gnad verleihen, mein Leben fristen so lang, bis dass ich hie alle meine Sünd möge beichten und büssen, deine göttliche Huld erwerben und nach diesem elenden Leben die ewige Freud und Seligkeit erlangen. Derhalben klopf ich an mein sündiges Herz und spreche mit dem offnen Sünder, O Herr Gott sei gnädig mir armen Sünder. Amen.

Post confessionem tribuat illi sacerdos absolutionem vel sacramentalem si per se confessus fuerit in specie vel generalem si generalis tantum praecesserit confessio. Poterit autem eum in mortis periculo non solum a peccatis sed etiam a vinculo excommunicationis maioris absolvere, sed et ratione indulgentiarum, si aliquo illarum beneficio gaudeat, quantum illarum forma, quae diligenter consideranda erit, admittit. Hinc fiat peculiaris ei adhortatio, ut aegroti animus ad mortem eiusque pericula subeunda sit promtior atque paratior, animetur etiam ut se totum ad mortem aeque sicut ad vitam Deo offerat atque commendet, memor imprimis Iesu Christi Domini nostri tam acerbe in cruce suspensi et innocenter mortui. Unde crucis etiam sanctae imaginem et similia pietatis incitamenta illi proponat contemplanda, ut aegrotus aliquam inde consolationem et in suis afflictionibus corroborationem accipere possit. Moneri etiam poterit de sepultura sibi eligenda et de condendo testamento. — Observa cum ambo sacramenta sacrae Eucharistiae et extremae Unctonis ad aegrotum simul deferuntur, priore loco erit ille ungendus et postea sacro viatico communicandus; nisi aliud fieri iubeat praesens periculum dum brevi fortasse moriturus videtur et vix expectari potest tempus post unctionem communicandi. Alioquin sacra communio aegroto facile tribuenda non est qui amens decumbit vel nullum antea desiderium communicandi in sua infirmitate monstravit vel sumtum sacramentum retinere non posse videretur.

Cum Sacerdos se iam accingit ad extremam unctionem dispensandam lavat primo manus et caute oleo infirmorum accepto intingat in illud dextrum pollicem, stuppamque vel linum inter indicem et digitum medium, eiusdem manus ad unctionem abstergendam teneat. Praemittat deinde hanc generalem orationem. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ungo te oleo consecrato ut per hanc unctionem recipias plenam peccatorum tuo-

rum remissionem. Postea se convertat ad Infirmum, oculos, aures, nares, labia, manus, pectus et pedes singulasque partes ungendo dicat sequentes orationes. Ceterum ad pectus non unguntur, nisi viri, qui hoc petunt peculiariter.

Ad oculos. Super utrumque oculum primo dextrum et deinde sinistrum faciat signum sanctae crucis et utrumque simul ungendo dicat haec verba formalia. Per istam sacram ✠ unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus Iesus Christus quicquid deliquisti per visum. ℟. Amen.[1])

Ad aures. Primum dextram et deinde sinistram aurem ungendo simul dicat: Per istam sacram ✠ unctionem et piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus Iesus Christus quicquid deliquisti per auditum. ℟. Amen.[2])

Ad nares. Per istam sacram ✠ unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus Iesus Christus quicquid deliquisti per odoratum. ℟. Amen.[3])

Ad labia vel os. Per istam sacram ✠ unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus Iesus Christus quicquid deliquisti per gustum et illicitum sermonem. ℟. Amen.[4])

Ad manus. Per istam sacram ✠ unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus Iesus Christus quicquid deliquisti per tactum. ℟. Amen. Si est Sacerdos inungantur sibi manus ab extra.[5])

---

1) Agenda Mog. 1513. „Et per istam ✠ unctionem et piissi ✠ mam misericordiam suam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, per Christum Dominum nostrum. Amen. Pax tecum et cum spiritu tuo.“ Haec verba ad singulos tactus, scilicet primo ad Oculos, secundo ad Aures, tertio ad Nares, quarto ad Os, quinto ad manus, sexto ad Pedes repetuntur. Agenda Mog. 1582 prorsus consentit cum Rituali Augustano. Contra Manuale Ecclesiae Suessionensis (Ss), circa finem saeculi decimi sexti typis editum, commemorat novem unctiones, ad aurem dexteram, ad aurem sinistram, ad oculos (In nomine Patris etc. ungo oculos tuos oleo sanctificato, ut quicquid illicito visu deliquisti, huius olei unctione expietur) ad nares, ad labia, ad pectus, ad scapulas, ad manus, ad pedes.

2) Ss. Ad dexteram: In nomine etc. sit tibi haec unctio olei sanctificationis ad purificationem mentis et corporis in vitam aeternam. In nomine etc. Accipe sanitatem in nomine Domini. Amen. Ad sinistram. In nomine etc. Ungo aures tuas sacrati olei liquore ut quicquid peccati delectatione nocivi auditus admissum est, medicina spiritualis evacuet. Per.

3) Ss. In nomine etc. Ungo has nares de oleo sacro, ut quicquid noxae contractum est odoratu superfluo ista evacuet medicatio.

4) Ss. In nomine etc. Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quicquid otiosus vel etiam locutione criminosus peccasti divina clementia miserante expurgetur hic unctione.

5) Ss. In nomine etc. Ungo has manus oleo consecrato: ut quicquid de illicito vel noxio opere peregerunt, hac unctione evacuetur.

Ad pectus virorum si pie petant. Per istam sacram unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus Iesus Christus quicquid deliquisti per vanum cogitatum. ℟. Amen.[1])

Ad pedes. Antequam pedes inungantur Infirmo Sacerdos utrumque pedem eius ter tangendo trina vice dicat: In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula in pace. Et postea eiusdem pedes inungendo his verbis utatur. Per istam sacram ✝ unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus Iesus Christus, quicquid deliquisti per incessum pedum tuorum et libidinis ardorem. ℟. Amen.[2])

Unctionibus his absolutis dum adhuc ante Infirmum stat sacerdos, crucem super eum faciat et devote dicat: In nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti sit tibi haec unctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis et omnium absolutionem culparum custodiatque te in hoc seculo et in futuro. ℟. Amen. Posthaec manus suas lavet Sacerdos, aquam et salem adhibens, eaque cum lino quo tersit membra Infirmi uncta in ignem abiiciat aut aquam profluentem. In fine autem priusquam ab aegroto discedat, sequentibus utatur orationibus ad illum benedicendum.

Oremus. Domine sancte Pater, omnipotens aeterne Deus qui es via, veritas et vita, exaudi nos, conserva famulum tuum (famulam tuam) N. quem (quam) vivificasti et redemisti pretio magno sancti sanguinis Filii tui.

Bene ✝ dicat te Deus pater et custodiat te, illuminet Dominus faciem suam super te et misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem.

Benedicere ✝ et sanctificare digneris Domine famulum tuum (famulam tuam) coelesti ✝ benedictione. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Sanet te Deus pater omnipotens: sanet te Christus filius Dei vivi et altissimi, sanet te Spiritus Sanctus: sanent te Angeli et Archangeli, sanent te Patriarchae et Prophetae, sanent te Apostoli et Martyres, sanent te Confessores et Virgines, sanent te omnes Sancti et electi Dei ab omni dolore, ab omni tribulatione, ab omni infirmitate, ab omni languore, ab omni offensione, ab omni

---

1) Ss. In nomine etc. Ungo pectus tuum de oleo sancto ut hac unctione perunctus fortiter certare valeas adversus aereas catervas.

2) Ss. In nomine etc. Accipe sanitatem in nomine Domini nostri Iesu Christi surge et ambula. In nomine Domini ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quicquid superfluo vel nocivo incessu commiserunt, ista aboleat perunctio. — Propria fuisse videtur Ritualibus Galliae ac Germaniae occidentalis formula illa: Surge et ambula. Neque tamen retinetur in Agendis Moguntinis. Agenda Mog. 1581 addit cautelam sane miram: Aegro membro quodam carente, unctio fiat ad partes proximiores.

plaga. Nomen Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti atque omnium Sanctorum sit signatum super te. Amen.

Bene ✝ dicat te Deus Pater qui in principio verbo cuncta creavit; bene ✝ dicat te Deus Filius, illuminet te Spiritus Sanctus: corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, cor tuum irradiet, sensum tuum dirigat et ad supernam vitam perducat. Dominus Iesus Christus apud te sit ut defendat te, intra te sit, ut te reficiat, circum te sit ut te deducat, post te sit ut te custodiat, pro te sit ut pro te intercedat, super omnia sit in te, ut te benedicat. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. ℟. Amen. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Omnipotens sempiterneDeus qui subvenis in peccatis et necessitate laborantibus, maiestatem tuam suppliciter exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum qui hunc famulum tuum (famulam tuam) in angustiis et tribulationibus laborantem, consolationibus attollat, quibus et de praesenti necessitate consequatur auxilium et aeterna remedia comprehendat. Per Dominum.

His finitis Sacerdos accipiat in manum signum crucis quod infirmo praebeat osculandum, simulque illum moneat ut meminerit morbum et dolorem omnem Christiano patienter ferendum et in cruce ipsa gloriandum esse, ad mortem vero usque pro fide et pietate fortiter certandum et demum in supremo morbi agone iuxta Christi morientis exemplum tentanti Satanae locum nullum relinquendum, sed Dei voluntati parendum, Christique meritis innitendum et ad coelestem patriam fidenter anhelandum esse. Tum admoneat adstantes ut pro aegroti salute commune patrem rogent et si moriendum sit, recte pieque moriendi gratiam illi precentur, morientem vero prorsus non sinant destitui bonorum opera et frequenti adhortatione, donec tandem morientis anima ad suum redeat creatorem. Postremo accepta aqua benedicta primo infirmum et alios deinde omnes Sacerdos aspergens ita dicat: Benedictio Dei patris omnipotentis Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. Amen. Cum ita Infirmum Deo commendaverit accepto in manus uno vel utroque Sacramento, e domo exeat et graviter incedens in templum revertatur.[1])

---

1) Agenda Mog. 1513. Post Unctionem Oratio: Respice Domine propitius etc. Deinde Benedictio datur: Dominus Iesus apud te sit etc. Post haec Sacerdos imaginem Crucifixi infirmo ostendat et eum ad devotionem provocet instruatque eum ut Christi Passionem in mente sua retineat. Tandem interroget Infirmum: Credis omnia quae sunt fidei Christianae? ℟. Credo. Gaudes te mori in fide Christiana? ℟. Gau-

IV. ORDO EXTREMAE UNCTIONIS E RITUALI ROMANO.

— — Extremae Unctionis Sacramentum eo tempore aegrotis adhibendum est, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget.

— In quo illud inprimis ex generali ecclesiae consuetudine observandum est, ut si tempus et infirmi conditio permittat, ante extremam Unctionem Poenitentiae et Eucharistae Sacramenta infirmis praebeantur.[1])

— Debet autem hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, et iis qui prae senio deficiunt et dein videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.

Infirmis autem, qui dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierunt, seu, verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sunt vel delirent aut non sentiant, nihilominus praebeatur.

Sed si Infirmus dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, inungatur nisi periculum tollatur omnino.

Impoenitentibus vero et qui in manifesto peccato mortali moriuntur [2]) et excommunicatis et nondum baptizatis penitus denegetur.

---

deo. Recognoscis te Deum multum offendisse? ℟. Doleo. Proponis de cetero ab omni offensa peccati mortalis abstinere? ℟. Divino auxilio mediante propono. Credis te meritis passionis redemptoris nostri et non propriis ad gloriam pervenire? ℟. Credo. Ultimo dicat; Si occurrat tibi inimicus diabolus semper ei opponas merita passionis Christi redemptoris et salvatoris nostri. Agenda Mog. 1582. Peracta Unctione dicat Sacerdos orationem: Respice Domine etc. Detur Benedictio: Dominus Iesus apud te sit etc. Praebeat infirmo crucifixi imaginem, moneat ut Christi passionem in mente retineat. Digressurus confirmet eum atque consoletur: Geliebter in Christo, dieweil du etc. Agenda Mog. 1671: Recitet Collectas: Domine Deus qui per Apostolum etc. Respice quaesumus Domine etc. Domine sancte Pater omnipotens. Exhortetur: Geliebter in Christo, dieweil du etc. Aspergat tandem, praebeat crucem ad osculandum et coram eo relinquat, moneat domesticos, ut gravescente morbo ipsum Parochum accersant ad animam Deo commendandam.

1) Ipsi vetusti Ordines, quos supra exscripsimus, ostendunt, antiquitus ecclesiam aliter censuisse. Apud omnes quoad sciam Sacramentum Eucharistiae, finis ac perfectio omnium Sacramentorum ac Viaticum moribundi excipit Sacramentum Unctionis. Quapropter Rubricistae recentiores, etsi hodiernam ecclesiae consuetudinem commendent, concedunt multa pro antiquo afferri posse probabilia argumenta. Kellner Symbolik der kath. K. p. 407 „Wie passend übrigens Busse und Abendmahl nach ihrer Wirkung vorhergehen, leuchtet ein, aber wie passt zum Zustande der Todtkranken die Forderung der Satisfactio, die doch zum Sacramente der Busse gehört?“

2) Tamen cum pie credendum sit, quod etiam pessimus peccator, se vicinum morti sentiens, conetur actum poenitentiae elicere, laudabilis suboritur doctoribus dubitatio an manifestis peccatoribus, undecima hora ad Dominum venientibus Sacramentum sit denegandum.

Non ministretur etiam proelium inituris, aut navigationem aut peregrinationem aut alia pericula subituris aut reis ultimo supplicio mox afficiendis aut pueris rationis usum non habentibus.[1])

— — In eadem Infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut, cum Infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit.

Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit; nempe oculi, aures, nares, os et manus: attamen pedes etiam et renes ungendi sunt: sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia semper omittitur; atque etiam in viris, quando Infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus sive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet.[2])

Manus vero, quae reliquis infirmis interius ungi debent Presbyteris exterius ungantur.[3])

— Si quis sit aliqua membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.[4])

Huius autem Sacramenti forma qua Sancta Romana ecclesia utitur sollemnis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas unctione adhibet dum ait: Per istam sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid per visum, sive per auditum etc. deliquisti.[4])

---

1) Neque in his consentiunt omnes, qui Rituale commentariis illustrarunt. Et sane minus christiana videtur ista cautela. Agenda Monast. 1712. Puer septennis, si S. Unctionem petierit, debet inungi. Cum enim capax sit poenitentiae, certe etiam capax erit huius Sacramenti. — — Confossus in duello, si aliquantum supervivat detque signa doloris, praemissa absolutione ab excommunicatione, inungendus est absolute, conditionate autem, si exterius haec signa non edat, tamdiu autem supervivat, ut dolere possit. — — Tempore interdicti in casibus ordinariis nequit dari Extrema Unctio: ad casum tamen necessitatis Infirmi haec prohibitio se non extendit.

2) Nunc in viris quoque lumborum unctio fere semper omittitur. Caeterum convenit inter Doctores, quod unctio pedum et renum non sit essentialis.

3) Quia Sacerdotes in palma manuum uncti sunt ab Episcopo in ordinatione Sacerdotii. At vero a multis Rubricistis hoc argumentum ducitur vanum, adeo insulsum; neque immerito. Non nostrum est, naenias istas contra Hierarchiam Romanae ecclesiae in triviis decantatas recoquere, sed minus placent eiusmodi leges, quae sine dubitatione facile in malam partem accipi possunt et accipiuntur.

4) Quid si abundent sensibus h. e. habeant tres manus tres vel quatuor pedes, ut in monstris potissimum datur? Ungendum est membrum illud, quo magis sani usi sunt, vel quod magis in naturali parte corporis collocatum est. Haec statuit doctorum ἀκριβεία.

5) Tradita est a Concilio Florentino in Decret. Eugen. et a Trident. sess. 14 de Extr. Unct. c. l. Agend. Monast. 1712. Si omitterentur verba suam piissimam misericordiam redderetur Sacramentum dubium. Displicet formula Clausenio (Kathol. u. Protest. 2. p. 508) „Bei der letzten Oelung ist es anstössig, dass die Form durchaus betend ist, denn da das Sacrament die Gnade nicht blos bezeichnen, sondern

Sacerdos igitur, Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud Infirmum mensam mappa candida coopertam itemque vas, in quo sit bombacium, seu quid simile in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas, medullam panis ad detergendos digitos et aquam ad abluendam Sacerdotis manum; ceream item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebeat. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum administretur.

Deinde convocatis Clericis seu ministris vel saltem uno Clerico, qui Crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio et librum Ritualem deferat, ipse Parochus decenter accipit vas sacri Olei Infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute defert, ne effundi possit. Procedat autem sine sonitu campanulae.

Cum perventum fuerit ad locum ubi iacet Infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicit: Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde deposito oleo super mensam, superpelliceo stolaque violacea indutus, [1]) aegroto Crucem pie deosculandam porrigit: [2]) mox in modum Crucis eum aqua benedicta et cubiculum et circumstantes aspergit, dicens Antiphonam: Asperges etc. Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur et de huius Sacramenti vi et efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat et quantum opus sit eius animum confirmet et in spem erigat vitae aeternae. [3])

---

auch bewirken soll, so gehört dazu unleugbar eine declarative Form. Diese Ausnahme hat indessen einen guten Grund, denn da die eine Wirkung, die Genesung, sich so schwer sichern lässt, so musste man die Ausdrücke mit der äussersten Vorsicht wählen, um den Credit der Sacramente nicht zu verscherzen." Videant Dogmatici ac Polemici quid respondeant: hoc unum bene notandum est, de sanitate corporis per Unctionem recuperanda omnes formulas loqui hypothetice.

1) Baruffaldus (optimus Ritualis Romani interpres) haec admonet: Satius esse duco, si Parochus suis vestibus communibus primo accedat ad Infirmum, et illum suaviter moneat de imminenti periculo et ad bono animo suscipiendum Sacramentum inducat. His peractis, tunc deponere debet Oleum super mensam paratam, deinde induere superpelliceum et stolam ut rite et recte ministret.

2) Idem Baruffaldus: Evenire solet ut in aliquo loco nihil Christianum redolens penitus inveniatur: non Crux, non aqua benedicta, non Imago ulla veneranda. Circa quod memini me olim cum dignissimo Parocho pro administratione huius Sacramenti perexisse ad domum cuiusdam Birruarii et nihil Sacrum in eius cubiculo seu ad eius cubile invenisse; immo loco Crucis et aspergilli pendere prope lectum manicas ferreas, funem et scopulos, maxima omnium nostrum admiratione. Equidem necessaria erat illic Crux, aqua benedicta, et aspersorium nec in vanum haec omnia secum detulerat prudens Parochus.

3) Agenda Monast. 1712. Vanas, quibus plures laborant persuasiones e mente evellat; doceatque erroneum esse, quod huius Sacramenti administrationem mors certo subsequatur: quod reconvalituris licitum futurum non sit, nudis pedibus incedere, saltare etc.

Postea dicat versiculum: Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.[1])

Oremus. Introeat, Domine Iesu Christe domum hanc sub nostrae humilitatis ingressu aeterna felicitas, divina prosperitas, serena laetitia, caritas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus daemonum; adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum et benedic ✝ nostrae conversationi: sanctifica nostrae humilitatis ingressum, qui sanctus et pius es et permanes cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

---

1) In Rituali Trevirensi 1836 post Antiphonam Asperges ac plures versiculos, sequitur Collecta, antiquorum librorum auctoritate commendata: Deus qui beatum Petrum Apostolum tuum misisti ad Thalitam famulam tuam, ut precibus eius suscitaretur ad vitam, exaudi nos quaesumus, ut famulo tuo, quem in nomine tuo nostra visitat infirmitas, medicinae tuae medela subveniat. Per. Hanc Orationem excipit Exhortatio vernaculo sermone.

Ermahnung.

Es muss Euch sehr trösten, dass Ihr dieses Sakrament, welches Iesus Christus zum Besten der Kranken eingesetzt hat, mit völliger Geistesgegenwart empfangen könnet. Ihr werdet dadurch viel besser die wunderbaren Wirkungen erkennen, welche mit diesem Sakramente verbunden sind, und Euch desto mehr in den Stand setzen, sie von Gott zu empfangen.

Der heilige Apostel Iakobus beschreibt die Kraft dieses Sakraments mit folgenden Worten: „Wird Iemand unter Euch krank, so rufe er die Priester der Kirche, diese sollen über ihn beten und ihn mit Oel salben im Namen des Herrn. Und das Gebet des Glaubens wird dem Kranken helfen, der Herr wird ihn erleichtern, und wenn er in Sünden ist, werden sie ihm vergeben werden.“

Ia, die heilige Oelung, welche wir Euch zu geben bereit sind, wird die noch nicht ganz abgebüssten Sünden, ia die geringsten Flecken der Sünde durch die Vermehrung der heiligmachenden Gnade, die sie kraft der Einsetzung dieses Sakraments und durch die Verdienste Iesu Christi hat, in Eurer Seele auslöschen; sie wird die Wiederherstellung Eurer Gesundheit befördern, wenn es zu Eurem Seelenheil nützlich ist: und sollte es Gott dem Herrn nicht gefällig seyn, Euch von dieser Krankheit zu befreien; so wird sie Eure Seele trösten und durch ein lebhaftes Vertrauen auf Gottes Barmherzigkeit stärken — ein Vertrauen, welches Euch hilft, die Beschwerden und Schmerzen Eurer Krankheit geduldig zu ertragen, die Furcht des Todes zu überwinden, und allen Anfechtungen des Satans zu widerstehen.

Erinnert Euch aber an das, was der heil. Apostel Iakobus sagt: das Gebet des Glaubens wird dem Kranken helfen, das ist: die von Christus diesem Sakramente mitgetheilten Gnaden müssen bei Euch einen festen Glauben antreffen, der von allem Wankelmuth und Zweifel frei ist. Fasset daher Eure Kräfte zusammen, und fallet im Geiste Eurem Heiland zu Füssen. Bereuet aus innigster Liebe zu Ihm alle Sünden Eures verflossenen Lebens, bittet Ihn demüthig um Verzeihung, und erwecket

Oremus et deprecemur Dominum nostrum Iesum Christum, ut benedicendo benedicat ✝ hoc tabernaculum et omnes habitantes

bei ieder Salbung Reue, besonders über iene Sünden, welche Ihr mit dem Sinne, der gesalbt werden wird, begangen habet. Bittet zugleich diesen göttlicheu Erlöser, dass er Euren Tod zur Abbüssung Eurer Missethaten annehmen wolle, und sprechet mit aufrichtigem und recht dankbarem Herzen für seine unendlichen Erbarmungen: Ich mag leben oder sterben, so will ich Dein seyn, o göttlicher Iesu!

Finita exhortatione interrogabit infirmum, nisi vis morbi aliud suaderet:

S. Glaubet Ihr Alles, was die katholisch-apostolisch-römische Kirche glaubet, und wollet Ihr in diesem Glauben sterben?

℟. Ia, Euer Ehrwürden.

S. Bittet Ihr auch Gott um Verzeihung aller Sünden Eures vergangenen Lebens, und nehmet Ihr zur Abbüssung Eurer Sünden willig an die Schmerzen und Beschwerlichkeiten Eurer Krankheit, ia den Tod selbst, wenn Gott Euch denselben zuschicken will?

℟. Ia, Euer Ehrwürden.

S. Seyd Ihr auch gänzlich entschlossen, wenn es Gott gefällig wäre, Euch wieder aufzuhelfen, fortan frommer zu leben, als Ihr bisher gethan?

℟. Ia, Euer Ehrwürden.

S. Setzet Ihr auch all Euer Vertrauen auf das Leiden und Sterben, wie auch auf die Verdienste Iesu Christi; und glaubet Ihr fest, dass Er Euer Seelenheil wahrhaft verlange?

℟. Ia, Euer Ehrwürden.

S. Danket Ihr auch Eurem Gott und Herrn für alle Gnaden, die Er Euch die Zeit Eures Lebens und auch noch in dieser Eurer Krankheit durch die heiligen Sakramente der Kirche mitgetheilt hat; und wollet Ihr, um Ihm Eure Dankbarkeit zu erzeigen, Ihn von ganzem Herzen, von ganzer Seele und aus allen Kräften lieben?

℟. Ia, Euer Ehrwürden.

S. So vereiniget Euer Gebet mit dem unsrigen.

Gebet des Kranken.

Ich glaube Alles, was die einige, heilige, katholische und apostolische Kirche glaubt und bekennet, und will in diesem Glauben leben und sterben.

Ich bereue alle Sünden meines ganzen vorigen Lebens, weil ich Dich, o Gott! das höchste Gut damit beleidigt habe, und bin bereit, zur Abbüssung meiner Missethaten die Beschwerden und Schmerzen meiner Krankheit, ia den Tod selbst, wenn Du mir ihn zuschickest, willig anzunehmen.

Sollte es Dir aber gefallen, mir von meiner Krankheit aufzuhelfen, so bin ich entschlossen, meine noch übrige Lebenszeit in gewissenhafter Erfüllung aller meiner Pflichten zuzubringen.

Ich habe auch das Vertrauen, dass Du Deinem niedergebeugten, reuevollen Diener volle Vergebung der Sünden und den Trost des ewigen Lebens schenken, den Schwachen stärken, und dem Sterbenden den Uebergang in die Ewigkeit erleichtern werdest.

In diesem Vertrauen will ich ietzt die heilige Oelung empfangen.

Tum vertens se ad circumstantes dicet:

Und Ihr, liebe Christen, betet auch für diesen Kranken (oder diese Kranke) und seyd beflissen, so zu leben, wie Ihr wünschtet gelebt zu haben, wenn man Euch dieses Sakrament mittheilen wird.

in eo, et det eis Angelum bonum custodem et faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua: avertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine et ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre etc.

Oremus. Exaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens aeterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc tabernaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.[1])

Quae Orationes, si tempus non patiatur, ex parte vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta Confessione generali, latino vel vulgari sermone Sacerdos dicat: Misereatur tui etc. Indulgentiam etc.

Antequam Parochus incipiat ungere Infirmum, moneat adstantes ut pro illo orent; et ubi commodum fuerit, pro loco et tempore et adstantium numero vel qualitate, recitent septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis vel alios Preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat.[2]) Mox dicat: In nomine Patris ✝ et Filii ✝ et Spritus ✝ Sancti extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum et per invocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Deinde intincto pollice in oleo sancto in modum crucis ungit Infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formae in hunc modum.[3])

Ad oculos. Per istam sanctam Unctionem etc. quidquid per visum deliquisti. Amen.

Minister vero si est in sacris vel ipsemet Sacerdos post quamlibet Un-

---

1) Agenda Monast. ex his tribus Collectam unam retinet: Exaudi etc.

2) Agenda Monast. Interroget Parochus num velit hoc Sacramentum in fide ecclesiae Catholicae percipere, quo dicente Volo tunc ad Confessionem hortetur etc. cf. p. 316. Recitatis Precibus ac Litaniis ac praemissis quibusdam versiculis, orat Sacerdos: Deus qui Ezechiae famulo tuo ter quinos annos ad vitam donasti, ita et hunc famulum tuum a lecto aegritudinis tua potentia erigat ad salutem (occur. et in Sacr. Gregor.), dein: Respice Domine famulum tuum etc. ut infra. Porro: In nomine Patris etc. ut supra. Rituale Trevir. post Litanias ac Versiculos ponit Collectas: Deus qui Ezechiae etc. Respice Domine etc. Domine Deus, qui per Apostolum tuum Iacobum etc. Hic dicatur a ministris Confiteor, quo dicto ab ipso quoque aegroto, Sacerdos versus illum dicat: Misereatur etc. et Indulgentiam. Dein: In nomine etc. ut supra.

3) Instante morte si dubitetur, Infirmum priusquam absolvatur extrema Unctio, moriturum, potest Sacerdos unicam partem ungere sub formula quinque sensuum, etiam sine consueto signo crucis. (Per istam etc. quidquid per Visum, Auditum, Odoratum, Gustum et Locutionem, Tactum et Gressum deliquisti.. Amen.) Ordo membrorum non est necessarius necessitate Sacramenti sed praecepti.

ctionem tergat loca inuncta globula bombacii vel rei similis eaque in vase mundo reponat et ad ecclesiam postea deferat, comburat cineresque proiiciat in sacrarium.

Ad aures. — — per auditum deliquisti.[1])

Ad nares. — — per odoratum deliquisti.[2]).

Ad os compressis labiis. — — quidquid per gustum et locutionem deliquisti.[3])

Ad manus. — — per tactum deliquisti.

Ad pedes. — — per gressum deliquisti.[4])

Ad lumbos sive renes. — — quidquid per lumborum delectationem deliquisti cf. p. 322.[5])

Quibus omnibus peractis Sacerdos dicit: Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non opponat nocere ei. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Domine Deus, qui per Apostolum tuum Iacobum etc. cf. p. 310.

Oremus. Respice quaesumus Domine famulum tuum N. in infirmitate corporis sui fatiscentem et animam refove quam creasti: ut castigationibus emendatus se tua sentiat medicina salvatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.[6])

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: qui benedictionis tuae gratiam aegris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem tui nominis

---

1) Scilicet in lobulo vel ima auricula, non in heliće vel in alveolo eiusdem, ut facilius tergi possit.

2) Nempe ad narices, quae sunt nasi alae laterales, ad evitandam sternutationem, qui aliter faciendo facile oriretur.

3) Sed si Infirmus non audiret, et esset in agone positus ore hianti, tunc Sacerdos non debet curare, ut labia comprimantur, ne clauso ore respiratio intercludatur, sed sufficit ut labium seu superius seu inferius ungat ad libitum suum.

4) Fieri solet ad metatarsum pedis. Si vero Infirmus non valeat pedes movere prae laxitudine ex morbo proveniente, ungatur ea pars quae commode magis prostat.

5) Apud nonnullos: — — quod per ardorem libidinis deliquisti. Agenda Monast. nullam facit lumborum mentionem, aeque atque Rituale Trevirense.

6) Legitur in Sacram. Gregor. infirmitate laborantem — emendata — continuo se tua m. s. salvatam.

benignus assiste, ut famulum tuum ab aegritudine liberatum et sanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque ecclesiae tuae sanctae cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad extremum, pro personae qualitate, salutaria monita breviter praebere poterit, quibus Infirmus ad moriendum in Domino confirmetur et ad fugandas daemonum tentationes confirmetur.

Denique aquam benedictam et Crucem nisi aliam habeat, coram eo relinquet, ut illam frequenter adspiciat et pro sua devotione osculetur et amplectatur.[1])

---

1) Rituale Trev. post unctionem singulorum membrorum facit Sacerdotem orantem: Deus qui humano generi et salutis remedium et vitae aeternae munera contulisti, conserva famulo tuo tuarum dona virtutum, ut medelam tuam non solum in corpore sed etiam in anima sentiat. Porro: Exaudi nos Domine sancte etc. ut p. 326. Finem facit exhortatio vernaculo sermone: Ihr habet nun die Heilsmittel empfangen, welche unser Erlöser Iesus Christus zum Besten der Kranken eingesetzet hat. Der Gedanke an Gottes Erbarmungen und die Ewigkeit soll nun Eure vorzüglichste Beschäftigung seyn. Die Güter der Erde, ia das Leben selbst muss Euch gering erscheinen in Vergleich mit dem Himmel, den Gott Euch zu geben bereit ist, wenn Ihr Ihm bis in den Tod getreu bleibet. Diesen beharrlichen Willen von Gott zu erhalten, benutzet wohl die Euch geschenkte Zeit, und verabscheuet die Sünden Eures vorigen Lebens, erwecket zuweilen den Glauben, die Hoffnung und die Liebe zu Gott, setzet Euer gänzliches Vertrauen auf Iesus Christus, und ergebet Euch ohne Ausnahme in seinen heiligsten Willen. Betet an die Absichten und Fügungen Gottes über Euch, und sprechet mit einer gleichförmigen Gesinnung, wie Christus in seiner geheimnissvollen Todesangst im Oelgarten ausgerufen hat: Vater, dein Wille geschehe, nicht der meinige.

Opfert Ihm nach Seinem Beispiele Eure Schmerzen und Leiden auf: denn wer mit Christo leidet, wird mit Ihm verherrlicht werden. Können wohl vergängliche Schmerzen, die Bitterkeiten und Betrübnisse dieses Lebens, in Vergleich kommen mit der ewigen Belohnung, welche den Nachfolgern Iesu Christi des Gekreuzigten versprochen ist? Sehet da dieses Vorbild aller christlichen Gerechtigkeit (hic ei ostendit imaginem Christi Crucifixi); sein heiliges Kreuz, welches ich in Euren Händen lasse, ist aller Menschen Hoffnung und in's Besondere die Eurige: es ist das kostbarste Unterpfand der Liebe, die Er zu Euch hegt. Was dürfet Ihr nicht hoffen von der Barmherzigkeit dieses göttlichen Heilandes, wenn Ihr betrachtet, was Er für Euch gelitten hat? Sprechet mit dem grossen Apostel Paulus und mit dem nämlichen Vertrauen: Ich lebe in dem Glauben an den Sohn Gottes, der mich geliebet, und sich selbst für mich in den Tod hingegeben hat. Küsset mit Ehrfurcht dieses Schmerzenbild, betrachtet seine heilige Wunden als einen sichern Schutz in Euren Schwachheiten; wenn Ihr Eure Zuflucht zu demselben nehmet, so habet Ihr die Macht des bösen Feindes nicht zu fürchten. Fallet mit frommer Begierde in die Arme Eures Erlösers, die Er ausstrecket, Euch zu umfangen, zu trösten, zu schützen und nach diesem Leben in die himmlischen Freuden aufzunehmen, wenn Ihr in Seiner Liebe verscheidet. Tum ori infirmi admovens Crucem ipsique deosculandam praebens, dicit: Ihr hoffet ia, Gott werde Euch durch die Verdienste Christi Eures Heilandes Barmherzigkeit erzeigen? ℟. Ia, Euer Ehrwürden. S. Ihr wollet Ihn ia auch lieben bis an den letzten Augenblick Eures Lebens? ℟. Ia, Euer Ehrwürden.

Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi ut, si morbus ingravescat, vel Infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant, ut morientem adiuvet eiusque animam Deo commendet: sed si mors immineat priusquam discedet, animam rite commendabit.[1])

V. MODUS IUVANDI MORIENTES ET ORDO COMMENDATIONIS ANIMAE.[2])

Ex Rituali Romano.

— — Si periculum immineat, statim commendationis animae officium praestabit, de quo infra. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia praestare poterit, si ita expedire iudicaverit: pro conditione personae.

Ac primo, si aegrotus indulgentiam legitima auctoritate concessam consequi possit, eam illi reducet ad mentem, proponatque quid ad eam consequendam agi debeat; praesertim ut contrito corde sanctissimum nomen Iesu semel vel saepius invocet.

Deinde hortetur Infirmum et excitet, ut dum mente viget, eliciat actus fidei, spei et caritatis aliarumque virtutum, nempe:

Ut firmiter credat omnes articulos fidei et quidquid S. Romana ecclesia Catholica et Apostolica credit et docet.

Ut speret, Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium et merito eius sanctissimae Passionis et per intercessionem beatae Mariae et omnium Sanctorum se vitam aeternam consecuturum.

Gebet des Kranken. O Gott des Trostes! lass das Gebet des Priesters und das meinige nicht vergeblich seyn. Lass, ich flehe dich an, diese heilige Salbung ein Zeichen zu meiner Genesung, oder wenn diess dein Wille nicht ist, ein Zeichen zu meiner Seligkeit seyn. Lass mich, der ich ietzt mit dem heiligen Oele gesalbt und gereinigt bin, auch einst unter die Zahl deiner Auserwählten kommen. Amen. Et mox Cruce signans eum, dicet: Der Vater ✝ der Barmherzigkeit und Gott alles Trostes erhalte und stärke Euch in dieser heiligen Bereitwilligkeit, die Er selbst Euch eingegeben hat. ℟. Amen, das wolle Gott.

1) Gerber Historie der Kirchen-Ceremonien p. 517: — Es wird dem Kranken ein Crucifix vorgehalten, welches noch fast das Beste ist, wenn sie nur den Sterbenden auch recht unterrichteten, dass er nicht auf das Bild sehen solle, sondern vielmehr auf den, den es vorstelle, Christum den Gekreuzigten. Lutherus schreibt. T. V. Altenb, f. 776 „Es ist eine gute Weise gewesen, dass man hat den Sterbenden ein hölzern Crucifix fürgehalten, oder in die Hand gegeben, daran sie sich des Herrn Christi Leidens und Sterbens erinnert und getröstet haben.“

2) Vox Commendandi iam apud antiquos propria est in memoria Defunctorum. Concil. Milevit. II. c. 12, Concil. Carthag. III. c. 29 „Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, seu clericorum seu ceterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt iam pransi inveniantur.“

Ut toto corde diligat et maxime diligere cupiat Dominum Deum ea dilectione, qua illum diligunt Beati Sanctique omnes.

Ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensa, qualitercumque contra Dominum Deum et proximum commissa.

Ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoque modo fuerint molesti aut inimici.

Ut ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis aut factis offendit.

Ut quem patitur dolorem et morbi molestiam propter Deum in poenitentiam peccatorum suorum patienter toleret.

Ut si Dominus sibi salutem corporis praestare dignabitur, proponat de cetero pro viribus suis a peccatis cavere et eius mandata servare.

Hortetur praeterea ut eo modo quo potest saltem ex corde ita per intervalla precetur:[2])

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

In te Domine speravi, non confundar in aeternum.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.[1])

Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina.

Esto mihi Domine in Deum protectorem.

Deus propitius esto mihi peccatori.

Dulcissime Domine Iesu Christe, per virtutem sanctissimae Passionis tuae recipe me in numerum electorum tuorum.

Domine Iesu Christe, suscipe spiritum meum.

Maria mater gratiae, mater misericordiae, Tu nos ab hoste protege Et hora mortis suscipe.

Sancte Angele Dei, mihi custos assiste.

Omnes sancti Angeli et omnes Sancti intercedite pro me et mihi succurrite.

Ordo commendationis Animae.

Parochus ad decedentis animae commendationem accedens, Clericum saltem unum, si potest secum habeat, qui deferat vasculum aquae benedictae, superpelliceum et stolam violaceam, quibus ipsi Sacerdos ante Infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens dicat: Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea. Deinde aspergat agrotum, lectum et circumstantes aqua benedicta, dicens: Asperges me etc.

---

1) Agenda Monaster. 1713 prolixiores orationes continet ad Iesum Christum, ad S. Michaelem, ad reliquos Angelos, ad SS. Patronos.

2) Lutherum moribundum haec verba pie atque devote recitasse neminem fugit.

Postea Salvatoris nostri crucifixi imaginem aegroto osculandam praebeat,[1] verbis efficacibus eum ad spem aeternae salutis erigat ipsamque imaginem coram eo ponat, ut illam adspiciens salutis suae spem sumat.

Deinde accensa candela,[2] genibus flexis cum omnibus circumstantibus breves Litanias devote recitet in hunc modum.[3]

Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson.

Sancta Maria	Ora pro eo.
Omnes sancti Angeli et Archangeli	Orate pro eo.
Sancte Abel	Ora pro eo.
Omnis chorus iustorum	Ora pro eo.
Sancte Abraham	Ora pro eo.
Sancte Ioannes Baptista	Ora pro eo.
Sancte Ioseph	Ora pro eo.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae	Orate pro eo.
Sancte Petre, S. Paule, S. Andrea, S. Ioannes	Ora pro eo.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae	Orate pro eo.
Omnes sancti Discipuli Domini	Orate pro eo.
Omnes sancti Innocentes	Orate pro eo.
S. Stephane, S. Laurenti	Ora pro eo.
Omnes sancti Martyres	Orate pro eo.
S. Sylvester, S. Gregori, S. Augustine	Ora pro eo.
Omnes sancti Pontifices et Confessores	Orate pro eo.
S. Benedicte, S. Francisce	Ora pro eo.
Omnes sancti monachi et eremitae	Orate pro eo.
S. Maria Magdalena, S. Lucia	Ora pro eo.[4]
Omnes sanctae Virgines et Viduae	Orate pro eo.
Omnes Sancti et Sanctae Dei	Intercedite pro eo.

Propitius esto Parce ei Domine.

---

1) Placebit, quod praescribit Codex Floriacensis apud Martenium: Porrigatur ei crux et osculetur eam et textus (sc. bibliorum) et dicatur ei: Ecce lex tua. — Plurimos Sanctos devotissime in osculo Domini mortuos esse, demonstrant eorundem Acta. Unam sufficiat exemplum S. Wolbodeni Episcopi Leodiensis. Acta Sanct. Boll. April. II. p. 860 „Crucem dominicam accepit in manibus et mira dulcedine, affectu inexplebili diu complectens pedesque Crucifixi, manus et latus exosculans, Christo Spiritum crucifixo reddidit."

2) Difficile est ad credendum, quod a nonnullis refertur, iam apostolos crucem et candelae ritum adhibuisse in obitu S. Marthae, hospitae Christi.

3) In antiquis membranis has Litanias vidisse testatur Gavantus, exceptis nominibus quorundam Sanctorum. Benedictus XIII superaddidit die Decembr. 19 anni 1726 nomen S. Ioseph. In Agenda Monaster. desunt hae Litaniae breves: commendatur Litania de sanctissimo nomine Iesu.

4) Rit. Trevirense addit S. Catherinam ac S. Theclam.

Propitius esto Libera eum Domine.

Propitius esto, Ab ira tua, A periculo mortis, A mala morte, A poenis inferni, Ab omni malo, A potestate diaboli: — Libera eum Domine.

Per nativitatem tuam, Per crucem et passionem tuam, Per gloriosam resurrectionem tuam, Per admirabilem adscensionem tuam, Per gratiam Spiritus Sancti paracliti, in die iudicii: — Libera eum Domine.

Peccatores, te rogamus audi nos. Ut ei parcas, te rogamus audi nos. Kyrie eleïson, Christe eleïson, Kyrie eleïson.

Deinde cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes ·

Proficiscere anima Christiana[1]) de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit: in nomine Iesu Christi, Filii Dei vivi, qui pro te passus est: in nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est: in nomine Angelorum et Archangelorum: in nomine Thronorum et Dominationum: in nomine Principatuum et Potestatum: in nomine Cherubim et Seraphim: in nomine Patriarcharum et Prophetarum: in nomine sanctorum Apostolorum et Evangelistarum: in nomine sanctorum Martyrum et Confessorum: in nomine sanctorum Monachorum et Eremitarum: in nomine sanctarum Virginum et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei: hodie sit in pace locus tuus et habitatio tua in sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. [1])

Deus misericors, Deus clemens, Deus qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccatum poenitentium deles et praeteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum N. et remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum vel quidquid diabolica fraude violatum est: et unitati corporis ecclesiae membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemituum, miserere lacrimarum eius et non habentem fiduciam nisi in tua misericordia, ad tuae sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, carissime frater, et ei cuius es creatura: ut cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terrae formaverat, revertaris. Egredienti itaque animae tuae de corpore splendidus

---

1) Baruffaldus: Vere terribilis denuntiatio, ad quam morientes bonis sensibus praeditos non raro vidi contremiscere et gelido sudore perfundi.

2) Memoratu dignum est Mariam, morientium Catholicorum hominum primariam patronam, in Ordine commendationis praeter Litanias non invocari. Rituale Taurinense anno 1689 editum quinque exhibet orationes Marianas, quas penitus ignorat Romanum.

Angelorum coetus occurrat: iudex Apostolorum senatus adveniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet; iubilantium te Virginum chorus excipiat: et beatae quietis in sinu Patriarcharum te complexus adstringat: mitis atque festivus Christi Iesu tibi adspectus appareat, qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in aeternae noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus et dissipentur inimici eius: ut fugiant qui oderunt eum a facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei; et iusti epulentur et exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur et erubescant omnes tartareae legiones et ministri Satanae iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab aeterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra paradisi sui semper amo ena virentia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et praesens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis divinae dulcedine potiaris in saecula saeculorum. Amen.[1])

Suscipe Domine servum tuum in locum sperandae sibi salvationis a misericordia. Hic et ad sequentes preces respondetur. Amen.

Libera Domine animam servi tui ex omnibus periculis inferni et de laqueis poenarum et ex omnibus tribulationibus.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Henoch et Eliam de communi morte mundi.

Libera Domine animam servi tui sicut liberasti Noë de diluvio.

Libera etc. sicut liberasti Abraham de Ur Chaldaeorum

Libera etc. sicut liberasti Iob de passionibus suis.

Libera etc. sicut liberasti Isaac de hostia et de manu patris sui Abrahae.

Libera etc. sicut liberasti Lot de Sodomis et de flamma ignis.

Libera etc. sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis, regis Aegyptiorum.

---

1) Haec oratio Commendo te etc. est integra epistola Petri Damiani, quam scripsit amico morienti.

Libera etc. sicut liberasti Danielem de lacu leonum.

Libera etc. sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis.

Libera etc. sicut liberasti Susannam de falso crimine.

Libera etc. sicut liberasti David de manu regis Saul et de manu Goliae.

Libera etc. sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus.

Et sicut beatissimam Theclam virginem et martyram tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam huius servi tui et tecum facias in bonis congaudere coelestibus.[1])

Commendamus tibi Domine animam famuli tui N. precamurque te Domine Iesu Christe, Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam non a diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero: quia non est alius Deus praeter te et non est secundum opera tua. Laetifica Domine animum eius in conspectu tuo et ne memineris iniquitatum eius antiquarum et ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non negavit sed credidit et zelum Dei in se habuit et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Delicta iuventutis et ignorantias eius, quaesumus, ne memineris Domine: sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuae. Aperiantur ei coeli, collaetentur illi Angeli. In regnum tuum Domine servum tuum suscipe. Suscipiat eum S. Michael Archangelus Dei, qui militiae coelestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei et perducant eum in civitatem coelestem Ierusalem. Suscipiat eum beatus Petrus Apostolus, cui a Deo claves regni coelestis traditae sunt. Adiuvet eum S. Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo S. Ioannes electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia. Orent pro eo omnes S. Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti et electi Dei, qui pro Christi no-

1) Brev. Roman. die XXIII Sept. „— — B. Thecla, cum eam parentes, quod Christiana esset accusassent, in ardentem rogum; qui nisi Christo renuntiasset ei paratus erat, prius signo crucis armata se ipsam iniecit. Sed igne pluvia, quae repente exorta est extincto, Antiochiam venit: ubi feris obiecta, et tauris in diversa incitatis alligata, mox coniecta in fossam plenam serpentibus ex omnibus Iesu Christi gratia liberatur.“ Tria atrocissima tormenta, si quid video, fuerunt **ignis**, **ferae**, **serpentes**, non, ut placuit Baronio **ignis**, **theatrum**, **bestiae**. — Rituale Trevir.: — — **tuam de tormentis liberasti.**

mine tormenta in hoc saecula sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni coelestis: praestante Domino nostro Iesu Christo. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Si vero diutius laborat anima poterit legi super eum hoc Evangelium S. Ioannis.

C. XVII. Sublevatis oculis etc. — ut dilectio, qua dilexisti me in ipsis sit et ego in ipsis.

Passio Domini nostri Iesu Christi secundum Ioannem. Cap. XVIII et XIX.

Oratio ad Dominum Iesum Christum de singulis articulis Passionis eius, dicenta a moriente vel ab alio pro eo. ℣. Adoramus te Christe et benedicimus tibi. ℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Iudaeis reprobari, a Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari. Tu Domine per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me (famulum tuum) a poenis inferni et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre etc.

Dici praeterea possunt sequentes Psalmi: CXVII. Confitemini Domino quoniam bonus. CXVIII Beati immaculati et Retribue servo tuo.

Tres piae et utiles morientibus Orationes cum tribus Pater Noster et tribus Ave Maria in agone mortis recitandae. Primo dicitur Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Ave Maria.[1])

---

1) Fertur de his tribus orationibus (quae in nonnullis Ritualibus prorsus omittuntur) narratio quaedam, nec tamen confirmatur auctoritate ecclesiae. „Erat quidam Papa qui dum ad extrema venisset, interrogabat Capellanum suum, virum idoneum et devotum, quem plurimum diligebat, quibus suffragiis post mortem eum vellet apud Deum iuvare. Qui respondit: quod omnibus modis, quibus posset et quaecumque iuberet pro salute animae suae facere vellet. Et Papa ait: Non peto aliquod abs te subsidium nisi dum videris, me in agonia positum, dominicam orationem pro me tribus vicibus dicas: qui sibi libentissime promisit hoc. Ad quem Papa: Cum primum Pater Noster dixeris, dic in memoriam agoniae Domini nostri Iesu Christi. Cum secundum PN., dic in memoriam omnium passionum Domini nostri I. C. Cum dixeris tertium PN., dic in honorem ineffabilis caritatis D. N. I. C. His dictis Capellanus pro-

Domine Iesu Christe, qui per tuam sanctissimam agoniam et orationem, qua orasti pro nobis in monte Oliveti, quando factus est sudor tuus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram: obsecro te, ut multitudinem sudoris tui sanguinei, quem prae timoris angustia copiosissime pro nobis effudisti, offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum huius famuli tui N. et libera eum in hac hora mortis suae ab omnibus poenis et angustiis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre etc.

Secundo dicitur: Kyrie eleïson etc. Domine Iesu Christe, qui pro nobis mori dignatus es in cruce, obsecro te, ut omnes amaritudines passionum et poenarum tuarum quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, maxime in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore suo, offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima huius famuli tui N. et libera eum in hac hora mortis ab omnibus poenis et passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre etc.

Tertio dicitur: Kyrie eleïson etc. Domine Iesu Christe, qui per os Prophetae dixisti: In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans: obsecro te, ut eandem caritatem tuam, quae te de coelis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima huius famuli tui N. et libera eum ab omnibus passionibus et poenis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Et salva

---

misit haec omnia se libenter facturum, quod et fecit cum diligentia et devotione qua potuit. Post mortem reversus est Papa splendidus ad eum et coruscans, grates immensas sibi referens et dicens, ab omni poena se esse liberatum. Nam post primum P. N. Dominus noster Iesus Christus sudorem suum sanguineum pro me Patri ostendens, omnem meam propulsavit angustiam. Post secundum P. N. per amaritudinem omnium passionum suarum omnia peccata mea ut nubem delevit. Post tertium P. N. per caritatem suam coelos reseravit et me cum gaudio introduxit.“ Docet tamen fabula quod docet integer Ordo Commendationis, Christum crucifixum morientibus ostendi ac commendari unicam causam, unicum fontem salutis. Vix fidem habebunt, ex quorum opinione Romanae ecclesiae puppis et prora est Sanctorum invocatio. Alzogius (Universalgesch. der Christl. K. Ed. 3. p. 822) ex Agenda Gnesnensi anno 1503 edita haec exscripsit: — — Und zu den Sterbenden sagte man: Glaubest Du, dass Du nicht anders selig werden und in das ewige Leben eingehen kannst, als durch das Verdienst des Leidens unseres Herrn Iesu Christ? Ia. Setze also Deine ganze Hoffnung und Vertrauen auf dies bittre Leiden und den Tod Christi. Diesem Tode übergieb Dich ganz und zweifle und verzage nicht an Gottes Barmherzigkeit. Auf nichts Anders musst Du vertrauen. Mit dem alleinigen Tode Christi musst Du Dich bedecken, darin einwickeln und zu ihm hinfliehen u. s. w.

animam eius in hac hora exitus sui. Aperi ei ianuam vitae et fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria aeterna. Et tu piissime Domine Iesu Christe qui redemisti nos pretiosissimo sanguine tuo, miserere animae huius famuli tui et eam introducere digneris ad semper virentia et amoena loca Paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, qui a te et ab electis tuis numquam separari potest. Qui cum Patre etc.

In exspiratione.

Cum vero tempus exspirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus flexis genibus vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens si potest dicat, vel si non potest assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet: Iesu, Iesu, Iesu. **Quod et ea quae sequuntur, ad illius aures si videbitur etiam saepius repetat** In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Sancta Maria ora pro me. Maria mater gratiae etc. ut p. 330.[1])

Tunc ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana parochialis ecclesiae aliquibus ictibus ad significandum fidelibus in urbe, vel loco aut extra in suburbariis existentibus instantem mortem exspirantis aegroti, ut pro eo Deum rogare possint.[2])

Egressa anima de corpore statim dicatur hoc Responsorium: Subvenite Sancti Dei, ocurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius offerentes eam in conspectu altissimi.[3]) ℣. Suscipiat te Christus qui vocavit te et in sinum Abrahae Angeli deducant te. ℟. Suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectum Altissimi. ℣. Requiem aeternam dona eis Domine et lux perpetua luceat eis. Offerentes eam in conspectu Altissimi. Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Requiem aeternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace.

---

1) Caerimoniale monasticum Benedictinum „Cum tempus exspirationis imminere cernitur, supponatur morienti de cineribus in capite ieiunii benedictis et aliquod ictibus pulsetur campanula in claustro et praesentes, demissis in terram genibus vehementius orationi instent: ipse vero moriens si potest, aut Superior aut alius pro eo pronuntiabit clara voce Iesu, Iesu, Iesu, quod nomen ad illius aures, si videbitur, geminabunt.

2) Instituta est aliquibus in locis pia Confraternitas nuncupata Agonizantium, cui qui associantur tenentur recitare, nonnullas preces in actu transitus alicuius fidelis ex hac vita: atque ideo solet dari signum conveniens et statutis ictibus, ut fideles noscant, illud esse signum pro agone morientis.

3) Legitur versiculus in Antiphonario Gregoriano.

℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Tibi Domine commendamus animam famuli tui N. ut defunctus saeculo tibi vivat: et quae per fragilitatem humanae conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per.[1])

Interim detur campanae signum transitus defuncti pro loci consuetudine,[2]) ut audientes pro eius anima Deum precentur. Deinde corpus de more honeste compositum loci decenti cum lumine[3]) collocetur: ac parva Crux super pectus inter manus defuncti ponatur: aut ubi Crux desit, manus in modum Crucis componantur; interdumque aspergatur aqua benedicta et interim donec efferatur, qui adsunt sive Sacerdotes sive alii orabunt pro defuncto.

VI. DE EXEQUIIS.

Ex Rituali Romano.

— — Quod antiquissimi est instituti illud quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur.

Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro Defunctis praesente corpore celebrari poterit, dum tamen Conventualis missa et officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet.

Caveant omnino Parochi aliique Sacerdotes ne sepultura vel exequiarum seu anniversarii mortuorum officii causa quidquam paciscantur aut tamquam pretium exigant: sed iis eleemosynis contenti sint, quae aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit.[4])

---

1) Haec Oratio fluxit e Sacramentario Gregorii. Cod. Vatic. et si qua — — admisit: at perperam posita esse videtur in hoc sententia hypothesis.

2) Variis nominibus in diversis regionibus appellatur: Transitus, Extremum, Ave Maria mortuorum, Scheideglöcklein, Zügenglocke etc.

3) Lumen illud significat fidem defuncti, quae neque per mortem exstincta est. Amalar. de eccl. offic. I, c. 17. Porro indicat, animas vivere et defunctos esse filios lucis, nec non corpora eorum resurrectura.

4) Concil. Meld. c. 72. Nemo pro loco sepulturae pretium de terra concessa putredini quaerere et de alieno velle facere luctu compendium aliquo modo tentet. Si quando autem proximi vel haeredes sponte aliquid efferre in ecclesia voluerint, in eleemosyna defuncti accipere non vetamus, peti vero aut aliquid omnino prohibemus, ne (quod valde irreligiosum est) aut venalis dicatur ecclesia, aut de humanis mortibus videamur gratulari. Conc. Nannet. c. 6. De sepulcris et hominibus sepeliendis nihil muneris exigant, nisi forte qui sepelitur, vivens iusserit ecclesiae aliquid

— Pauperes vero, quibus mortuis nihil aut parum ita superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, Sacerdotes impendant, vel aliqua pia Confraternitas, si fuerit, iuxta loci consuetudinem. —[1])

Sepulcra Sacerdotum et Clericorum cuiuscunque ordinis, ubi fieri potest, a sepulcris laicorum separata sint ac decentiori loco sita: atque ita, ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacerdotibus, alii pro inferioris ordinis ecclesiae ministris paratae sint. — —

Laici cadaver, quolibet generis aut dignitatis titulo praeditus ille fuerit, Clerici ne deferant sed Laici.[2])

Corpora defunctorum in ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare maius: presbyteri vero habent caput versus altare — —[3])

Ignorare non debet Parochus, qui ab ecclesiastica sepultura ipso iure sunt excludendi. Negatur igitur ecclesiastica sepultura Paganis, Iudaeis et omnibus infidelibus, haereticis et eorum fautoribus, apostatis a Christiana fide, schismaticis et publicis excommunicatis, interdictis nominatim et iis qui sunt in loco interdicto, eo durante. Se ipsos occidentibus propter desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante obitum dederint signa poenitentiae.[4]) Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint poe-

---

tribuere. Tamen nullatenus a presbyteris aliquid exigatur, sive, ab illis qui locis et vicis praesunt. Concil. Tribur. c. 16 abhorrendum et Christianis omnibus devitandum morem appellat sepulturam mortuis debitam sub pretio vendere et gratiam Dei venalem facere. Quare, ait, interdictum sit omnibus Christianis terram mortuis vendere et debitam sepulturam denegare, nisi forte proximi et amici gratis aliquid donare velint.

1) Tertullian. Apolog. 39. Modicam unusquisque stipem menstrua die vel quum velit, vel si modo velit et si modo possit, apponit — — inde non epulis nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque.

2) Huiusce farinae praecepta quae prorsus ignoravit antiquitas gravissimas ob causas merentur reprehensionem. Binterim Denkw. VI, 3. p. 423 „Die Leiche des h. Paula wurde von mehreren Bischöfen getragen, Ambrosius trug mit noch einem Bischof die Leiche seines Bruders Satyrus, Gregor von Nyssa die seiner Schwester Macrina.“ Adde Sidonium Epp. 2, 8: Filimatia sacerdotum propinquorumque manibus excepta, perpetuis sedibus dormienti similior illata est. — Neque hodie in coemeteriis observatur quod praecedit de distinguendis sacerdotum laicorumque sepulcris praeceptum, perversum sane atque vere hierarchicum. Nuspiam dignior locus parari potest pastori quam inter oves suas a quibus neque mors quidem ipsum potest separare ac disiungere.

3) Adeo eminens est dignitas sacerdotalis, ut neque post mortem reticeri possit. Haec Baruffaldus. Quantopere mihi displiceat illa consuetudo, verba deficiunt quibus exprimam. Adnotavit tamen Mabillon, ante saeculum decimum sextum et laicorum et clericorum cadavera eadem ratione ante altare posuisse cf. Binterim l. c. p. 432.

4) Concil. Bracar. I. can. 34. — — qui aut per ferrum aut venenum aut suspendium aut quolibet modo violentam sibi ipsis inferunt mortem nulla pro iis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.

nitentiae signum.[1]) Manifestis et publicis peccatoribus, qui sine poenitentia perierunt. Iis de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperint Sacramenta Confessionis et Communionis in Pascha et absque ullo signo contritionis obierunt. Infantibus mortuis sine baptismo. Ubi vero in praedictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.[1])

Exequiarum ordo.

Constituto die, quo corpus ad ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus et alii qui funeri interesse debent et in Parochialem vel in aliam ecclesiam iuxta loci consuetudinem, ordine conveniant ac datis certis campanae signis eo modo et ritu quo in eo loco fieri solet, Parochus indutus superpelliceo et stola nigra, etiam pluviali eisdem coloris, clerico praeferente Crucem et alio Aquam benedictam, ad domum defuncti una cum aliis procedit. Distribuuntur cerei[2]) et accenduntur intortitia. Mox ordinatur Processio, praecedentibus laicorum confraternitatibus, si adsint: tum sequitur Clerus regularis et saecularis per ordinem binique procedunt, praelata Cruce, devote Psalmos decantantes,[3]) Parocho praecedente feretrum cum luminibus. Inde sequuntur alii funus comitantes et pro defuncto rite Deum deprecantes sub silentio.

Parochus vero, antequam corpus efferatur, illud adspergit aqua benedicta. Mox dicit Antiphonam: Si iniquitates observaveris etc. et Psalmum De profundis clamavi ad te Domine etc.[4]) et in fine Requiem aeternam dona eis Domine et lux perpetua luceat eis. Repetit Antiphonam totam Si iniquitates etc. Deinde corpus efferatur, Parochusque de domo pro-

1) Concil. Valentin. a. 853. c. 12 „In duello caesus tanquam sui homicida et propriae mortis spontaneus appetitor a dominicae oblationis commemoratione habeatur alienus, nec cadaver eius cum psalmis vel orationibus ad sepulturam deducatur.“ Doctores multi ampliaverunt nomen Duelli ad Torneamenta et ad pugnantes cum tauris in spectaculis, quibus si occurrat misere mori in tali pugna, signa poenitentiae nihil prosint et sepultura ecclesiastica est interdicta.

2) Baruffaldus: Atque in hoc casu difficultates et dubia semper in meliorem partem interpretanda sunt.

3) Chrysostomus: *Τί βούλονται αἱ λαμπάδες αἱ φαιδραί; οὐχ ὡς ἀθλητὰς τοὺς νεκροὺς περιπέμπομεν;*

4) Iam veteres Christianos psalmo et hymnis mortuos suos deduxisse notum est. Chrysostomus: *εἰπὲ γάρ μοι τί βούλονται οἱ ὕμνοι; οὐχὶ τὸν θεὸν δοξάζομεν καὶ εὐχαριστοῦμεν ὅτι λοιπὸν, ἐστεφάνωσε τὸν ἀποθανόντα, ὅτι τῶν πόνων ἀπήλλαξεν* etc., *οὐ διὰ τοῦτο ὕμνοι; οὐ διὰ τοῦτο ψαλμῳδίαι, ταῦτα πάντα χαιρόντων.* Concilium Arelatense apud Severinum Binium post. Concil. 3. Arelatense prohibuit in exequiis carmina profana et diabolica et subiungit: „Si quis cantare desideret Kyrie eleïson cantet.“

5) Bellarmin. in Psalm. 129: Psalmus De profundis ab ecclesia assignatus est ad levamen Defunctorum, quoniam precamur in persona animae in purgatorio detentae et omnia illi optime quadrant: nam et animae illae sunt in quodam profundo et ascendere cupiunt, exspectantes misericordiam Dei.

cedens statim gravi voce intonat Antiphonam Exultabunt Domino etc. et Cantores inchoant Psalmum Miserere mei Deus secundum magnam etc. Clero alternatim prosequente: ac si longitudo itineris postulaverit, dicantur alii Psalmi ex Officio mortuorum: et in fine uniuscuiusque Psalmi dicitur Requiem aeternam dona eis Domine etc. qui Psalmi devote, distincte gravique voce recitari debent usque ad ecclesiam.

Ad ingressum ecclesiae repetitur Antiphona Exultabunt Domino ossa humiliata. Deinde ecclesiam ingressi cantant Responsorium, Cantore incipiente et Clero alternatim respondente, videlicet: Subvenite Sancti Dei etc. usque ad Offerentes eam ut p. 337.

Deposito feretro in medio ecclesiae et cereis accensis circa corpus,[1]) statim nisi quid impediat, dicatur Officium mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus[2]) duo ex Clero incipiant absolute Invitatorium Regem cui omnia vivunt Venite adoremus, et Psalmus Venite adoremus etc. et duplicantur Antiphonae.

Ad finem officii post Antiphonam Cantici Benedictus etc. Ego sum resurrectio dicitur Pater Noster secreto. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eis. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Absolve quaesumus Domine animam famuli tui ab omni vinculo delictorum ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. Amen.[3])

---

1) Binterim l. c. p. 429 „Wenigstens vom 4ten Iahrh. an liess man die Leichen christlicher Fürsten, heiliger Bischöfe, frommer Laien und Frauen in die Kirche tragen und während des Messopfers ausstellen."

2) Officium Defunctorum continet Vesperas priores, tres Nocturnos ac Laudes. Vesperae. Psalm. 114. Dilexi quoniam. 129. Ad Dominum. 120. Levavi oculos. 129. De profundis. 137. Confitebor. Magnificat cum Antiphona et Collectas. Nocturnus primus. Ps. 5. Verba mea. 6. Domine ne in furore. 7. Domine Deus meus Lectio. I. Iob. VII, 16—21, Lect. 2. Iob. X, 1—7. Lect. 3. Iob. X, 8—12. Nocturnus secundus. Ps. 22. Dominus regit me. 24. Ad te Domine levavi. 26. Dominus illuminatio mea. Lect. 4. Iob. XIII, 22—28. Lect. 5. Iob. XIV, 1—6. Lect. 6. Iob. XIV, 13—16. Nocturnus tertius. Ps. 29. Expectans expectavi. 40. Beatus qui intelligit. 41. Quemadmodum desiderat. Lect. 7. Iob. XVII, 1—3, 11—15. Lect. 8. Iob. XIX, 20—27. Lect. 9. Iob. X, 18—22. Laudes. Ps. 50. Miserere mei. 64. Te decet hymnus. 65. Deus Deus meus. 66. Deus misereatur nostri. Canticum Ezechiae Isai. XXXIII. Ego dixi. Ps. 148. Laudate. 149. Cantate. 150. Laudate. Benedict. cum Antiphona, Psalmus De profundis ac precibus.

3) Sacr. Greg. Vat. Othob. Rat. absolve Domine animam — tui illius — inter Sanctos tuos resuscitatur.

Dum in Officio dicuntur Laudes Sacerdos cum ministris paratur ad celebrandam Missam sollemnem pro Defuncto si tempus congruens fuerit ut in die depositionis in Missali. 1)

Finita Missa Sacerdos deposita casula seu planeta et manipulo, accipit pluviale nigri coloris et Subdiaconus accipit Crucem et accedit ad feretrum et se sistit ad caput defuncti cum cruce, medius inter duos Acolythos seu ceroferarios cum Candelabris et candelis accensis: et omnes alii Clerici veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis et stant in circuitu feretri: tum sequitur Sacerdos cum Diacono et assistente aliisque ministris et facta reverentia altari sistit se contra crucem ad pedes Defuncti, retro adstantibus a sinistris duobus Acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, altero cum vase aquae benedictae et aspersorio, et Acolytho seu Clerico tenente librum, absolute dicit sequentem Orationem;

---

1) Ex plurimarum ecclesiarum lege nunc prohibentur Missae votivae de Requiem infra Octavam Ephiphaniae, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, infra Octavam Pentecostes, Corporis Christi, Nativitatis Domini. Conceditur tamen Missa sollemnis praesente funere omnibus per annum diebus, exceptis die Epiphaniarum, Pentecostes, Corporis Christi, Nativitatis Domini et a Feria 5 in Coena Domini usque ad Dominicam Paschatos inclusive. Irreligiosius est quod praescribit Missale Constantiense a. 1503 „Nota, in Paschae die missa pro defunctis non canitur nisi funus sit praesens.“ Missa in die Obitus seu Depositionis Defuncti. Introitus. Requiem aeternam dona eis Domine et lux perpetua luceat eis*. Te decet hymnus in Sion et tibi reddetur votum in Ierusalem: exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet*. Requiem aeternam. Oratio. Deus cui proprium est misereri semper et parcere cf. p. 299. Epistola. I. Thessal. IV, 12—17. Graduale. Requiem aeternam dona eis Domine et lux perpetua luceat eis. ℣. In memoria aeterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Tractus. Absolve Domine animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. Et gratia tua illis succurrente mereantur evadere iudicium ultionis et lucis aeternae beatitudine perfrui. Sequentia Dies irae, dies illa. Evangel. Ioann. XI, 21 — 27. Offertorium. Domine Iesu Christe, rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu, libera eos de ore leonis, ne absorbeat eos tartarus, ne cadant in obscurum: sed signifer sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisisti et semini eius. Hostias et preces tibi Domine laudis offerimus: tu suscipe pro animabus illis quarum hodie memoriam facimus: fac eos Domine de morte transire ad vitam quam olim promisisti Abrahae et semini eius. Secreta. Propitiare quaesumus Domine animae famuli tui N. pro qua hostiam laudis tibi immolamus, maiestatem tuam suppliciter deprecantes: ut per haec pia placationis officia pervenire mereatur ad requiem sempiternam. Communio. Lux aeterna lucebit eis Domine, cum Sanctis tuis in aeternum quia pius es. Requiem aeternam dona eis Domine et lux perpetua luceat eis. Postcommunio. Praesta quaesumus omnipotens Deus, ut anima famuli tui N. quae hodie de hoc saeculo migravit, his sacrificiis purgata et a peccatis expedita, indulgentiam pariter et requiem capiat sempiternam. — In die tertio, septimo et trigesimo depositionis Defuncti dicitur Missa ut super: sed mutantur Collectae.

Non intres in iudicium cum servo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quaesumus, tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianae commendat sed gratia tua illi succurrente, mereatur evadere iudicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo sanctae Trinitatis: qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.[1])

Deinde Cantore incipiente Clerus circumstans sequens cantet Responsorium: Libera me Domine de morte aeterna, in die illa tremenda: quando coeli movendi sunt et terra. Dum veneris iudicare saeculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira, quando coeli movendi sunt et terra. ℣. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde, dum veneris. ℣. Requiem aeternam dona ei Domine et lux perpetua luceat ei. ℣. Libera me.[2])

Dum cantatur praedictum Responsorium, Sacerdos, Acolytho seu Diacono ministrante, accipit incensum de navicula et ponit in thuribulum et finito Responsorio Cantor cum primo Choro dicit: Kyrie eleïson. **Et secundus Chorus respondet:** Christe eleïson. **Deinde omnes simul dicunt:** Kyrie eleïson.

Mox Sacerdos dicit alta voce Pater Noster **etc. et secreto dicitur ab omnibus: et ipse interim accipit a Diacono vel Acolytho aspersorium aquae benedictae et facta profunda inclinatione cruci, quae est ex adverso, Diacono seu ministro genuflectente et fimbrias pluvialis sublevante: circumiens feretrum (si transit ante Sacramentum genuflectit) aspergit corpus defuncti, deinde reversus ad locum suum, Diacono ministrante accipit thuribulum et eodem modo circumit feretrum et corpus incensat ut asperserat: postea reddito thuribulo ei a quo acceperat, stans in loco suo, Acolytho seu alio ministro tenente librum apertum ante se dicit** ℣. Et ne nos inducas in tentationem etc. ut p. 341.[3])

Oremus. Deus cui semper proprium est misereri et parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc saeculo migrare iussisti: ut non tradas eam in manus inimici ne-

---

1) Sacr. Greg. Vat. Othob. Rat. Domine illo. — quoniam. Rat. tribuatur ei. Othob. diem ultionis.

2) Binterim l. c. p. 434. Das ietzt gebräuchliche Libera me haben beinahe keine vor dem 10ten Iahrh. angefertigten Codices, selbst nicht einmal die Ordines Romani: doch kommt es vor in den Antiq. consuetud. Cluniacensibus und in dem Ritual des St. Eligius-Klosters; da iedoch hier nur die Aufangsworte Libera me mit einem etc. gesetzt werden, muss man schliessen, dass es in dem Benedictiner-Orden allgemein bekannt war.

3) Multae Agendae proprias Antiphonas adsignant aspersioni et incensationi v. c. Rore coelesti perfundat animam tuam Deus: in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. — Odore coelesti pascat animam tuam Deus: in nomine etc. —

que obliviscaris in finem, sed iubeas eam a sanctis Angelis suscipi et ad patriam paradisi perduci: ut quia in te speravit et credidit, non poenas inferni sustineat sed gaudia aeterna possideat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos in Oratione dicatur pro anima famuli tui Sacerdotis quam hodie etc.

Finita Oratione corpus defertur ad sepulcrum, si tunc deferendum sit et dum portatur Clerici cantant Antiphonam: In Paradisum deducant te Angeli: in tuo adventu suscipiant te Martyres et perducant te in civitatem sanctam Ierusalem. Chorus Angelorum te suscipiat et cum Lazaro quondam paupere aeternam habeas requiem.

Cum autem pervenerit ad sepulcrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem: Deus cuius miseratione animae fidelium requiescunt, hunc tumulum benedicere dignare, eique Angelum tuum sanctum deputa custodem, et quorum quarumque corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum Sanctis tuis sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.[1])

Dicta Oratione Sacerdos aqua benedicta adspergat, deinde incenset corpus defuncti et tumulum.

Quod si corpus tunc ad sepulturam non deferatur, omisso Responsorio In Paradisum etc. et benedictione sepulcri prosequatur Officium ut infra: quod nunquam omittitur et intonet Antiphonam. Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit vivet et omnis qui vivit et credit in me non morietur in aeternum. Et dicitur Canticum Benedictus. Et repetitur Antiphona Ego sum etc.

Postea Sacerdos dicit Kyrie eleïson. Christe eleïson, Kyrie eleïson. Pater noster etc. interim corpus aspergit. ℣. Et ne nos inducas in tentationem etc. ut p. 341.

Oremus. Fac quaesumus Domine hanc cum servo tuo misericordiam, ut factorum suorum in poenis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem: ut sicut hic eum vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum tua miseratio societ angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.[2])

℣. Requiem aeternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. Anima eius et ani-

---

1) Similis Collecta in Sacr. Gelasii et Gregorii. Deus — requiescunt, famulis tuis vel omnibus hic in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti sine fine laetentur.

2) Sacr. Greg. Vat. Othob. servo tuo defuncto. Othob. et quia hic.

mae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.[1])

Deinde a sepultura in ecclesiam vel in Sacristiam revertentes dicant sine cantu Antiphonam Si iniquitates cum Psalmo De profundis etc. Requiem aeternam dona eis Domine etc.[2])

De Exequiis Parvulorum.

In funere Parvulorum ut plurimum non pulsantur campanae: quod si pulsentur, non sono lugubri sed potius festivo pulsari debent. —

Infans[3]) induitur iuxta aetatem et imponitur ei corona de floribus seu de herbis aromaticis et odoriferis in signum integritatis carnis et virginitatis: et

1) Silentio praetermittit Rituale Romanum ritum grandis ac tremendae maiestatis: dico morem proiiciendi pulverem in loculum defuncti, iam in Rituali Eligiano commemoratum. Agenda Monaster. „Dum iam tumba est in sepulcro aspergat iterum tertio illam aqua benedicta, repetens: Rore coelesti etc. et pariter immittat aliquid super illam terrae, dicens: De terra plasmasti eum, pelle et carnibus vestiisti eum, resuscita eum in novissimo die. Quo peracto statim cooperiatur sepulcrum. Rituale August. 1587: Sacerdos proiiciat terram super funus ter dicendo: Sume terra quod tuum est, corpus de terra formatum est, spiritus deorsum inspiratus est. Memento homo quia cinis es et in cinerem reverteris. Similia observantur in Dioecesi Moguntina, Monacensi, Brixinensi etc. Apud quosdam Sacerdos, omnibus rite peractis, cruce lignea signat sepulcrum tribus in locis: in capite, in medio, et in pedibus dicens: Signum Salvatoris † Domini nostri Iesu Christi † super te, qui in hac imagine † redemit te, nec permittat introire (infigit crucem ligneam in capite sepulcri) angelum percutientem in aeternum.

2) Vetusta Ritualia iu multis ab hodierno discrepant, alios cani iubent Psalmos, alias Collectas etc. Nec hodie omnes Agendae eundem servant ritum. Duas tantum exscribimus Collectas, veneranda antiquitate insignes: sunt enim Sacramentarii Gelasiani „Deus, cui omnia vivunt et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius: te supplices exoramus, ut quidquid anima famuli tui vitiorum, tuae voluntati contrarium, fallente diabolo et propria iniquitate atque fragilitate contraxit, tu pius et misericors abluas indulgendo, eamque suscipi iubeas per manus sanctorum angelorum tuorum deducendam in sinum Patriarcharum tuorum, Abraham scilicet, amici tui, et Isaac electi tui et Iacob dilecti tui, ubi non est dolor, neque tristitia, neque suspirium; sed ubi fidelium animae felici iucunditate laetantur, et ut in novissimo magni iudicii die inter sanctos et electos eum facias perpetuae percipere gloriae portionem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam parasti diligentibus te. Per.“ — „Pio recordationis affectu, fratres carissimi, commemorationem faciamus cari nostri Ill. quem Dominus de tentationibus huius saeculi adsumpsit; obsecrantes misericordiam Dei nostri, ut ipse ei tribuere dignetur placidam et quietam mansionem, remittat omnes lubricae temeritatis offensas: ut concessa venia plenae indulgentiae, quicquid in hoc saeculo proprius error attulit, totum ineffabili pietate et benignitate sua compenset.“

3) Baluffardus: Communiter intelligitur ante septennium. Dari tamen potest casus, in quo malitia suppleat aetatem.

Parochus superpelliceo et stola alba indutus et alii de Clero, si adsint, praecedente Cruce, quae sine hasta defertur, accedunt ad domum defuncti, cum Clerico aspersorium deferente Sacerdos aspergit corpus: deinde dicit.

Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum.

Psalm. 112. Laudate pueri Dominum etc.

Sit nomen Domini benedictum etc.

Dum portatur ad ecclesiam dicatur Psalm. Beati immaculati in via et si tempus superest dici potest Psalmus Laudate Dominum de coelis cum aliis duobus sequentibus et in fine Gloria Patri.[1])

Cum autem pervenerint ad ecclesiam dicatur. Antiphona: Hic accipiet benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo quia haec est generatio quaerentium Dominum. Et dicitur Psalmus 23 Domini est terra etc. Repetitur Antiphona Hic accipiet.

Postea dicitur Kyrie eleïson, Christe eleïson, Kyrie eleïson, Pater Noster secreto; interim corpus aspergit. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Me autem propter innocentiam suscepisti. ℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. Omnipotens et mitissime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte baptismatis, dum migrant a saeculo, sine ullis eorum meritis vitam illico largiris aeternam, sicut animae huius parvuli hodie credimus te fecisse: fac nos quaesumus Domine per intercessionem beatae Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum tuorum hic purificatis tibi mentibus famulis et in Paradiso cum beatis parvulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum.

Dum portatur ad tumulum et etiamsi tunc non portetur dicitur Antiphona: Iuvenes et virgines senes cum iunioribus laudent nomen Domini.

Kyrie eleïson. Christe eleïson. Kyrie eleïson. Pater Noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Sinite parvulos venire ad me. ℟. Talium est enim regnum coelorum. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, sanctae puritatis amator, qui animam huius parvuli ad coelorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es, digneris etiam Domine ita nobiscum

---

1) Psalmi qui in sepeliendis Parvulas cantuntur, omnes sunt laudis et laetitiae, propter innocentiam Defuncti, quae moerore non indiget. Quapropter in fine illorum non dicitur Requiem aeternam etc. quia iam requie aeterna animae illorum fruuntur, sed Gloria Patri etc., quia cum Patre, Filio et Spiritu Sancto vivunt in coelis.

agere, ut meritis tuae sanctissimae Passionis et intercessione beatae Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum in eodem regno nos cum omnibus Sanctis tuis et electis semper facias congaudere. Qui vivis etc.

Deinde Sacerdos corpus aspergat aqua benedicta et thurificet similiter et tumulum: postea sepeliatur. Cum autem a sepultura revertuntur in ecclesiam dicatur Antiphona: Benedicite Dominum omnes electi eius, agite dies laetitiae et confitemini illi. Deinde Canticum trium puerorum et Antiphona repetitur.

Deinde ante altare dicat Sacerdos Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus qui miro angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per.[1])

VII. DE BENEDICTIONE COEMETERII.[2])

Ex Pontificali Romano.

Die praecedenti ponuntur in coemeterio benedicendo quinque ligneae cruces, videlicet una altior in medio et quatuor aliae quaelibet ad staturam ho-

---

1) Haec Collecta recitari consuevit in festivitatibus SS. Angelorum, in quorum choris parvulos receptos esse credi praecipit ecclesia.

2) Multa ex illorum testimoniorum numero, quae afferuntur a viris doctis ut demonstrent ex antiquissimis saeculis benedictionem coemeterii originem traxisse, haud idonea dixeris cum spectent vel ad altare vel capellam sepulcralem vel ad singulum quoddam sepulcrum. Et quod invictum putatur argumentum, locus Gregorii Turon. de gloria Confess. c. 106 versatur in consecratione altaris, ante quod sepelienda erat beata Radegundis. Favet nobis Pontificale Durandi, quod in Bibliotheca Vaticana exstat n. 4744. In hac membrana Ordo benedicendi coemeterii sic incipit: „Quamquam plerique asserant, coemeterii benedictionem necessariam non esse, dicentes ad hoc sufficere circuitus extra ecclesiam et coemeterii aspersionem, quae fiunt quando ecclesia dedicatur etc.“ Subsistendum videtur in Pontificali Maffei, quod exhibet Benedictionem Polyandri seu Coemeterii. „Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, locorum omnium sanctificator et reformator in melius, a quo et per quem omnis benedictio de coelis descendit in terras: benedicere dignare locum istum, ut sit Polyandrum seu Coemeterium, vel dulcis requies et pausatio Mortuorum, quo animae, quarum corpora hic sepulta vel sepelienda sunt, iucunditatis dulcedine potiantur, sintque interim in superna Hierusalem gaudentes et laetantes, donec in magni iudicii die de sepulturis propria corpora recipiant, et sic venienti Domino ad iudicandum obviam cum fructu bonae operationis occurrant.“ Martenius sex nobiscum communicat formulas, quarum antiquissima patrem agnoscit Egbertum Eboracensem.

minis quarum una in extremitate coemeterii ante crucem mediam alia in alia extremitate a dextris et quarta in quarta extremitate coemeterii a sinistris crucis mediae et ante quamlibet ex dictis quinque crucibus ponitur seu figitur in terram aliquod lignum in eius summitate aptum ad affigendum illi tres candelas, trium unciarum quamlibet vel circa, scala super quam ascendens Pontifex possit attingere summitates ipsarum crucium, vas magnum aqua plenum benedicenda et vas cum sale. Mane vero Pontifex[1]) in sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, mitra simplici et baculo pastorali, accedit cum ministris ad coemeterium benedicendum, ubi faldistorium ante crucem in medio positam sibi paratur, super quo residens facit populo brevem sermonem de sanctitate et libertate coemeterii. Quo facto affiguntur et accenduntur quindecim candelae, tres ante quamlibet crucem super ligna ut supra ordinata, quibus ardentibus Pontifex ante mediam crucem et caudelas stans, deposita mitra dicit:

Oremus. Omnipotens Deus qui es custos animarum et tutela salutis fide credentium, respice propitius ad nostrae servitutis officium, ut ad introitum nostrum purgetur, bene ✝ dicatur, sancti ✝ ficetur et conse ✝ cretur hoc coemeterium, ut humana corpora hic post vitae cursum quiescentia, in magno iudicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitae perennis gaudia. Per Christum. ℟. Amen.[2])

Et mox ante ipsam crucem super faldistorio Pontifex accepta mitra, accumbit, et cantor incipit et prosequitur Litanias. Cumque dictum fuerit Ut omnibus fidelibus etc. ℟. Te rogamus audi nos. Pontifex surgit ab accubitu et baculum pastoralem in sinistra tenens producit signum crucis super coemeterium dicens primo Ut hoc coemeterium purgare et bene ✝ dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Secundo dicit Ut hoc coemeterium purgare bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Tertio dicit Ut hoc coemeterium purgare, bene ✝ dicere, sancti ✝ ficare et conse ✝ crare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Quo facto redit ad accubitum, cantore Litanias perficiente. Quibus finitis surgit cum mitra ab accubitu Pontifex et stans iuxta aquam ibidem in vase paratam benedicit eam et sal simpliciter, et accedens ad crucem ante mediam positam mitra ibidem deposita, inchoat schola persequente Antiphonam Asperges me Domine hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor. *Psalmus.* Miserere mei *cum* Gloria. Quo

---

1) Baruffaldus: Uniformiter se habet Benedictio Coemeterii ac Benedictio ecclesiae, atque eodem pacto quo delegari potest simplex Sacerdos ab Episcopo ad benedicendam hanc separatim et de per se, ita destinari potest ad benedicendum illud, cum par ratio sit inter ista duo loca sacra, et iste veniat in consequentiam alterius, quamvis fit seorsim benedicendus.

2) Legitur Collecta in Pontificalibus Egberti et Durandi.

dicto Antiphona repetitur. Dum Antiphona et Psalmus dicuntur, Pontifex accepta mitra, circuit et perambulat totum locum coemeterii incipiens circuire ad eius dextram, aspergens aquam benedictam[1]) ubique. Expleto autem circuitu, rediens ante crucem, quae est ante mediam, deposita mitra, respiciens ad ipsam crucem, dicit;

Oremus. Deus qui es totius orbis conditor et humani generis redemtor, cunctarumque creaturarum visibilium et invisibilium perfectus dispositor, te supplici voce ac puro corde exposcimus ut hoc coemeterium sive polyandrum, in quo famulorum famularumque tuarum corpora quiescere debent post curricula huius vitae labentia pur ✝ gare, bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris quique remissionem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confidentibus praestitisti et tubam primi Archangeli hic expectantibus consolationem perpetuam largiter impertire. Per Christum. ℟. Amen. **Deinde thurificat ipsam crucem et figit in summitate ipsius unam ex tribus candelis ardentibus et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis eiusdem crucis. Quo facto accepta mitra accedit ad crucem retro mediam positam, aspergendo semper aquam benedictam per coemeterium interim dicens cum ministris sequentem** *Psalmum* Domine ne in furore. **Non dicitur** Gloria. **Quibus expletis Pontifex stans ante ipsam crucem deposita mitra dicit:**

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, trina maiestas et una Deitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, iustitiae auctor, veniae largitor, bonorum dator, sanctitatis origo, charismatum distributor, omniumque ad te venientium pius receptor, praesta propitius, ut hoc coemeterium in honorem nominis tui compositum bene ✝ dici et sancti ✝ ficari concedas, qui beato Abrahae patriarchae famulo tuo terram a filiis Hebron comparatam in sepulturam benedixisti et qui populo Iraelitico promissionis tellurem in aevo durantem concessisti, famulorum famularumqae tuarum corporibus in hoc coemeterium intrantibus quietis sedem et ab omni incursione malorum spirituum tutelam benignus largitor tribuas, ut post animarum corporumque resurrectionem coadunatam, te donante atque concedente, beatitudinem sempiternam percipere mereantur, qui in Trinitate perfecta vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

---

2) Pontific. Egberti „Primitus cum aqua benedicta episcopus cum clericis suis circumdare debeat omne coemeterium cum psalmo: Miserere mei Deus et Antiphona Asperges me.“ Codex Vindobon. saec. XII vel XIII apud Gerbertum Mon. L.-A. II. 58. nihil huius aspersionis ac circuitus mentionem faciens, sic incipit: „Canantur septem psalmi et illuminentur quatuor candelae. Deinde: Deus qui es totius orbis conditor.“ Haec oratio iam in Egberti Pontificali et Ordine Romano Hittorpiano obvia est.

Tum thurificat ipsam crucem et figit in summitate eius unam ex tribus candelis ardentibus et alias duas in duobus brahiis eiusdem crucis et accepta mitra, vadit ad crucem ad dexteram mediae positam, aspergendo aquam benedictam per coemeterium et dicendo cum ministris ***Psalmum*** Domine ne in furore tuo. **Non dicitur** Gloria. **Quo dicto Pontifex stans ante ipsam crucem deposita mitra dicit:**

Oremus. Domine Deus, pastor aeternae gloriae et lux, honor sapientiae, custos et vigor prudentiae, salus aegrotantium, valetudo potentium, moestorum solamen, vita iustorum, gloria humilium, te supplices flagitamus, ut hoc servorum tuorum coemeterium ab omni spurcitiae inquinamento et immundorum spirituum insidiis custodire, mundare et bene ✝ dicere digneris atque corporibus humanis in hunc locum advenientibus sinceritatem perpetuam tribuere non desinas, ut quicunque Baptismi Sacramentum perceperint et in fide catholica usque ad vitae terninum perseverantes fuerint, atque decurso huius aevi termino, corpora sua in hoc coemeterio requiei commendaverint, Angelicis tubis concrepantibus, animae simul cum corporibus praemia coelestium gaudiorum percipiant sempiterna. Per Christum. ℟. Amen.[1])

Deinde thurificat ipsam crucem et figit ut antea candelas tres in summitate ipsius crucis. Tum accepta mitra vadit ad crucem quae est ad sinistram mediae crucis, posita, aspergendo semper aquam benedictam per coemeterium, dicendo cum ministris ***Psalmum*** Domine exaudi orationem meam. **Et non dicitur** Gloria. **Quo dicto stans ante ipsam crucem deposita mitra dicit:**

Oremus. Domine Iesu Christe, qui corpus humanum de terra pro angelica reparatione formasti et in te pro redemptione assumpsisti, in terram pro conditione carnis resolvis et de terra pro immortalitate resuscitabis, hanc terram quaesumus ad usum sepulturae de benedictione tui sepulti corporis conse ✝ crare dignare, et in Baptismate tibi consepultos in natura carnis hic consepeliendos sub spe tuae resurrectionis in tuae redemtionis misericordia requiescere concede. Qui venturus es iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Tum thurificat ipsam crucem et fixis ut antea in eius summitate tribus candelis,[2]) revertitur, mitra accepta ad crucem mediam, aspergendo semper per coemeterium aquam benedictam, dicendo cum ministris sequentes ***Psalmos.***

---

1) Occurrit Collecta in Codice Vindobonensi supra commemorato.

2) Summa totius Benedictionis est, ut lux aeterna luceat animabus defunctorum, qui in loco sepeliendi sunt. Per lumen igitur candelarum in summitate et bracchiis crucis fixarum, fit ut fides Resurrectionis vigeat et lumen aeternae vitae in illis resplendeat per meritum Christi in cruce passi.

De profundis. Non dicitur Gloria. Domine exaudi. Non dicitur Gloria. Quibus finitis Pontifex stans ante ipsam crucem mediam deposita mitra dicit:

Oremus. Adesto quaesumus Domine Deus, obsequiis nostris, in nomine tuo hunc locum visitantibus et nostrae fragilitatis ministerio, et sicut benedixisti per manus servorum tuorum Abrahae, Isaac et Iacob terram sepulturae suae peregrinationis, ita, quaesumus Domine, bene ✝ dicere, sancti ✝ ficare et conse ✝ crare digneris hoc coemeterium pretio Unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi sanguinis typice comparatum, ad nostrae peregrinationis corpora quiescenda, donec per eundem Dominum nostrum Iesum Christum de pulvere ad gloriam dones resurgenda. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Deinde mediocri voce extensis manibus ante pectus dicit Praefationem. Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et iustum est. Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, Per Christum Dominum nostrum, qui est dies aeternus, lux indeficiens, claritas sempiterna; qui sic sequaces suos in lucem praecipit ambulare ut noctis aeternae valeant caliginem evadere et ad lucis patriam feliciter pervenire; qui per humanitatem assumtam Lazarum flevit, per divinitatis potentiam vitae reddidit, atque humanum genus quadrifida peccatorum mole obrutum ad vitam reduxit; per quem te Domine suppliciter deprecamur ut qui in hoc sepelientur polyandro, in novissimo, cum tubae perstrepuerint Angelorum, a peccatorum nexibus absoluti et aeternae felicitati redditi et sanctorum coetibus connumerati, te qui es vita aeterna benignum et misericordem inveniant ut te auctorem vitae exultantes cum omnibus Sanctis collaudent. Quod sequitur dicit plane legendo, ita tamen quod a circumastantibus audiatur: Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen. Tum thurificat crucem ipsam, et fixis ut antea tribus candelis in summitate eius, stans versus ad ipsam crucem dicit;

Oremus. Et ministri; Flectamus genua. ℟. Levate. Domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, locorum omnium sanctificator et in melius reformator, a quo et per quem omnis benedictio de coelis descendit in terram, bene ✝ dicere dignare locum istum, ut sit polyandrum, seu coemeterium, dulcis requies et pausatio mortuorum, quorum animae, quarum corpora hic sepulta vel sepelienda sunt, iucunditatis tuae dulcedine potiantur, sintque interim in superna Ierusalem gaudentes et laetantes, donec in magno

iudicii die de sepulcris propria corpora recipiant et sic venienti Domino ad iudicandum obviam cum fructu bonae operationis occurrant. Per Dominum. ℟. Amen.

His peractis Pontifex solemniter benedicit populo dicens: Sit nomen Domini etc. Deinde intrat ecclesiam et si velit parat se ad Missam, si vero non celebrare voluerit, facit per aliquem Sacerdotem solemniter celebrari. Missa dicitur de die, et cum oratione diei, dicitur sub uno Per Dom. haec oratio:

Deus cuius miseratione animae fidelium requiescunt, huic coemeterio quaesumus Domine, Angelum tuum sanctum deputa custodem et quorum quarumque corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum Sanctis tuis sine fine laetentur. Per Dom. ℟. Amen.

Cum Secreta Diei dicitur sub uno Per Dom. sequens Secreta:

Munera Domine oblata sanctifica et qui te ipsum in sepulcro poni voluisti et exemplum resurgendi fidelibus tuis largiri dignatus es da quaesumus fidelium tuorum animabus hic in in te quiescentibus veniam peccatorum, ut haec salutaris hostia sit remedium et requies animarum eorum et corporum. Qui vivis. ℟. Amen.

Cum Postcommunione diei dicitur sub uno Per Dom. sequens Postcommunio.

Muneribus sacris satiati, quaesumus Domine Deus noster, ut plebs tua quae in futuro a morte corporibus resurrectura creditur, te miserante a morte animae resurgere mereatur. Per Dominum. ℟. Amen.[1])

---

1) In nonnullis Agendis Germaniae ritus benediltionis ex parte vernaculo sermone peragitur. Damus Collectam Ritualis Friburgensis(Brisgoviae): „Segne o Gott diesen Ort, den wir durch die Aufrichtung dieses Kreuzes einweihen. Ein Zeichen sei es uns zugleich der Erinnerung unserer Strafwürdigkeit für unsere Sünden; aber auch ein Denkmal des Trostes, dass Iesus Christus durch seinen Tod am Kreuze unsere verdienten Strafen auf sich genommen und uns mit Dir, o Vater im Himmel, wieder ausgesöhnt hat. Dieses Kreuz erinnre uns, dass die Lehre des Gekreuzigten eine göttliche Kraft sei zur Beseligung für Alle, die ihm nachfolgen und willig das Kreuz auf sich nehmen; es belehre uns, dass das Grab nicht das Ende unseres Lebens sei, weil derienige, der daran gestorben, sagte: Wer an mich glaubt, wird, wenn er auch gestorben ist, dennoch leben. Es erleichtere uns die Leiden dieses Erdenlebens und erheitre uns mit der Hoffnung eines besseren Lebens, weil derienige, der für uns das Leben opferte, zu uns sagt: In meines Vaters Hause sind viele Wohnungen, Ich gehe hin sie Euch zuzubereiten. Lass, o Gott, diesen trostvollen Glauben durch das Sinnbild dieser drei brennenden Kerzen noch mehr belebt werden. Der Glaube an dich, dreieiniger Gott, sei uns auf dem Wege durch die Welt ein helles Licht, damit wir nicht auf die Irrwege der Sünde und des Lasters gerathen, sondern sicher zu deiner Anschauung gelangen, durch Iesum Christum, deinen Sohn, unsern Herrn.“

PARS TERTIA.

DE DIVERSIS BENEDICTIONIBVS AC CAERIMONIIS.

I. DE ECCLESIAE DEDICATIONE SEU CONSECRATIONE.[1])

Ex Pontificali Romano.

Ecclesiarum consecratio quamvis omni die de iure fieri possit decentius tamen in Dominicis diebus vel Sanctorum solennitatibus fit. Quando autem Ecclesia fuerit dedicanda debet Archidiaconus praenunciare clero et populo, quibus est Ecclesia consecranda, ut priusquam consecretur, ieiunent. Nam Pontifex consecrans[2]) et qui petunt sibi Ecclesiam consecrari, praecedenti die ieiunare debent. Sane sero ante diem dedicationis, Pontifex parat Reliquias in altari consecrando[3]) includendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo cum tribus granis thuris, ponit etiam in eo cartulam de pergameno scriptam sub hac forma:

---

1) Ambrosius epist. 22 ad Marcellinam sororem ritum Dedicationis antiquissimam vocat et ubique receptam consuetudinem. Neque est quod refragemur Binterimio Denkw. IV, I, 27 sq. hanc caerimoniam altissimis defixam esse radicibus in antiquissimo ecclesiae aevo. At discedendum videtur a viri docti sententia, impugnante Vigilio Pontifici, qui basilicam novam sola Missarum sollennitate consecrari dixerit (si qua Sanctorum basilica a fundamentis etiam fuerit innovata, sine aliqua dubitatione cum in ea Missarum fuerit celebrata sollennitas, totius sanctificatio consecrationis implebitur. Harduini Conc. Tom. II. p. 1431). Ego vero pro certo habeo, antiquissimis temporibus in novis basilicis recitatam esse Missam propriam de Dedicatione, fortasse benedictionum quarundam formulis auctam. Praebent huius generis Collectas Gelasii ac Gregorii Sacramentaria. Hodierni temporis ritus, quod ipse Binterimius concedit l. c. p. 38 vix saeculum octavum attingit: poene omnibus partibus absolutus legitur in Codice Eligii, in Codice Ratoldi, in pervetusto Pontificali membranaceo Maffei (M.) cf. Muratorii Lit. Rom. II. p. 415 sq. atque in Codice Tigurino saec. IX apud Gerbertum Mon. Lit. Al. Tom II. p. 47 sq. (T.)

2) Potest Sacerdos quoque ab Episcopo deputatus ecclesiam benedicere. Fit haec benedictio ritu simpliciori neque par est dignitate Consecrationi.

3) Iam antiquis persuasum erat ecclesiam non posse exstrui vel saltem dedicari, nisi in ea conditae sint Sanctorum reliquiae. Ambros. ep. 22 ad Marc. „Cum

MD .. die N. mensis N. Ego N. Episcopus N. consecravi Ecclesiam et altare hoc in honorem sancti N. et Reliquias Sanctorum Martyrum N. et N: in eo inclusi et singulis Christi fidelibus hodie unum annum et in die anniversario consecrationis huiusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiae consueta concessi.

Sigillans ipsum vasculum diligenter et illud in honesto et mundo loco vel sub tentorio ante fores Ecclesiae consecrandae parato ponens et super ornatum feretrum decenter collocans, cum duobus candelabris et luminaribus ardentibus. Celebrandaeque sunt Vigiliae ante Reliquias ipsas et canendi Nocturni et Matutinae Laudes, in honorem Sanctorum quorum Reliquiae sunt recondendae; imagines vero cruces et alia ipsa nocte remaneant in Ecclesiae consecranda. Parantur etiam in Ecclesia quae ad dedicationem Ecclesiae et Altaris sunt necessaria, videlicet sanctum Chrisma in vasculo et ampulla, Oleum sanctum Catechumenorum etiam in vasculo et ampullae duae librae thuris, cuius medietas, sit in granis, thuribulum cum navicula et cochleari, vas cum prunis ardentibus, vas cum cineribus pro quantitate Ecclesiae, vas cum sale, vas vini, aspersorium factum de herba hyssopi, mantilia ex tela grossa ad extergendum mensam altaris, quoties expedierit, coopertura linea cerata ad mensuram altaris pro quolibet altari consecrando, quinque cruces parvae etiam pro quolibet altari consecrando, factae de candelis cerae subtilibus, aliquae spatulae lingulae parvae ad abradendum de altari combustiones candelarum et thuris, vas in quo ipsae rasurae imponantur, calx, arena. sive tegula trita ad faciendum caementum, pro liniendo sepulcro Reliquiarum et iuncturam mensae altaris cum stipite, caementarius qui hoc agat, duo intortitia accensa, quae semper praecedunt Pontificem quocunque ierit, vasa cum aqua ad abluendas manus Pontificis, et medulla panis ac mantilia pro extergendis manibus, duae librae bombycis pro extergendis crucibus unctis, quae fiunt in parietibus Ecclesiae et in stipite *altaris*, duo vasa cum aqua benedicenda unum extra Ecclesiam et aliud intus in presbyterio, tobaleae novae mundae et vasa atque ornamenta ad cultum Dei et Ecclesiae intrinsecus per circuitum duodecim cruces circa decem palmas super terram, videlicet tres pro qualibet ex quatuor, parietibus. Et ad caput cuiuslibet crucis figatur unus clavus, cui affigatur una candela unius unciae. Scala super quam ascendens Pontifex possit attingere ipsas duodecim cruces; fontes Eccle-

---

basilicam dedicare vellem, mihi tanquam uno ore interpellare coeperunt, dicentes: sicut in Romana, sic basilicam dedices, respondi: Faciam si martyrum reliquias invenero. In Concil Afric. a. 424. can. 50. cautum est, ut altaria quae passim per agros et per villas tamquam memoriae martyrum construantur, in quibus nullum corpus aut reliquiae martyrum conditae probantur, ab episcopis, qui locis eisdem praesunt, evertantur.

siae, in quibus conservatur aqua benedicta vacui sint et bene mundi. Et provideatur quod Ecclesia possit exterius libere circumiri.

Pontifex mane in suo habitu quotidiano venit ad Ecclesiam, ordinat in Ecclesia consecranda quae ordinanda sunt et eius iussu accenduntur praemissae duodecim candelae et faldistorium ornatum ponitur supra tapete in medio Ecclesiae, et mox Pontifex exit Ecclesiam, cunctis inde exire iussis, uno tantum Diacono amictu, alba, cingulo et stola parato intus remanente et Ecclesiae fores clauduntur.[1] Tunc Pontifex cum clero et populo accedit ad locum ubi pridie Reliquiae positae fuerunt et ibi incipit et dicit voce submissa cum clericis septem Psalmos cum Antiphona Ne reminiscaris etc. sine Litaniis, induens interim amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi coloris, accipiens mitram simplicem in capite et baculum pastoralem in manum sinistram. Alter quoque Diaconus paratus similiter amictu, alba, cingulo et stola, Subdiaconus etiam amictum albam et cingulum indutus, acolythi et alii ministri superpelliceis parati adsint. Septem Psalmis expletis redit Pontifex cum ministris ante fores Ecclesiae consecrandae et parato ibi alio super tapete faldistorio, Pontifex stans sine mitra inchoat et schola prosequitur Antiphonam Adesto Deus unus omnipotens Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Deinde dicit stans eodem modo:

Oremus. Actiones nostras quaesumus Domine aspirando praeveni et adiuvando prosequere ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum. ℟. Amen.[2]

Qua dicta Pontifex accepta mitra procumbit supra faldistorium ibidem praeparatum et Cantores incipiunt Litanias et eas prosequuntur usque ibi. Ab omni malo, Libera nos Domine exclusive.[3] Tunc surgens Pontifex ab

---

1) El. M. T. norunt ritum candelarum, quae significant duodecim Apostolos. Porro praescribunt, ut eiectis omnibus ex ecclesia solus Diaconus recludatur in eo. Proxime ad nostra tempora accedit Rat. „Primitus enim decet, ut Episcopus cum ceteris ministris eat ad ecclesiam antiquam et ibi recondant vespertino tempore Reliquias et iubeat ibi exercere Vigilias per totam noctem. In crastina autem eat P. ad ecclesiam quae sacranda est et ordinet in ea, quae ordinanda sunt et illuminentur iussu suo XII candelae et expellantur omnes foras, nisi solus Archidiaconus clauso ostio ibi maneat.“

2) Silentio praetermitttunt hanc Collectam et quae praecedunt El. M. T. Solus. Rat. haec habet: Tum P. cum sacro ordine redeat ad ecclesiam et induant se sacris vestibus et faciant litaniam prout hora dictaverit: qua expleta dicat hanc orationem A c t i o n e s etc. Et tunc incipient Responsorium: Domine si conversus fuerit populus tuus. Item aliud: Exaudisti Domine orationem servi tui. Item aliud: I n D o m i n e u n i v e r s o r u m (quod nunc cantatur ante tertium circuitum).

3) El. T. cantari iubeant Litaniam post circuitum intra novae ecclesiae moenia: M. post aquae benedictionem ante circuitum.

accubitu et stans cum mitra, benedicit ibidem aquam et sal.[1]) Expleta aquae benedictione Pontifex stans sine mitra aspergit se et circumstantes cum illa, inchoans schola prosequente Antiphonam Asperges me Domine hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor. Qua incepta, imposita sibi mitra, stans ante fores Ecclesiae, praecedentibus ipsum duobus Acolythis cum candelis accensis, incipit circuire ad manum dexteram, procedens cum clero et populo et spargens cum ipsa aqua forinsecus parietes Ecclesiae, in superiori parte earum et coemeterium dicens semper In nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti.[2]) Interim finita dicta Antiphona schola cantat Responsorium Fundata est Domus Domini super verticem montium et exaltata est super omnes colles et venient ad eam omnes gentes et dicent gloria tibi Domine: Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos, et dicent gloria tibi Domine. Expleto circuitu, Pontifex perveniens ante ostium stans ibidem versus ad ostium deposita mitra dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Omnipotens, sempiterne Deus qui in omni loco dominationis tuae totus assistis, totus operaris, adesto supplicationibus nostris et huius domus cuius es fundator, esto protector, nulla hic nequitia contrariae potestatis obsistat, sed virtute Spiritus Sancti operante, fiat hic tibi semper purum servitium et devota libertas. Per Christum. ℟. Amen.[3])

Quo dicto Pontifex accepta mitra ad ostium Ecclesiae appropinquans, percutit illud semel cum inferiori parte baculi pastoralis, super liminare, dicens intelligibili voce:

Attollite portas principes vestras et elevamini portae aeternales et introibit rex gloriae. Diaconus intus existens dicit alta voce: Quis est rex gloriae? Pontifex respondet: Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio. Deinde Pontifex iterum circuit Ecclesiam cum clero et populo, incipiens ad eandem manum dextram, aspergendo parietes iuxta fundamentum ipsarum et coemeterium dicens semper: In nomine Pa ✝

1) Eodem ritu quo alias fit Benedictio salis et aquae, infra exscripta. Silent El. T.: omes quae hodie recitantur, formulas continet M.

2) Walafridus in Vita S. Columbani: Beatus autem C. iussit aquam afferri et benedicens illam aspersit ea templum, et cum circuirent psallentes, dedicavit ecclesiam: deinde invocato nomine Domini unxit altare et beatae Aureliae reliquias in ea collocavit, vestitoque altari missas legitime compleverunt. — Non commemorant circuitum istam El. et T.: M. „Tum Episcopus circumeat ipsam ecclesiam cum Clero et populo, incipiens a sinistra parte, spargendo aquam benedictam ad fundamenta. Et Schola cantet responsorium. Fundata est etc. et Versum: Venienter autem venient cum exultatione.“

3) Habet Collectam M. prorsus Romanae congruam.

tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti. Interim schola cantat Responsorium: Benedic Domine domum istam quam aedificavi nomini tuo. Venientium in loco isto exaudi preces in excelso solio gloriae tuae. ℣. Domine si conversus fuerit populus tuus et egerit poenitentiam, veniensque oraverit in loco isto, exaudi preces in excelso solio gloriae tuae.[1]) Expleto circuitu Pontifex perveniens ante ostium stans ibidem versus ad illud, deposita mitra dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Omnipotens sempiterne Deus, qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, duos ex diverso venientes, ex circumcisione et praeputio, parietes, duosque greges ovium sub uno eodemque pastore unisti, da famulis tuis per haec nostrae devotionis officia indissolubile vinculum caritatis, ut nulla divisione mentium nullaque perversitatis varietate sequestrentur, quos sub unius regimine pastoris unus grex continet, uniusque te custode ovilis septa concludunt. Per eundem. ℟. Amen.[2])

Tum accepta mitra, appropinquans iterum ad ostium percutit secundo cum baculo pastorali super liminare dicens simili voce ut prius Attollite portas. Diaconus: Quis est? Pontifex: Dominus fortis. Deinde circuit tertio Ecclesiam cum clero et populo, incipiens ad sinistram manum proceditque aspergens exterius cum eadem aqua parietes in media parte eorum, id est circa altitudinem faciei suae et coemeterium dicens semper: In nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti. Interim cantat schola Responsorium: Tu Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis. Conserva domum istam immaculatam in aeternum Domine. ℣. Tu elegisti Domine domum istam ad invocandum nomen tuum in ea ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo. Conserva domum istam immaculatam in aeternum.[3]) Expleto cantu et circuitu cum Pontifex pervenerit ante ostium, stans ibidem versus ad illud, deposita mitra dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Omnipotens et misericors Deus qui Sacerdotibus tuis tantam prae ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur, quaesumus immensam clementiam tuam, ut quicquid modo visitaturi sumus, visites et quidquid benedicturi sumus, benedicas, sitque ad nostrae humilitatis introitum Sanctorum tuorum meritis fuga daemonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum. ℟. Amen.[4])

---

1) Occurrit Responsorium apud M.
2) M. duosque greges sub uno — te custode septa.
3) Facit cum Pontificali M.
4) M. Omnipotens misericors — visites quicquid.

Tum accepta mitra, appropinquans tertio ad ostium Ecclesiae, percutit iterum super liminare cum baculo pastorali dicens: Attollite. Diaconus: Quis est? Pontifex et universus clerus respondet: Dominus virtutum ipse est rex gloriae. Adiicientes; Aperite, aperite, aperite. Pontifex facit crucem super liminare in ostio cum interiore parte baculi pastoralis, dicens: Ecce crucis signum, fugiant phantasmata cuncta.[1])

Et aperto ostio, intrat Ecclesiam solus cum ministris clericis et choro et caementariis, qui collocare et linire debent lapidem super sepulcrum Reliquiarum et mensam altaris si est remota aut separata a stipite, dimisso ab extra clero et populo et clauso Ecclesiae ostio post eos. Ingressus autem Pontifex Ecclesiam dicit intelligibili voce: Pax huic domui. Et Diaconus, qui est intus respondet: In introitu vestro. Et omnes dicunt: Amen. Tum schola sive cantores cantant Antiphonam: Pax aeterna ab aeterno huic domui pax perennis, verbum Patris, sit pax huic domui, pacem pius consolator huic praestet domui. Et cantant: Zachaee festinans descende quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit et suscepit illum gaudens in domum suam. Hodie huic domui salus a Deo facta est. Alleluia. Haec dum cantantur Pontifex procedit usque ad medium Ecclesiae, ubi faldistorium paratum est, et expletis praedictis Antiphonis, deposita mitra, flexis ibi genibus, versus ad altare maius inchoat, schola prosequente hymnum: Veni creator spiritus. Et dicitur totus. Finito primo versu surgit Pontifex et stat usque ad finem sine mitra. Interim unus ex ministris spargit cinerem per pavimentum Ecclesiae in modum crucis faciendo ex eo lineas duas quamlibet latitudinis fere unius palmi, unam ab angulo Ecclesiae ad sinistram manum per principalem portam intrantis ad angulum transversum illius, id est, dextrum intrantis, ad caput Ecclesiae, et aliam ab an-

---

1) El. T. „Cum venerint ad ostium ecclesiae percutiens terram super liminare de cambuta sua dicit Antiphonam: Tollite portas etc. Ps. Domini est terra. Canunt ipsum Psalmum totum ante ostium et aperto ostio intrantes dicunt: Pax huic domui. Rat. Psalmus Domini est terra.. Deintus autem minister respondens dicat: Quis est iste rex gloriae? Et sic pergat omnis legio in circuitu ecclesiae ter cantando hanc Antiphonam cum Psalmo et gloria. Tertio autem percusso ostio ab Episcopo et dicto Tollite portas et responso ter a ministro: Quis est iste rex gloriae? Respondeat P.: Dominus virtutum, ipse est Rex gloriae. Et aperto ostio intrans dicat ter: Pax huic domui, crux pellit hostem, crux Christi triumphat. — Solus M. habet vocem Aperite semel recitandam. — Haec caerimonia quam pulcra sit, quam mysteriorum plena, non est quod exponamus hominibus cordatis. Require Clausenii laudes: Kirchenverfassung u. s. w. III. p. 757. Vetus odium et proh dolor, calumniandi turpitudo invasit Gerberum Historie der Cerimonien. S. 82: „Darauf fänget der Diacon, der in der Kirchen versperret ist und hinter der Thür verborgen liegt, an zu fragen: Wer ist derselbig König der Ehren? Da hat das arme, einfältige Volk nicht anders vermeinet, denn die Thür thue sich selbst aus göttlicher Kraft auf u. s. w.“

gulo Ecclesiae ad dexteram manum intrantis ad angulum transversum illius, id est, sinistrum ipsius ad caput Ecclesiae: vel si Ecclesia sit magna, fieri possunt loco primae lineae viginti quatuor areolae aequali spatio distantes ex cinere et loco secundae viginti tres. — Finito hymno Pontifex accepta mitra, accumbit super faldistorium et schola iterum incipit et prosequitur Litanias, in quibus in suo loco nominetur bis Sanctus ille, in cuius honore et nomine Ecclesia vel altare dedicatur, et illi quorum reliquiae in eo includuntur. Postquam autem dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus etc. ℟. Te rogamus audi nos: Pontifex ab accubitu surgit et baculum pastoralem in sinistra tenens dicit in eodem: Ut locum istum visitare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Secundo dicit: Ut in eo Angelorum custodiam deputare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Deinde dexteram in altum extendens, producit communiter super Ecclesiam et Altare consecrandum, ter successive signum crucis, dicens primo: Ut Ecclesiam et Altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecranda bene✝dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Secundo dicit; Ut Ecclesiam et Altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecranda bene ✝ dicere et sancti✝ficare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Tertio dicit; Ut Ecclesiam et Altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecranda bene✝dicere, sancti✝ficare et conse✝crare digneris. ℟. Te rogamus audi nos.[1]) Quo facto, iterum accumbit super faldistorium, schola litanias resumente et perficiente, quibus finitis, ab accubitu surgit deposita mitra et stans ibidem versus ad altare maius, dicit intelligibili voce;

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Praeveniat nos quaesumus Domine misericordia tua, et intercedentibus omnibus Sanctis tuis voces nostras clementia tuae propitiationis anticipet. Per Christum. ℟. Amen.

Oremus. Magnificare Domine Deus noster in Sanctis tuis et hoc in templo tibi aedificato appare, ut qui cuncta in filiis adoptionis operaris ipse semper in tua haereditate lauderis. Per Christum. ℟. Amen.[2])


Tum schola incipit et prosequitur Antiphonam: O quam metuendus est locus iste, vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.

---

1) El. T. Aperto ostio intrantes dicant: Pax huic domui. Deinde incipiat Clerus Litaniam. Et cum venerint Sacerdotes vel Levitae ante altare prosternant se super stramenta cum Pontifice usque dum dicatur Agnus Dei. Sequitur Oratio Magnificare etc. Ut solet, magis accedit ad Pontificale M. Habet Responsorium. Pax huic domui ℟. In introitu vestro, Responsorium Zachaee festinans, Litanias et Collectam Praeveniat.

2) Gel. El. T. templo aedificationis — omnia in filiis M. aedificato — — — apparuit.

Psalmus: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemtionem plebis suae. **Et repetitur tota Antiphona ad quemlibet Psalmi versum, et versiculos** Gloria Patri.[1] **Interim dum praemissa cantantur, Pontifex accepta mitra, incipiens ab angulo Ecclesiae ad sinistram intrantis, prout supra lineae factae sunt, cum extremitate baculi pastoralis scribit super cineres alphabetum ita distinctis literis, ut totum spatium occupent. Deinde simili modo incipiens ab angulo Ecclesiae ad dextram intrantis scribit Alphabetum latinum, super cineres distinctis litteris, his videlicet:**[2]



Posthaec Pontifex cum mitra accedit versus altare maius consecrandum et distans ab illo spatio congruenti deposita mitra genuflexus, competenti voce dicit: Deus in adiutorium meum intende. **Quo dicto Pontifice surgente chorus respondet:** Domine ad adiuvandum me festina. **Tum Pontifex stans sine mitra in eodem loco dicit;** Gloria Patri. ℞. Sicut erat. **Sine** Alleluia **et id eisdem modo et loco secundo, et tertio fit voce semper altius elevata.**[3] **Quibus dictis Pontifex stans in eodem loco cum mitra benedicit aliam aquam cum sale cinere et vino incipiens absolute exorcismum salis:**

---

1) Habentur Antiphona et Psalmus tantum apud M.

2) Mentio fit huius caerimoniae in omnibus codd. antiquis. Martenius de antiq. eccl. rit. III. p. 242 adnotat in quibusdam vetustis Pontificalibus viginti septem enumerari litteras graecas. Alii addebant olim sacrata Hebraeorum *στοιχεῖα.* T. a. b. c. d a r i u m s c r i b e n s: similiter Cod. Remensis a b c t a r i u m. At non inde consequitur quod placuit Menardo, tres litteras tantum cineribus in quibusdam regionibus inscriptas esse. Significat barbaro sermone A b c d a r i u m idem atque nunc Alphabetum. Rat. Antiphonas inter conscribendum cani iubet, quae ab hodiernis recedunt: M. consentit cum Pontificali.

3) Non alieni sunt a Codd. nostris illi versiculi: D e u s i n a d i u t o r i u m, Deus

Exorcizo te creatura salis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui Apostolis suis ait, Vos estis sal terrae, et per Apostolum dicit, Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sancti ✝ ficeris ad consecrationem huius Ecclesiae et Altaris, ad expellendas omnes daemonum tentationes et omnibus qui ex te sumserint, sis animae et corporis tutamentum et sanitas, protectio et confirmatio salutis. Per eundem. ℟. Amen. 1)

Deinde deposita mitra dicit: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens, qui hanc gratiam coelitus sali tribuere dignatus es, ut ex illo possint universa condiri quae hominibus ad escam procreasti, bene ✝ dic hanc creaturam salis ad effugandum inimicum, et ei salubrem medicinam immitte, ut proficiat sumentibus ad animae et corporis sanitatem. Per Christum. ℟. Amen. 2)

Tum assumta mitra dicit absolute exorcismum aquae:

Exorcizo te creatura aquae, in nomine Dei Pa ✝ tris, et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti ut repellas diabolum a termino iustorum, ne sit in umbraculis huius Ecclesiae et altaris. Et tu Domine Iesu Christe, infunde Spiritum Sanctum in hanc Ecclesiam tuam et Altare, ut proficiat ad sanitatem corporum animarumque adorantium te, et magnificetur nomen tuum in gentibus et increduli corde convertatur ad te et non habeant alium Deum, praeter te Dominum solum, qui venturus es iudicare vivos et mortuos et saecula per ignem. ℟. Amen. 3)

Deinde deposita mitra dicit; Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Domine Deus pater omnipotens, statutor omnium elementorum qui per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum elementum hoc aquae in salutem humani generis esse vo-

---

ad adiuvandum, semel recitandi. Item omitti praecipiunt Alleluia „quia ecclesia nondum est domus Dei."

1) M. per apostolum dicit: Sit cor vestrum sale conditum — ecclesiae vel altaris.

2) Nuspiam alibi investigavi hanc Collectam. M. alias Pontificalis vestigia premens, propriam continet Benedictionem: Domine Deus, Pater omnipotens benedic hanc creaturam salis, ad effugandum inimicum et ei salubrem medicinam commisce ut ad animae et corpus te sumentium proficiat sanitatem.

3) M. ecclesiae vel altaris — sine hoc altare — sanitati corporum animarumque — et magnificent — solum qui vivis et regnas etc.

luisti, te supplices deprecamur ut exauditis orationibus nostris, eam tuae pietatis aspectu sancti ✝ fices, atque ita omnium spirituum immundorum ab ea recedat incursio, ut ubicunque fuerit in nomine tuo aspersa, gratia tuae benedictionis adveniat et mala omnia te propitiante, procul recedant. Per eundem. ℟. Amen.[1])

Tum stans sine mitra dicit super cineres; Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce poenitentibus, propitiare supplicantibus et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis qui bene ✝ dicat et sancti ✝ ficet hos cineres, ut sint remedium salubre omnibus nomen tuum humiliter implorantibus ac semet ipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, ante conspectum divinae clementiae tuae facinora sua deplorantibus, vel serenissisimam pietatem tuam suppliciter obnixeque flagitantibus, et praesta per invocationem sanctissimi nominis tui, ut quicunque eos super se asperserint pro redemtione peccatorum suorum, corporis sanitatem et animae tutelam percipiant. Per Christum. ℟. Amen.[2])

Tunc Pontifex accipit sal et miscet cineri in modum crucis, dicens: Commistio salis et cineris pariter fiat. In nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti. ℟. Amen. Deinde accipiens pugillum de mistura salis et cinerum in modum crucis, ter imittit in aquam, qualibet vice dicens: Commistio salis cineris et aquae pariter fiat. In nomine Pa ✝ tris etc. Deinde stans sine mitra dicit super vinum: Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clam. Dom. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Domine Iesu Christe, qui in Cana Galilaeae ex aqua vinum fecisti, qui es vitis vera, multiplica super nos misericordiam tuam et bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris hanc creaturam vini, ut ubicunque fusum fuerit vel aspersum divinae benedictionis tuae opulentia repleatur et sanctificetur. Qui cum. ℟. Amen.[3])

Deinde mittit in modum crucis vinum in aquam ipsam, dicens; Commistio vini, salis, cineris et aquae pariter fiat. In nomine Pa ✝ tris etc. ℟. Amen. Domine exaudi. ℟. Et clam. Dom. ℟. Et cum spiritu tuo.

---

1) El. statutor et conditor. El. M. respectu sanctifices. M. et ubicunque.

2) M. p. metuentibus p. supplicibus — digneris — cineres istos — salutare — atque ante — flagitantibus praesta quaesumus — per te redemptionem.

3) Deus omnipotens qui — vera, benedicere — fusa fuerit vel a quolibet potata — repleatur. Qui vivis.

Oremus: - Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis et dator gratiae spiritualis, ac largitor aeternae salutis, emitte Spiritum Sanctum tuum super hoc vinum cum aqua, sale, et cinere mistum, ut armatum caelestis defensione virtutis ad consecrationem huius Ecclesiae et Altaris tui proficiat. Per Dom. ℟. Amen. [1])

Tum Pontifex assumta mitra dicit absolute super aquam praedictam:

Sancti ✝ ficare per verbum Dei unda caelestis, sancti ✝ ficare aqua calcata Christi vestigiis, quae montibus pressa non clauderis, quae scopulis illisa non frangeris, quae terris diffusa non deficis, tu sustines aridam, tu portas montium pondera nec demergeris. Tu coelorum vertice contineris, tu circumfusa per totum sanas omnia, nec lavaris. Tu fugientibus populis Hebraeorum in molem durata constricta es, tu rursum salsis resoluta vorticibus Nili accolas perdis et hostilem globum freto saeviente persequeris, una eademque es salus fidelibus et ultio criminosis. Te per Moysen percussa rupes evomuit, neque abdita cautibus latere potuisti, cum maiestatis imperio iussa prodires. Tu gestata nubibus imbre iucundo arva foecundas. Per te aridis aestu corporibus, dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam, potus infunditur. Tu intimis scaturiens venis aut spiritum inclusa vitalem aut succum fertilem praestas, ne siccatis exinanita visceribus solemnes neget terra proventus. Per te initium, per te finis exultat, vel potius ex Deo est, tuum ut terminum nesciamus, aut tuorum, omnipotens Deus, cuius virtutum non nescii, dum aquarum merita promimus, operum insignia praedicamus. Tu benedictionis auctor, tu salutis origo. Te suppliciter deprecamur ac quaesumus, ut imbrem gratiae tuae super hanc domum cum abundantia tuae bene ✝ dictionis infundas, bona omnia largiaris, prospera tribuas, adversa repellas, malorum facinorum daemonem destruas, Angelum lucis amicum, bonorum provisorem, defensoremque constituas. Domum in tuo nomine ceptam, te adiutore perfectam bene ✝ dictio tua in longum mansuram confirmet. Tuum haec fundamenta praesidium, culmina tegumentum, ostia introitum, penetralia mereantur accessum. Sit per illustrationem vultus tui utilitas hominum, stabilitas parietum. [2])

---

1) El. Gel. incipit: Creator et conservator. Rat. Deus creator. El. Gel. generis dator. El. spiritalis larg. M. atque l. El. Gel. permitte. M. Rat. mitte. El. Rat. vinum aqua m. M. Gel. cum aqua m. El. armata. Rat. Gel. arma. El. M. Gel. vel altaris. El. om. tui.

2) El. dimergis — continens circumfusa — constringeris — nec abdita — siccatis examinata — ex Deo tuum est ut terminum — at tu.

Tum Pontifex accedit ad ostium Ecclesiae et cum extremitate baculi pastoralis facit crucem in parte superiori et aliam in parte inferiori intrinsecus. Quo facto deposito baculo, stans ibidem, prosequitur dicens:

Sit positis crux invicta liminibus, utrique postes gratiae tuae inscriptione signentur ac per multitudinem propitiationis tuae visitatoribus domus sit pax cum abundantia, sobrietas cum modestia, redundantia cum misericordia. Inquietudo omnis et calamitas longe recedant. Inopia, pestis, morbus, languor, incursusque malorum spirituum tua semper visitatione discedant, ut tua fusa in hoc loco visitationis gratia extensos eius terminos et atria circumacta percurrat sitque per cunctos eius angulos ac recessus huius gurgitis purificatio per lavacrum, ut semper hic laetitia quietis, gratia hospitalitatis, abundantia frugis, reverentia religionis copiaque sit salutis. Et ubi invocatur sanctum nomen tuum, bonorum omnium succedat copia, malorum tentamenta procul effugiant et mereamur habere nobiscum Angelum pacis, castitatis, caritatis ac veritatis qui semper ab omnibus malis nos custodiat, protegat et defendat. Per Dom. ℟. Amen.

Deinde redit ad dictum locum ubi aquam benedixit et stans ibidem versus ad altare maius mitram in capite tenens dicit:

Deum patrem omnipotentem, fratres carissimi, in cuius domo mansiones multae sunt, supplices deprecemur, ut habitaculum istud bene ✝ dicere et custodire dignetur, per aspersionem huius aquae cum vino, sale et cinere mistae. Per Dom. ℟. Amen.[1])

Posthaec Pontifex procedit ad Altare cum mitra et ibidem inchoat, schola prosequente Antiphonam sequentem:

Consecratio Altaris.

Advertendum, quod si plura altaria in eadem Ecclesia tunc fuerint conse-

---

Domine — operis insignia — praedicamus benedictionis — auctor salutis — supplices deprecamur — mansura — per lustrationem — domus huius sit — discedat — et ita fusa in hoc loco nostrae supplicationis — circumiecta — sicque per cunctos angulos — recessus data benedictio huius gurgitis purificatione perlabatur — copia sit — bonorum succedat — mereamur angelum — castitatis et veritatis — atque defendat. — Ignotus est huius cantici auctor: sed hoc certum est, ipso divino numine afflatum inspiratum poetam cecinisse carmen, quo nil fere in ecclesiasticis liturgiis novi grandius, legi excellentius.

1) M. istud vel altare — cum vino mixtae, Addit haec: ut tenebras ab eo repellat, et lumen infundat, nullam saevienti adversario tribuat potestatem sed propria sit domus Dei vel altare, ut nullum in ea habeat inimicus licentiam nocendi.

cranda, Pontifex eosdem actus et caerimonias facit sub eisdem verbis in singulis altaribus successive, sicut facit in primo altari.

Introibo ad altare Dei, ad Deum. *Psalm.* Iudica me, et repetitur quovis versu Antiphona Introibo. Non dicitur Gloria. Incepta prima Antiphona, Pontifex, retenta mitra, stans ante altare intingit pollicem dextrae manus in aqua praedicta, ultimo per eum benedicta, et cum eo et aqua huiusmodi facit crucem in medio tabulae altaris dicens: Sancti ✝ ficetur hoc altare in honorem Dei omnipotentis et gloriosae Virginis Mariae atque omnium Sanctorum et ad nomen ac memoriam sancti N. In nomine Pa✝tris et Fi✝lii et Spiritus ✝ Sancti. Pax tibi. Deinde facit ex eadem aquá cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in qualibet cruce verba praemissa: Sancti ✝ ficetur hoc altare. Facit autem primam crucem in dextera parte posteriori altaris i. e. ubi legitur Evangelium, secundam in sinistra parte anteriori transversa primae, tertiam in dextera anteriori, quartam in sinistra posteriori tertiae transversa. Quo facto et finitis Antiphona et Psalmo praedictis, Pontifex stans ibidem, deposita mitra dicit:[1])

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Singulare illud propitiatorium in altari crucis pro nobis redimendis oblatum, in cuius praefiguratione patriarcha Iacob lapidem erexit in titulum, quo fieret sacrificium et portae coeli desuper aperiretur oraculum, supplices tibi, Domine preces fundimus, ut lapidis huius expolitam materiam, supernis sacrificiis imbuendam, ipse tuae ditari sanctificationis ubertate praecipias, qui quondam lapideis legem scripsisti in tabulis. Per Christum. ℟. Amen.

Oratione expleta, Pontifex circuit septies tabulam altaris, aspergens eam, et stipitem de aqua praedicta ultimo per eum benedicta, cum aspersorio de herba hyssopo facto. Stans enim ante medium altaris, inchoat Antiphonam, et schola prosequitur: Asperges me Domine hyssopo etc. *Psalmus:* Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Interim Pontifex accepta mitra, circuit altare, illudque aspergit et redit ad locum ante medium altaris, unde discesserat. Finitis dictis versibus, Pontifex

---

1) Commemorant quatuor codices cruces in altaris tabula aqua benedicta faciendas, T. non ignorat Antiphonam Introibo et Psalmum Iudica, M. habet formulam Sanctificetur, sed sobrie ac prudenter consistit in Sanctissimae Trinitatis invocatione, omissis Mariae Sanctorumque nominibus. Et sane incongruum videtur atque incautum (quod saepius facere in ritibus ecclesiam Romanam vehementer dolemus), uno eodemque spiritus ductu tremendae Trinitatis maiestati beatam adnectere Virginem Sanctorumque cohortes.

ibidem stans cum mitra inchoat secundo ut prius Antiphonam Asperges me etc. et schola prosequitur: Domine hyssopo etc. Quoniam iniquitatem. Tibi soli peccavi. Ecce enim.[1]) Et tertio ut antea asperso altari, Pontifex ante medium altaris cum mitra inchoat: Asperges me; et schola prosequitur; Domine hyssopo etc. Et ita trinis psalmi versibus usque ad finem cantatis, non dicto Gloria, Pontifex circuit septimo, aspergatque et redit ut supra. Subsequenter circuit ter Ecclesiam interius, tantum aspergendo parietes eius cum praedicta aqua benedicta. Finitis dictis versibus et septimo circuitu per Pontificem ut supra facto, schola cantat Antiphonam: Haec est domus Domini firmiter aedificata, bene fundata est supra firmam petram. *Psalmus:* Laetatus sum in his etc. Et non dicitur Gloria. Interim incepta Antiphona praedicta, Pontifex cum mitra incipiens retro altare maius procedit ad dextram partem, circuiens intrinsecus Ecclesiam et parietes illius, aspergit illam a parte inferiori, iuxta terram, rediens usque ad locum retro altare, unde discessit; quo facto, ac finitis Antiphona et Psalmo praedictis, schola cantat Antiphonam: Exurgat Deus et dissipentur inimici eius et fugiant qui oderunt eum a facie eius. *Psalmus:* In ecclesiis benedicite Deo Domino etc. Et non dicitur Gloria. Interim Pontifex per eandem viam secundo circuitu aspergit parietes Ecclesiae in medio, i. e. circa altitudinem faciei suae rediens usque ad locum unde discessit, quo facto ac finitis Antiphona et Psalmo praedictis, schola cantat Antiphonam: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur. *Psalmus:* Dicet Domino susceptor meus etc. Et non dicitur Gloria. Interim Pontifex tertio circuit Ecclesiam incipiens a sinistra parte aspergit parietes illius, altius quam secundo, rediens ad locum unde discessit. Quo facto, adhuc mitram in capite tenens aspergit cum praedicta aqua pavimentum Ecclesiae per medium, incipiens ante altare usque ad portam principalem, deinde per transversum, de uno pariete ad alium. Interim schola cantat sequentes Antiphonas cum suis versiculis: Domus mea domus orationis vocabitur. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te. Sine Gloria. Domine dilexi decorem domus tuae. ℣. Et locum habitationis gloriae tuae. Sine Gloria. Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta coeli.[2]) Dictis his Antiphonis, et aspersione, ut praemittitur, facta, Pontifex stans cum mitra in medio Ecclesiae versus ad Altare maius, inchoat et schola prosequitur Antiphonam: Vidit Iacob scalam, summitas eius coelos tangebat et descendentes Angelos et dixit, vere locus iste sanctus

1) Neque aspersio altaris cum Antiphona Asperges et Psalmo Miserere noviter est introducta, sed in antiquissimis Ritualibus occurrit.

2) Variant vetusti ordines in Psalmis atque Antiphonis, canentes inter circuitum et aspersionem ecclesiae.

est. Dum cantatur Antiphona praedicta, Pontifex stans cum mitra in medio Ecclesiae aspergit aquam per pavimentum versus Orientem, Occidentem, Aquilonem et Austrum. Finita Antiphona, Pontifex, deposita mitra, stans ibidem in medio Ecclesiae conversus ad portam principalem, dicit competenti voce;

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Deus qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, ut ab omnibus hic nomen tuum invocantibus, auxilium tuae misericordiae sentiatur. Per Christum. ℟. Amen.[1])

Tum ibidem stans, adhuc conversus ut prius dicit;

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Deus sanctificationum, omnipotens dominator, cuius pietas sine fine sentitur, Deus, qui coelestia simul et terrena complecteris, servans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriae tuae, exaudi preces servorum tuorum, ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte, hanc quoque basilicam in honorem sanctae et victoriosissimae crucis et memoriam sancti tui N. sacris mysteriis institutam clementissimus dedi✝ca, miseratus illu✝stra, propitio splendore clari✝fica, omnemque hominem venientem adorare te in hoc loco placatus admitte, propitius respicere dignare et propter nomen tuum magnum, et manum tuam fortem et brachium tuum excelsum, in hoc tabernaculo tuo supplicantes libens protege, dignanter exaudi, aeterna defensione conserva, ut semper felices, semperque in tua religione laetantes, constanter in sanctae Trinitatis confessione, fide Catholica perseverent. Per Dominum etc. in unitate Spiritus Sancti Deus.[2])

Deinde stans adhuc conversus ut prius, ibidem extensis manibus ante pectus dicit Praefationem: Per omnia saec. saec. Amen. Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo. Sursum. Habemus. Gratias. Dignum. Vere dignum et iustum est etc. aeterne Deus, adesto precibus nostris, adesto Sacramentis, adesto etiam piis famulorum tuorum laboribus nobisque misericordiam tuam poscentibus. Descendat quoque in hanc Ecclesiam tuam quam sub invocatione sancti nominis tui, in honorem sanctae crucis, in qua coaeternus tibi filius tuus

---

1) Gel. El. Rat. dicata. El. Rat. desuper hanc sanctificationis domum. Gel. El. Rat. hic invocantibus te.

2) M. sanct. dominator. El. et terrestria moderaris. M. serva. Gel. servorum ut. Gel. El. hancque bas. Gel. El. in honorem sancti Ill. sacris M. sacris ministris. Gel. El. adorare in M. loco isto. Gel. M. manum fortem. Gel. El. M. et br. excelsum. Gel. El. M. in habitaculo. Gel. El. libens protege. M. liberes protege. Gel. semperque tua rel. El. semper tua rel. Gel. El. Tum fide c.

Dominus noster, Iesus Christus pro redemtione mundi pati dignatus est, et memoriam Sancti tui N. nos indigni consecramus, Spiritus Sanctus tuus, septiformis gratiae ubertate redundans, ut quotiescunque in hac domo tua sanctum nomen tuum fuerit invocatum, eorum qui te invocaverint, a te pio Domino preces exaudiantur. O beata et sancta Trinitas, quae omnia purificas, omnia mundas et omnia perornas. O beata maiestas Dei, quae cuncta imples, cuncta contines, cuncta disponis. O beata et sancta manus Dei, quae omnia sanctificas, omnia benedicis, omnia locupletas. O sancte Sanctorum Deus, tuam clementiam humillima devotione deposcimus, et hanc Ecclesiam tuam per nostrae humilitatis famulatum, in honorem sanctae et victoriosissimae crucis et memoriam sancti tui N. puri ✝ ficare, bene ✝ dicere, et conse ✝ crare, perpetua sanctificationis tuae ubertate digneris. Hic quoque Sacerdotes sacrificia tibi laudis offerant. Hic fideles populi vota persolvant. Hic peccatorum onera solvantur, fidelesque lapsi reparentur. In hac ergo quaesumus Domine domo tua Spiritus Sancti gratia aegroti sanentur, infirmi recuperentur, claudi curentur, leprosi mundentur, caeci illuminentur, daemonia eiiciantur. Cunctorum hic debilium incommoda, te Domine annuente pellantur, omniumque vincula peccatorum absolvantur, ut omnes, qui hoc templum beneficia iuste deprecaturi ingrediuntur, cuncta se impetrasse laetentur, ut concessa misericordia, quam precantur, perpetuo miserationis tuae munere glorientur [1]) **Quod sequitur, dicit plane legendo, ita tamen, quod a circumstantibus audiri possit.** Per eundem. ℟. Amen.

Praefatione finita, Pontifex accepta mitra, procedit ante altare et ibi cum praemissa aqua benedicta facit maltam seu caementum, quod mox, deposita mitra, stans ibidem benedicit dicens: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Summe Deus, qui summa et media, imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis, sancti ✝ fica, et bene ✝ dic has creaturas calcis et sabuli. Per Christum. ℟. Amen.

Caementum benedictum reservatur, sed residuum aquae benedictae funditur ad basim, sive pedem stipitis altaris per circuitum. [2]) **Pontifex deinde**

---

1) Hanc Praefationem unus continet M. in honore — dignatus est et Sancti Martyris tui N. — cuncta reples — et cuncta disp. — in honore sanctae — et sancti Martyris tui N. — ben. consecrareque — perpetuae sanctif. — sacrif. l. off. — ingredientur.

2) Iam in Gelasiano praecipitur: „Primitus enim ponis super cornu altaris digito tuo vinum cum aqua mixtum et asperges altare septem vicibus: reliquum autem fundes ad basim.“ Caementum illud in reliquis codicibus commemoratur.

procedit processionaliter cum cruce et clero ad locum, in quo Reliquiae nocte praeterita conservatae fuerunt, et deferatur Chrisma usque ad fores Ecclesiae, sed priusquam locum ipsum ingrediatur, stans ab extra, deposita mitra, dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Aufer a nobis quaesumus Domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum. ℟. Amen.[1])

Deinde Pontifice locum ipsum cum Presbyteris et clero ingrediente, schola cantat Antiphonas sequentes: O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti amicti stolis albis, sequuntur Agnum quocunque ierit. — Movete vos Sancti Dei de mansionibus vestris, ad loca festinate, quae vobis parata sunt. — Ecce populus custodiens iudicium et faciens veritatem, in te speraverunt Domine usque in aeternum. — Via Sanctorum facta est recta et iter eorum praeparatum est. *Psalmus.* Venite exultemus etc. Et non dicitur Gloria. Vel si magis placet, omissis omnibus praemissis Antiphonis cum Psalmo, schola cantat Responsorium de illo Sancto, cuius sunt ipsae Reliquiae. Interim Pontifex manet stans iuxta Reliquias. Finitis autem Antiphonis cum Psalmo, vel Responsorio praedictis, Pontifex stans ibidem coram Reliquiis detecto capite dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Fac nos quaesumus Domine, sanctorum tuorum tibi specialiter dedicata membra digne contingere, quorum patrocinia cupimus incessanter habere. Per Christum. ℟. Amen.[2])

Tum Pontifex, assumta mitra, imponit incensum in thuribulo et fit processio, hoc ordine. Procedunt duo ceroferarii cum luminaribus, deinde crux, tum clerus cantans Antiphonas subsequentes, post hos Sacerdotes portantes feretrum cum Reliquiis et iuxta eos Thuriferarius continuo Reliquias ipsas incensans, et immediate ante Reliquias ipsas praecedant aliqua intortitia, deinde Pontifex paratus cum suis ministris. Processione igitur locum ipsum exeunte, Pontifex inchoat primam Antiphonam, schola ipsam et omnes alias sequentes prosequente: Cum iucunditate exibitis et cum gaudio deducemini, nam et montes et colles exilient expectantes vos cum gaudio. Alleluia. — Surgite Sancti Dei de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite, et nos homines peccatores in pace custodite. — Ambulate Sancti Dei, ingredimini in civitatem Domini, aedificata est enim nobis Ecclesia nova ubi populus adorare debet maiestatem Domini. — Istorum est enim regnum coelorum, qui

---

1) Gregorianum Sacram. inscribit huic Collectae: Quando reliquiae levantur. Ex more facit cum Romano M., fere ad verbum convenit cum Pontificali.

2) M. Gel. specialiter dicata.

contemserunt vitam mundi et pervenerunt ad praemia regni et lavarunt stolas suas in sanguine Agni. **Eis igitur ad Ecclesiae consecrandae fores pervenientibus, priusquam ingrediantur, dimissa ante fores Ecclesiae schola Antiphonas praedictas cantante, Pontifex, praecedentibus ipsum duobus ceroferariis, cruce, thuriferario et Sacerdotibus feretrum Reliquiarum portantibus, circuit Ecclesiam cum ipsis Reliquiis, populo sequente et clamante:** Kyrie eleïson.[1]) **Quo facto Pontifex sedens cum mitra in faldistorio ante fores Ecclesiae ad id parato, brevi sermone populum alloquitur:**

Quanta fratres carissimi Ecclesiis et Deo dicatis locis habenda sit reverentia, canones et leges et universalis religiosus fidelium cultus declarat. Nullibi enim, quam in sacris basilicis, Domini offerri sacrificium debet. Praecipiente siquidem Domino per Moysen, tabernaculum cum mensa atque altari et aereis vasis, utensilibusque consecratum est ad divinum cultum explendum, ipsum quoque tabernaculum non solum sacrasse sed oleo quoque liniisse legimus. In ipso autem tabernaculo non alii quam sancti Sacerdotes et Levitae vestibus sacris ornati Sacramenta tractabant et pro populo oblationes offerebant. Postmodum tam Reges Hebraeorum suum templum quam Romani Christiani principes Basilicas a se constructas summa in veneratione habuerunt, immunesque ab omni vulgari strepitu et negotio esse voluerunt, ut domus orationis ad aliud nullum commercium atque usum accommodaretur. Eamque privilegii et immunitatis praerogativam habere voluerunt, ut si quis temerarias sacrilegus manus apposuisset, gravissimis suppliciis afficeretur. Non enim iustum visum est, domum Dei altissimi temerariis praesumtionibus expositum esse, nec latronum (iuxta verbum veritatis) speluncam esse. Locus est salutis, portus naufragantibus, ad quem de tempestatibus anchora iacitur. Hanc beneficia petituri adeunt, et iustae eorum preces exaudiuntur. Capitalium criminum rei ad hanc fugientes, impunitatem facti, implorantibus Sacerdotibus accipiunt. Magna ergo veneratione sacratas Domino Basilicas adeatis, fratres carissimi mundique facinoribus Domino oblationes cordis vestri offeratis. De quibus Basilicis haec una est, cui N. et N. summi Pontifices privilegia concesserunt, quam vos aedificari fecistis (vel N. aedificari fecit) et nobis humiliter supplicastis (vel supplicavit), ut eam consecrare dignaremur. Nos autem vestris (suis) honestis supplicationibus inclinati, eam in honorem omnipotentis Dei, beatae Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum, ac memoriam sancti N. dedicamus et in eius

---

1) M. Populus vero sequens cum mulieribus et parvulis cantet Kyrie eleïson.

Altari Reliquias Sanctorum N. et N. Deo propitio, poni decrevimus, et in altari N. vel in loco N. sunt corpora vel Reliquiae Sanctorum N. et N., quae vel quas qui devote visitaverit, indulgentiam N. per N. concessam obtinebit. Vos insuper moneo, fratres carissimi, ut decimas, quae sunt divina tributa, integre Ecclesiis et Sacerdotibus persolvatis. Has sibi Dominus ad universalis dominii signum reservavit. Audite sanctum Augustinum: Decimae tributa sunt egentium animarum. Quodsi decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis et animae consequeris. Non igitur Dominus Deus praemium postulat, sed honorem. Deus enim noster, qui dignatus est, totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere, non sibi sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est, quanto peius est non dedisse? De militia, de negotio, de artificio redde decimas. Cum enim decimas dando et terrena et coelestia possis praemia promereri, quare pro avaritia duplici benedictione fraudaris? Haec est enim Dei iustissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti, et hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. Revertimini ad me, inquit Dominus apud prophetam et revertar ad vos. Et dixistis: In quo revertemur? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis et in primitiis. Et in penuria vos maledicti estis et me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea et probate me super hoc, dicit Dominus: si non, aperuero vobis cataractas coeli et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terrae vestrae, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes, eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. Evitanda est itaque Domini indignatio, solvendae decimae et tributa divina persolvenda, nec pro temporali commodo amittenda sunt secutura bona, quae expectantur. Memores ergo haec accipite, fratres carissimi, et intellecta pro desiderio complete, ut aeterna pro temporalibus accipere beneficia mereamini.[1])

---

1) M. Facto silentio P. habet verbum ad plebem de ecclesiastico, de Decimis et obligationibus ecclesiarum ac de Anniversario ipsius ecclesiae et Dedicatione. Et annuntiat Clero et Populo in cuius honorem constructa et dedicata sit ecclesia et nomina Sanctorum ibi quiescentium. Ipse autem Dominus et constructor illius ecclesiae teneatur de dote illius et qualem ecclesiae honorem et Presbyteris debeat exhibere.

Archidiaconus legat sequentia duo decreta sacrosancti Concilii Tridentini: Siquem clericorum (Sess. XXII. c. 11) et: Non sunt ferendi (Sess. XXV. c. 12). Postea Pontifex ad fundatorem dicat: Scias, frater carissime, quoniam non permittunt iura Ecclesias sine ministris ac dote conservari. Quemadmodum enim dos matrimonium consequitur sic et ad sustentationem ministrorum facultates necessariae sunt. Ea itaque ratione, frater carissime, scire volumus, quot Sacerdotes et clericos et qualem eis honorem vis exhibere et de quo Ecclesiam dotare proponis. Et ut intelligas, qualem tibi atque haeredibus tuis honorem et commoditatem exhibet Ecclesia, scias, ut gratitudinem ipsam ad fundatores ostendat, quod a sanctis Patribus statutum est, in diei dedicationis anniversario solemni fundatores et eorum haeredes in processionibus primos esse debere, et si casu ad egestatem pervenerint, grata recordatione Ecclesia fundatoris piam liberalitatem recognoscit. Qui ad interrogata, prout sibi placuerit, respondet, de quo fiat publicum instrumentum, si numerus clericorum, honor et dos sufficiens fuerit. Tunc fundator ipse et plebs profitentur se iussa Pontificis impleturos. Deinde Pontifex iubet Deum deprecari pro eo, qui Ecclesiam construxit et dotavit et pro eo, qui eam consecrari petiit et concedat, illis partem in omnibus bonis, quae ibi fieri continget. Quo facto, Pontifice sic sedente, antequam quis Ecclesiam ingrediatur, schola cantat Responsorium: Erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, et vocabitur domus Dei, et de universis, quae dederis mihi, decimas et hostias pacificas, offeram tibi. ℟. Si reversus fuero ad domum patris mei, Decimas. Tum Pontifex deposita mitra, surgit et versus ad ostium Ecclesiae ibidem stans, dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Domum tuam quaesumus Domine clementer ingredere et in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem, et praesta, ut domus haec, quae tua subsistit dedicatione solemnis, tua fiat habitatione sublimis. Per Dom. ℟. Amen.[1])

Qua oratione finita priusquam ingrediatur, intingit pollicem dexterae manus in sanctum Chrisma et cum eo in modum crucis, signat ostium Ecclesiae exterius dicens: In nomine Pa✝tris et Fi✝lii et Spiritus ✝ Sancti, porta sis benedicta, sanctificata, consecrata, consignata et Domino Deo commendata; porta sis introitus salutis et pacis, porta sis ostium pacificum, per eum, qui se ostium appellavit, Iesum Christum Dominum nostrum, qui. ℟. Amen.[2])

---

1) El. tibi constitue. M. de tua. El. mansionem ut cuius aedificatione subsistit huius fiat habitatione praeclara.

2) Non exstat formula in libris vetustis.

Quo dicto Presbyteri elevant feretrum Reliquiarum et ingrediendo Ecclesiam cum clero et populo processionaliter, Pontifex cum mitra incipit et schola prosequitur Antiphonam: Ingredimini Sancti Dei, praeparata est enim a Domino habitatio sedis vestrae, sed et populus fidelis cum gaudio insequitur iter vestrum, ut oretis pro nobis maiestatem Domini. Alleluia. Alia: Gaudent in coelis animae Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti, et quia pro eius amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christi exultant sine fine. Interim processionaliter vadunt per Ecclesiam. Cum pervenerint ad altare, in quo Reliquiae sunt condendae, Reliquiis ipsis cum feretro prope altare positis et luminaribus iuxta illas ardentibus,[1]) Pontifex stans cum mitra ante altare, inchoat, schola prosequente Antiphonam: Exultabunt Sancti in gloria et laetabuntur in cubilibus suis. *Psalmus.* Cantate Domino canticum novum etc. Et non dicitur Gloria, sed repetitur Antiphona. Qua dicta Pontifex, deposita mitra, versus ad altare dicit:

Oremus. Deus qui in omni loco dominationis tuae clemens ac benignus dedicator assistis, exaudi nos, quaesumus et concede, ut inviolabilis permaneat huius loci consecratio et beneficia tui muneris universitas fidelium, quae tibi supplicat,[2]) percipere mereatur. Per Christum. ℟. Amen.

Tum Pontifex accepta mitra, intingit pollicem dextrae manus in sanctum Chrisma et cum eo signat confessionem, i. e. sepulcrum altaris in quo Reliquiae sunt reponendae in quatuor angulis, faciens in singulis signum crucis, et dicens Conse ✝ cretur et sancti ✝ ficetur hoc sepulcrum. In nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti. Pax huic domui. Deinde deposita mitra, recondit veneranter vasculum ipsum cum Reliquiis et aliis, prout hesterna die per eum fuit sigillatum, in sepulcro altaris, quibus reconditis, Pontifex inchoat, schola prosequente Antiphonam: Sub altare Dei sedes accepistis Sancti Dei, intercedite pro nobis ad Dominum Iesum

---

1) El. M. „Et quum pervenit ad locum in quo reliquiae recondendae sunt extenso velo inter clerum et populum ante Altare Episcopus ponat Chrisma etc." Rat. reliquias condi iubet in Confessione i. e. in loco cavato subtus altare. Binterim l. c. p. 35: Die Gräber der Reliquien lagen an der Vorderseite des Altares unter der Erde oder in der Tiefe, wo der Priester zum Altare hinaufzusteigen pflegte. Im 9ten Iahrh. erlaubte aber Leo IV, dass sie auch im Obertheile des Altares, welches wir noch Sepulcrum nennen, könnten gelegt werden. Doch wurde noch lange nachher in mehreren Provinzen der alte Brauch beibehalten, weil Einigen diese Benennung nicht gefiel. Sogar erzählt Otto v. Cluny, Lib. 2 Collat. c. 28 die h. Walburg sei einem Kranken erschienen und habe gesagt: Deswegen werdet ihr nicht genesen, weil meine Reliquien auf dem Altar liegen, wo allein das göttliche Geheimniss darf verrichtet werden.

2) M. quae supplicat.

Christum. ℣. Exultabunt Sancti in gloria. ℟. Et laetabuntur in cubilibus suis. Et non dicitur Gloria, sed Antiphona repetitur; interim dum praemissa cantantur, Pontifex sine mitra thurificat Reliquias inclusas, quo facto, imposita sibi mitra, accipit tabulam, seu lapidem, cum qua debet claudi sepulcrum, in manum sinistram et pollicem dextrae manus intingit in sanctum Chrisma et cum eo facit in medio dictae tabulae sive lapidis de subtus signum crucis, dicens: Conse ✝ cretur, et sancti ✝ ficetur haec tabula (hic lapis) per istam unctionem et Dei benedictionem. In nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti. Pax tibi. Et mox linit cum caemento, ponit et coaptat tabulam seu lapidem super sepulcrum, claudens illud et inchoans, schola prosequente Antiphonam: Sub altare Dei audivi voces occisorum dicentium, quare non defendis sanguinem nostrum? Et acceperunt divinum responsum: adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Alia: Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt et vivent nomina eorum in aeternum. Gloria Patri. Posthaec Pontifex deposita mitra dicit:

Oremus. Deus qui ex omnium cohabitatione Sanctorum aeternum maiestati tuae condis habitaculum, da aedificationi tuae incrementa coelestia, et praesta, ut quorum hic Reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adiuvemur. Per Christum. ℟. Amen.[1])

Tunc accepta mitra, Pontifice prius incipiente, caementarii cum caemento benedicto, firmant ipsam tabulam seu lapidem super sepulcrum, deinde Pontifex intingit iterum pollicem dexterae manus in sanctum Chrisma et cum eo format signum crucis super eandem tabulam sive lapidem, dicens: Signe ✝ tur, et sancti ✝ ficetur hoc altare. In nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti. Pax tibi. Tum imponit incensum in thuribulum dicens: Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis. In nomine Pa ✝ tris etc. — Et dextera manu producit desuper signum crucis et deposita mitra, inchoat, schola prosequente, cantum: Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa, et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Alleluia. Interim cum mitra thurificat altare undique ad dexterum et sinistrum latus, ante et desuper, donec praemissus cantus finiatur, quo finito, stans coram altari sine mitra, dicit:

Oremus. Dirigatur oratio nostra quaesumus Domine, sicut incensum in conspectu tuo et copiosa beneficia Christianus populus assequatur, ut quicunque tibi in hoc altari sacranda libamina devo-

---

1) Gel. El. coaptatione. Greg. M. coaptione. M. maiestatis tuae. Gel. Greg. El. aeternum tibi. Gel. coel. et quorum. Greg. El. coel. ut quorum. Gel. pio more. O. pro tuo amore.

tus obtulerit, vel sacrata susceperit, et vitae subsidia praesentis accipiat, et remissionem omnium peccatorum pariter consequatur et gratiam sempiternae redemtionis percipiat. Per Christum. ℟. Amen. 1)

Posthaec Pontifex accepta mitra, sedet, et ministri extergunt mensam altaris cum linteo mundo, et mox Pontifex thurificat super illam in modum crucis in medio et in quatuor eius cornibus, quo facto Pontifex ponit iterum incensum in thuribulo et illud benedicit, ut supra videlicet: Ab illo benedicaris etc. ac tradit uni Sacerdoti superpelliceo induto, qui continue altare circuit incensando, donec consecratio perficiatur, excepto eo tempore, quo Pontifex illud incensat, tunc enim Pontifici thuribulum praesentat, et per Pontificem thurificato, illud iterum accipit et ut prius incensat. Tum Pontifex adhuc cum mitra stans inchoat, schola prosequente, Responsorium: Dirigatur. ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Quod dum cantatur, Pontifex circuit ter altare ad dextram continue thurificando. Finita incensatione Pontifex inchoat, schola prosequente, Antiphonam: Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Deo Iacob. *Psalmus.* Quam dilecta etc. Et non dicitur Gloria. Dum Antiphona et Psalmus praedicti cantantur Pontifex stans cum mitra, intingit pollicem dexterae manus in oleum catechumenorum, et cum eo in medio altaris et quatuor eius cornibus, in locis in quibus fecerat cruces de aqua benedicta, videlicet, primam in medio altaris, secundam in dextro posteriori i. e. Evangelii, tertiam in sinistro anteriori, quartam in dextro anteriori, quintam in sinistro posteriori, dicens, dum singulas cruces facit: Sancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur lapis iste. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti, in honorem Dei et gloriosae Virginis Mariae atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam Sancti N. Pax tibi. Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito et benedicto, ut prius incenso, stans cum mitra, inchoat schola prosequente Responsorium: Dirigatur. Et dicitur totum. Quo incepto Pontifex circuit semel altare ad dextram, thurificando illud, deinde restituto thuribulo Sacerdoti, et Responsorio finito, deposita mitra dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Adsit Domine misericordiae tuae ineffabilis pietas, et super hunc lapidem opem tuae bene ✠ dictionis et virtutem tuae unctionis infunde, ut te largiente, referat praemium quisquis intulerit votum. Per Christum. ℟. Amen.

Oratione finita Pontifex inchoat, schola prosequente Antiphonam: Mane surgens Iacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper,

1) Non investigavi Orationem in libris vetustis.

votum vovit Domino, vere locus iste sanctus est et ego nesciebam. *Psalmus.* Bonum est confiteri etc. Et non dicitur Gloria. Incepta Antiphona Pontifex accepta mitra facit iterum quinque cruces cum pollice de eodem oleo catechumenorum in eisdem locis altaris, et eo ordine, prout prius fecit, dicens dum singulas cruces facit: Sancti ✝ ficetur etc. Deinde Pontifex accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito et benedicto, ut prius incenso, stans cum mitra inchoat iterum, schola prosequente, Responsorium: Dirigatur. Et dicitur totum. Quo incepto circuit iterum semel altare ad dextram, illud incensando, quo facto restituto thuribulo Sacerdoti et Responsorio finito, Pontifex deposita mitra, dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Adesto Domine dedicationi huius mensae tuae et in eam quae a nobis indignis sancto linita est oleo, bene ✝ dictionis et sancti ✝ ficationis tuae virtutem et consecrationem infunde. Qui vivis. ℟. Amen.[1]) Alia.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc quod in honorem tuum et in memoriam Sancti tui N. nos indigni consecramus, virtute tuae bene ✝ dictionis sanctifica, et omnibus te hic invocantibus atque in te sperantibus auxilii tui munus ostende, ut huic altari imposita munera semper accepta fieri digneris et in eo Sacramentorum virtus et votorum semper obtineatur effectus. Per Christum. ℟. Amen.[2])

Qua finita Pontifex incipit, schola prosequente Antiphonam: Unxit te Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis. *Psalmus.* Eructavit. Et non dicitur Gloria. Incepta Antiphona Pontifex, accepta mitra, iterum facit quinque cruces de sancto Chrismate cum pollice dexterae manus in medio tabulae altaris et in quatuor eius angulis, ordine superposito, ad quamlibet crucem dicens: Sancti ✝ ficetur etc. Deinde Pontifex accepto ut supra thuribulo et benedicto incenso, stans cum mitra inchoat schola prosequente Antiphonam: Dirigatur. Et dicitur totum. Quo incepto Pontifex circuit semel altare ad sinistram, illud incensans, ut prius, quo incensato, restituto ut antea thuribulo, deposita mitra dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Descendat quaesumus Domine Deus noster Spiritus tuus Sanctus super hoc altare, qui et dona nostra et populi tui in eo sanctificet et sumentium corda dignanter emundet. Per Dom. ℟. Amen.[3])

---

1) Collectae: Adsit Domine et Adesto Domine recentioris sunt originis.

2) El. altare nomini tuo dicatum. — Coelestis virtutis benedictione sanctifica — omnibus in te sperantibus — ostendant hic Sacramentorum virtus et vot. obtin. eff.

3) Greg. El. qui et populi tui dona sanctificet. In Gregoriano inscribitur Post velatum altare.

Qua dicta Pontifex inchoat et schola prosequitur Antiphonam: Sanctificavit Dominus tabernaculum suum, quia haec est domus Dei, in qua invocabitur nomen eius, de quo scriptum est: et erit nomen meum ibi, dicit Dominus. *Psalmus.* Deus noster refugium etc. Et non dicitur Gloria. Interim dum Antiphona et Psalmus praedicti dicuntur, Pontifex accepta mitra, fundit et spargit de oleo catechumenorum et Chrismate pariter super altare, illud manu dextra confricans, liniens et perungens. Quo facto incipit schola prosequente Antiphonam: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedicit Dominus, crescere te faciat Deus meus sicut arenam maris et donet tibi de rore caeli benedictionem. *Psalmus.* Fundamenta etc. Et non dicitur Gloria. Finito psalmo Pontifex stans cum mitra, dicit:

Lapidem hunc, fratres carissimi, in quo unguentum sacrae unctionis effunditur et suscipienda populi sui vota et sacrificia, oremus ut Dominus noster et benedicat, consecret et quod est unctum a nobis, sit unctum in nomine eius, ut plebis vota suscipiat, et altari per sacram unctionem perfecto, dum propitiationem sacrorum imponimus ipsi propitiatores Dei esse mereamur. Per Iesum Christum. ℟. Amen.

Quo dicto inchoat Antiphonam, schola ipsam et Psalmum ac sequentia Responsoria prosequente: Lapides pretiosi omnes muri tui et turris Ierusalem gemmis aedificabuntur. *Psalmus.* Lauda Ierusalem Dominum etc. Gloria. — Haec est Ierusalem civitas illa magna coelestis, ornata tamquam sponsa Agni. Quoniam tabernaculum facta est Allel. ℣. Portae eius non claudentur per diem, nox enim non erit in ea. Quoniam. — Plateae tuae Ierusalem sternentur auro mundo All. Et cantabitur in te canticum laetitiae All. Et per omnes vicos tuos dicetur ab universis Allel. Allel. ℣. Luce splendida fulgebis et omnes fines terrae adorabunt te. Et per omnes. — Interim dum ipsa cantantur, Pontifex cum mitra incipiens retro altare et procedens ad eius dextram inungit Chrismate cum pollice dextero singulas duodecim cruces in parietibus Ecclesiae depictas, ad unamquamque crucem dicens: Sancti ✠ ficetur etc. Et mox accepto thuribulo, crucem peruncctam incensat. His peractis Pontifex ad altare revertitur, ac stans cum mitra et thurificans super illo inchoat, schola prosequente Antiphonam: Aedificavit Moyses altare Domino Deo offerens super illud holocausta et immolans victimas, fecit sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo in conspectu filiorum Israel. Qua finita stans adhuc cum mitra dicat: Dei patris omnipotentis misericordiam supplices imploremus, fratres carissimi, ut altare hoc sacrificiis spiritualibus imbuendum, nostrae vocis exoratus officio praesenti bene ✠ dictione

sanctificet atque in eo semper oblationes famulorum suorum studio sanctae devotionis impositas bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare dignetur, et spirituali placatus incenso precibus familiae suae promtus exauditor assistat. Per Christum. ℟. Amen.[1]) Deinde benedicit incensum super altare cremandum, stans ibidem, deposita mitra, dicens versus: Domine exaudi. ℟. Et clamor Dominus vob. ℟. Et cum.

Oremus. Domine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale et igneum esse cognoscitur, dignare respicere, bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare hanc creaturam incensi, ut omnes languores, omnesque infirmitates atque insidiae inimici odorem eius sentientes effugiant, et separentur a plasmate tuo, quod pretioso filii tui sanguine redemisti, ut nunquam laedatur a morsu iniqui serpentis. Per eundem. ℟. Amen.[2])

Deinde aspergit ipsum aqua benedicta et accepta mitra, format propria manu ex ipso incenso quinque cruces, quamlibet de quinque granis, super illa quinque loca altaris, in quibus cruces de aqua et oleo ac Chrismate factae prius fuerunt et super quamlibet crucem thuris ponit unam crucem factam de subtili candela, ad mensuram crucis de granis incensi factae, et cuiuslibet crucis capita accenduntur, ut cum ipsis thus comburatur et crémetur. Omnibus autem crucibus accensis, Pontifex deposita mitra, flexis coram altari genibus, inchoat, schola prosequente Alleluia. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eius ignem accende. Nisi consecratio fiat inter Dominicam Septuagesimae et festum Paschae Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, quia tunc omisso Alleluia dicitur versus ad altare sine mitra et schola cantat Antiphonam duas sequentes: Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli. Alia: Stetit Angelus iuxta aram templi habens thuribulum in aureum manu sua et data sunt ei incensa multa et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Sine Alleluia. Quibus finitis Pontifex adhuc stans ante altare sine mitra dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus, clemens et propitius pro-

---

1) Gel. Missale Francorum. M. T. mis. deprecemur dilectissimi fratres. Greg. Deprecamur mis. A. o. a. D. Gel. Greg. Miss. Fc. T. M. sp. consecrandum. T. spiritalis. Gel. Greg. Miss. Fc. T. exorandus. Greg. Miss. Fc. T. ut in eo. M. et in eo. Greg. M. famulor. tuorum. Gel. omittit atque in eo oblationes famulorum suorum. Gel. Greg. Miss. Fc. T. suae devotionis. M. suae devot. . . . . benedicere. M. ut spir. Gel. Greg. Miss. Fc. spiritali. T. spiritale placatus incensum. Gel. Miss. Fc. precanti famil. s. M. praesenti f. s. T. Greg. incensum familiae.

2) Desideratur in vetustioribus libris.

ces nostrae humilitatis exaudi, et respice ad huius altaris tui holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusum sancti Spiritus tui gratia in odorem suavitatis ascendat et legitime se sumentibus Eucharistia medicabilis fiat ad vitamque proficiat sempiternam. Per Christum. ℟. Amen.[1])

Post haec, combustis candelis et thure, cineres illius combustionis per unum ex ministris cum spatulis ligneis abraduntur, et collecti in aliquo vase proiiciuntur in sacrario. Interim Pontifex sine mitra stans ante gradus altaris, versus ad altare dicit:

Oremus. Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate. Deus omnipotens, in cuius honorem, ac beatissimae Virginis Mariae et omnium Sanctorum, et memoriam Sancti tui N. nos indigni altare hoc consecramus, clemens et propitius preces nostrae humilitatis exaudi et praesta, ut in hac mensa sint libamina tibi accepta, sint grata, sint pinguia, et Sancti Spiritus tui semper rore perfusa, ut omni tempore hoc in loco supplicantis tibi familiae tuae anxietates releves, aegritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per Dom.[2])

Deinde eodem modo stans dicit mediocri voce extensis manibus ante pectus, Praefationem hanc:

Per omnia saec. saec. Amen. Dom. vob. Et cum. Sursum. Habemus. Gratias. Dignum. Vere dignum etc. aeterne Deus, et ut propensiori cura et attentiori famulatu tibi servitutis officia deferamus, hoc praesertim tempore, quo religiosarum mentium habitum ultra parietum ornatum delegisti, templum istud, in quo Sancti tui N. mentio habetur, bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris, per cuius sacram reverentiam et honorem sacratissimo nomini tuo hoc altare dedicamus. Huius igitur Domine efflagitatus precibus, dignare hoc altare coelesti sancti ✝ ficatione perfundere et bene ✝ dicere. Assistant Angeli claritatis, et Sancti Spiritus illustratione perfulgeat. Sit illius quoque apud te gratiae, cuius fuit illud, quod Abraham, pater fidei, in nostrae figuram redemtionis, filium immolaturus extruxit, quod Isaac in conspectu tuae maiestatis instituit, quod Iacob Dominum magna videns visione erexit, ut hic orantes exaudias, hic oblata sancti ✝ fices, hicque superposita bene ✝ dicas, hic quoque benedicta distribuas. Sit ergo Ecclesiae tuae titulus sempiternus, sit mensa coelesti spiritualique convivio

1) M. huj. alt. holocaustum — infusa — et ad vitam.

2) Gel. in cuius honorem altare sub invocatione nominis tui consecramus — anxietates — preces audias. Greg. honore hoc alt. sub inv. tui nom. cons. — ut omni.

praeparata. Tu igitur, Domine proprio ore tuo hostias super eam impositas bene ✝ dicito et benedictas suscipito, ac nobis omnibus tribue, ut participatione earum vitam acquiramus sempiternam. Quod sequitur, dicit submissa voce legendo ita tamen quod a circumadstantibus audiatur: Per Dominum nostrum etc. ℟. Amen.[1])

Praefatione finita, Pontifex inchoat, schola prosequente Antiphonam: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem. Alleluia. *Psalmus.* Exurgat Deus etc. Et dicitur totus; incepta Antiphona Pontifex, accepta mitra cum pollice dextrae manus Chrismate intincto facit crucem in fronte altaris, nihil dicens. Quo facto et praedicto Psalmo finito, deposita mitra dicit:

Oremus. Maiestatem tuam Domine humiliter imploramus, ut altare hoc sacrae unctionis libamine ad suscipienda populi tui munera inunctum potenter bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris, ut quod nunc nobis indignis, sub tui nominis invocatione in honorem beatissimae virginis Mariae et omnium Sanctorum atque in memoriam Sancti tui N. sacrosancti Chrismatis unctione delibutum est, placeat tibi atque altare maneat perpetuum, ut quicquid deinceps super illud oblatum sacratumve fuerit, dignum tibi fiat holocaustum, atque omnium hic offerentium sacrificia a te pio Domino benigne suscipiantur, et per ea vincula peccatorum nostrorum absolvantur, maculae deleantur, veniae impetrentur, gratiae acquirantur, quatenus una cum Sanctis et Electis tuis vitam percipere mereamur aeternam. Per Christum. ℟. Amen.[2])

Tunc Pontifex, accepta mitra cum pollice dexterae manus Chrismate intincto inungit in modum crucis coniunctiones mensae, seu tabulae altaris et tituli, sive stipitis, quatuor angulis, quasi illa coniungens ad singulas cruces dicens: In nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ Sancti. Deinde deposita mitra, dicit;

Oremus. Supplices te deprecamur, omnipotens aeterne Deus, per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, ut altare hoc sanctis usibus praeparatum coelesti bene ✝ dictione sanctifices, et sicut Melchisedec Sacerdotis praecipui oblationem dignatione mirabili suscepisti, ita imposita huic novo altari munera

---

1) M. et ut attentiori — hoc praesenti in tempore — et templum — Sanctorum tuorum (illorum) mentio habetur — dignare — per quorum — sanctissimo nomini — Horum igitur — magna videns erexit — supposita — coelestis — tu ergo — atque nobis — acquiramus aeternam.

2) M. sanctae unct. libramine — inv. in honore et nomine Sancti Martyris tui illius — tibi sit — venia impetretur.

semper accepta ferre digneris, ut populus, qui in hanc Ecclesiae domum sanctam conveniet, per haec libamina coelesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur. Per eundem. ℟. Amen.[1])

Posthaec Subdiaconi abstergunt diligenter cum mantilibus telae grossae mensam altaris, et Pontifex accedit ad sedem suam iuxta altare, in qua cum mitra sedens bene fricat manus cum medulla panis ac lavat et extergit. Quo facto Subdiaconis seu Acolythis praesentantibus ipsi Pontifici, tobaleas novas et mundas ac vasa et ornamenta ad cultum Dei et Ecclesiae, ac altaris consecratorum pertinentia, Pontifex deposita mitra surgit et stans illa benedicit, dicens.

Adiutorium nostrum. Qui fecit. Dom. vob. Et cum.

Oremus: Omnipotens et misericors Deus, qui ab initio utilia et necessaria hominibus creasti, templaque manu hominum facta nomini tuo sancto dicari, tuaeque habitationis loca vocari voluisti, quique per famulum tuum Moysen vestimenta pontificalia et sacerdotalia seu levitica et alia quaeque diversi generis ornamenta ad cultum et decorem tabernaculi et altaris tui fieri decrevisti, exaudi propitius preces nostras, et omnia haec diversarum specierum ornamenta in usum huius Ecclesiae tuae et altaris, ad honorem et gloriam tuam praeparata purificare, bene✝dicere, sancti✝ficare et conse✝crare per nostrae humilitatis servitium digneris, ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta existant, hisque confectioni corporis et sanguinis Iesu Christi Filii tui Domini nostri dignis pareatur famulatibus. Qui tecum. ℟. Amen.[2])

Deinde aspergit illa aqua benedicta, tum ministri ponunt super altare chrismata sive pannum linteum ceratum ad mensuram altaris factum, deinde vestiunt altare tobaleis et ornamentis benedictis ponentes desuper crucem et alia ornamenta. Interim Pontifex stans ibidem inchoat Antiphonam primam sequente schola ipsam ac alias Antiphonas sequentes ac Responsoria cum suis versibus et Psalmis prosequente: Circumdate Levitae altare Domini Dei, vestite vestimentis albis, estote et vos canentes hymnum novum dicentes Alleluia. ℣: Mirabilis Deus in Sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. ℣. Gloria Patri. ℟. Sicut erat. Alia: Circumdate Sion et complectimini eam, narrate in turribus eius. ℣. Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei monte sancto eius. Resp.: Induit te Dominus

1) Ignota est libris vetustis.

2) Gel. Miss. Franc. M. Domine Deus omnipotens. Gel. Miss. Fc. sicut ab initio. Omnino Gelasianum Missale Francorum ac Pontificale Maffei tantum in fronte collectae cum hodierno ritu concordant; desinunt in sententias minus prolixas, Romanis aliquantulum dissonas. El tuae huius basilicae vel altaris — servitutem digneris — ut et divinis — albis.

tunica iucunditatis et imposuit tibi coronam et ornavit te ornamentis sanctis. ℣. Nationes longinquo ad te venient et munera deferentes adorabunt Dominum et terram tuam in sanctificatione habebunt et nomen magnum tuum invocabunt. Et ornavit te. ℣. Benedicti erunt, qui te aedificaverunt, tu autem laetaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur et congregabuntur ad Dominum. Et ornavit te. Alia: In velamento alarum tuarum protege nos Domine et in laude tua gloriemur. *Psalmus.* Deus Deus meus, ad te de luce etc. Gloria. Finito psalmo Pontifex deposita mitra ascendit ad altare et facta cruci super altari posita reverentia, incipit schola prosequente Antiphonam: Omnis terra adoret te Deus et psallat tibi, psalmum dicat nomine tuo Domine. Interim Pontifex incensat super altare in modum crucis et Antiphona finita Pontifex eam reincipit et schola prosequitur, et interim iterum ipse Pontifex super altare in modum crucis incensat, quod et tertio facit; quo facto, stans ante medium altaris, dicit:

Oremus. Descendat quaesumus Domine Deus noster, Spiritus tuus Sanctus super hoc altare, qui et dona nostra et populi tui in eo sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet. Per Chr. ℟. Amen.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum coelestis virtutis benedictione sancti✝fica, et omnibus in te sperantibus virtus et votorum obtineatur effectus. Per Dom. ℟. Amen. Dom. vob. Et cum. Benedicamus Domino. Deo gratias.

Quo dicto Pontifex accedit ad sacristiam sive sacrarium, ubi deposito pluviali, si celebrare voluerit, quod conveniens est, accipit sandalia, dicens psalmum: Quam dilecta, cum aliis, deinde lotis manibus, accipit omnia paramenta pontificalia albi coloris. Interim ornatur Ecclesia et luminaria super altari, et credentia atque alibi ubi placuerit, accenduntur. Tunc erit Pontifex Missam celebraturus. Si vero fatigatus nimis celebrare noluerit, facit Missam solemniter per aliquem Sacerdotem celebrari. Missa dicitur, prout in Missali, in ipsa die dedicationis Ecclesiae. In fine Pontifex dat benedictionem solemnem dicens: Sit nomen Domini etc. Et Indulgentias supra declaratas. Quibus publicatis, revertitur ad Sacristiam, ubi depositis sacris vestibus, vadit in pace. Deinde cineres per Ecclesiam aspersi in quibus literae Graecae et Latinae scriptae sunt, per ministros Ecclesiae tolluntur, et Ecclesia totaliter mundatur.[1])

1) Sequitur in Pontificali Altaris Consecratio quae fit sine Ecclesiae Dedicatione, porro Consecratio altaris portatilis. At vero cum in plurimis consentiunt caerimoniae cum iis in quibus supra diximus, necessarium rati sumus

II. ORDO AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM.[1])

Ex Rituali Romano.

Diebus Dominicis et quandocunque opus fuerit[2]) praeparato sale et aqua munda[3]) benedicenda in ecclesia vel in sacristia, Sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus primo dicit[4]) ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde absolute incipiat Exorcismum Salis:

---

haec capita praetermittere. Quod ad ritum Dedicationis, prolixior est quam ut sanctae devotioni fervor per tot horas eadem vi atque ardore flagrare possit: ceteroquin, ritus Collectae etc. fere omnes graves sunt, pulchrae ac vere Christianae neque merentur censuram Gerberi Historie der Kirchencerimonie etc. p. 87 „Sehet, Geliebte im Herrn, so viel Mühe und Arbeit lassen sich die Papisten kosten, wann sie eine neue Kirche einweihen. Denn gewiss ist, dass sie zum wenigsten 6 bis 7 Stund zubringen müssen, bis sie alle Cerimonien vollbringen, die ihnen fürgeschrieben sind. Und ist Alles dahin gerichtet, dass der gemeine Mann beredt werde, dass wann es an einer Cerimonie fehlete, so wäre der Ort nicht recht geweihet, wäre auch der Dienst, der des Orts geleistet wird, Gott nicht angenehm. Wann aber der Kirchweihe ihr Recht geschehen, so sei das gepredigte Wort, die Sacramenta und das Gebet kräftig wegen der Heiligkeit des Orts. So doch Chrisam und Schmier verloren und all ihr Gaukelei kaum einer tauben Nuss werth ist, dann diess Alles der Herr Christus mit einem Spruch verwirft und sagt: Vergebens ehren sie mich mit Menschensatzungen. Matth. 15. Und wie sollte eine solche Kirchweihe Gott gefallen, da bei so grosser Heuchelei seines lieben Sohnes, unseres Herrn Iesu Christi treuen werthen Verdienstes nicht mit einem Worte gedacht wird."

1) Aquae benedictio reliquarum Benedictionum est quasi fundamentum ac necessaria supellex. Nam usum eius praescribit ecclesia, etiamsi res benedicenda fuerit prius oleo sacro inuncta. Si ergo fieri volunt ceterae benedictiones a sacerdote, necesse est ut paratam prius habeat hanc aquam benedictam. Exstant apud antiquos multae Benedictionis formulae, sed raro conveniunt cum hodierna. Discrimen faciebant praeterea inter Benedictionem maiorem, proprio Evangelio, Praefatione etc. insignem et Benedictionem minorem, quae propius accedit ad ritum supra scriptum.

2) Mirifice erravit Clausen Kirchenverfassung u. s. w. III, p. 673, cum aquam benedictam tantum in Vigilia Epiphaniae pro toto anno confici docuerit lectores. Sane vero non in omnibus ecclesiae eadem valebat consuetudo. Ritual. August. 1587 — omnibus diebus Dominicis praeter Dominicam infra Octavas corporis Christi, quando in ecclesia Augustensi habetur salis et aquae benedictio maior. Benediction. Constant. 1597. Advertat Sacerdos a Paschate usque ad Pentecosten non benedici aquam, quando adest aqua in vigilia Paschatis vel Pentecostes benedicta.

3) Baruffaldus: Non licitum est quidquam extranei liquoris miscere cum ista aqua, nisi sit in parva quantitate et in decentia congruta, veluti aqua rosacea ob fragantiam odoris.

4) Rit. August. praemittit: Deus in adiutorium etc. Gloria Patri etc. Kyrie eleison etc. Pater Noster. Ave Maria. Credo. Adiutorium etc.

Exorcizo te creatura salis per Deum ✝ vivum, per Deum ✝ verum, per Deum ✝ sanctum, per Deum qui te per Elisaeum prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquae: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: et sis omnibus sumentibus te sanitas animae et corporis: effugiat atque discedat a loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia et versutia diabolicae fraudis, omnisque spiritus immundus adiuratus per eum qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem.[1])

Oremus. Immensam clementiam tuam, omnipotens aeterne Deus, humiliter imploramus: ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene✝dicere et sancti✝ficare tua pietate digneris: ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis: et quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiae. Per Dominum.[2])

Exorcismus aquae.

Exorcizo te creaturae aquae in nomine Dei ✝ Patris omnipotentis, in nomine Iesu ✝ Christi Filii eius, Domini nostri et in virtute Spiritus ✝ Sancti: ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostaticis: per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. Amen.[3])

Oremus. Deus qui ad salutem humani generis maxima quaeque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris et elemento huic, multimodis purificationibus praeparato, virtutem tuae bene✝dictionis infunde: ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos daemones, morbosque pellendos, divinae gratiae sumat effectum: ut quidquid in domibus vel in locis fidelium haec nuda resperserint, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiae latentis inimici: et si quid

---

1) Benedict. Constant. Benedico te. Greg. Rat. August. Constant. Missale anni 1497 ab eo loco. Greg. aspersus August. fuerit.

2) Conv. praemittit Orationi: Dominus vobiscum etc. August. praeterea: Domine exaudi orationem meam et clamor meus ad te veniat — Aug. implor. ac petimus quidq. eo tactum Greg. Aug. Miss. 1497. spiritalis. (Vox enim spiritualis tam horrida est atque barbara ut ipsam aspernetur ecclesia ad saeculum usque decimum sextum).

3) Greg. Miss. 1497. Aug. Const. et in nomine. Greg. om. et in virtute Sp. s. et in sequentibus valeas.

est, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aspersione huius aquae effugiat, ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum.[1])

Hic ter mittat sal in aquam in modum Crucis dicendo semel: Commixtio salis et aquae pariter fiat in nomine Pa†tris et Fi†lii et Spiritus † Sancti. Amen.[2]) Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus invictae virtutis auctor et insuperabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator: qui inimici rugientis saevitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes et supplices deprecamur ac petimus: ut hanc creaturam salis et aquae dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuae rore sanctifices: ut ubicunque fuerit aspersa, per invocationem sancti nominis tui omnis infestatio immundi spiritus abigatur terrorque venenosi serpentis procul pellatur: et praesentia Sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum.[3])

Post benedictionem aquae Sacerdos Dominicis diebus antequam incipiat Missam aspergit altare deinde se et ministros et populum[4]).

---

1) Greg. om. propitius. Greg. effunde. Greg. Const. Aug. creatura myst. Greg. mysterii tui tibi. Greg. Const. abiiciendos. Greg. car. immundit. Aug. per aspersionem. Greg. Const. Aug. per invoc. nominis.

2) Greg. novit neque trinam salis immissionem, neque propriam formulam, simpliciter dicit hic mittatur sal in aquam. Const. Aug. silentio praetereunt voculam ter, ac discrepant in formula. Aug. Haec commixtio salis et aquae per virtutem D. N. I. C. et gratiam sancti Spiritus salutifera efficiatur. Const. Fiat haec commixtio et consecratio salis et aquae etc. Gerbert. Lit. Al. II. p. 525 „De Vert Explic. T. II, p. 108 verba haec commixtio salis et aquae pariter fiat pro rubrica habet, quae ad precem ipsam detracta sit; quam in antiquissimis monumentis liturgicis invenimus nonnumquam peculiari adiecta rubrica posteriore etiam aetate veluti in Missali San. Blas. sc. XIV Hic mittatur sal in aquam dicens: Commixtio salis et aquae. Haud raro etiam adiectum verbum consecrationis inveniens."

3) Greg. inseparabilis. Const. atque semper m. Aug. adversus Greg. et petimus. Greg. Aug. Const. accipias. Greg. Aug. Const. Miss. 1497. pietatis tuae more (Gerbert. l. c. Id recte observavit De Vert ac De Moleon Voyage litt. p. 51. 197, quod constanter inveni in codicibus antiquis p. t. more cf. p. 376) Miss. 1497. Aug. Cont. obiiciatur. Addit. Cont.: Pax et benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super hanc creaturam Salis et Aquae.

4) Altare non aspergitur si ibi expositum sit S. Sacramentum. Circuit Sacerdos, Pluviali indutus, ecclesiam et aspergit populum. Interim recitatur Antiphona Asperges me hyssopo etc. et Psalmus Miserere mei Deus, tempore Paschali Antiphona Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro All. et omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt et dicent All. ac Psalmus

Postea Christi fideles possunt de ipsa aqua benedicta in vasculis suis accipere et secum deferre ad aspergendos aegros, domos, agros, vineas et alia et ad eam habendam in cubiculo suis, ut ea quotidie et saepius aspergi possint.[1])

III. BENEDICTIO CANDELARUM IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.[2])

Ex Missali Romano.

Finita Tertia Sacerdos indutus Pluviali violaceo vel sine casula cum ministris similiter indutis procedit ad benedicendum Candelas in medio ante altare

---

Confitemini Domino quoniam bonus etc. Finita Aspersione Sacerdos orat ante altare cum Gregoriano: Exaudi nos Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus et mittere digneris sanctum angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Ritualia vetustiora discrepant in singulis. Aug. tempore Paschali addit Antiphonae Vidi aquam Canticum Cum rex gloriae Thes. Hymnol. II. p. 315 et hymnum Salve sancta dies Thes. Hymnol. I. p. 169 Mittimus alia.

1) Bene scio iam Concilium Nametense, circa annum 890 congregatum, concessisse, „ut qui voluerit accipiat ex ipsa aqua et per mansiones et agros et vineas, super pecore quoque atque super pabula eorum, nec non super cibum et potum suum aspergat“: tamen, cum aquae lustratae usus in ecclesia laudabilis ac vetusta videatur consuetudo, hanc aspersionem pecorum etc. etc. non admodum distare a superstitione existimo.

2) Testantur Isidorus, Beda, Eligius in festo hypapantes plebem antiquo more ecclesiarum loca cum cereis hymnos cantando circumisse: at verosimile est candelas apud vetustos non proprio ritu esse benedictas. Est illa caerimonia saeculi decimi vel undecimi neque apud omnes uno eodemque more peracta est. Sed male intellexit Binterim Denkw. V, 1, 328 locum Bernardi (Processuri sumus bini ac bini, candelas habentes in manibus, ipsas quoque accensas, non quolibet igne, sed qui prius in ecclesia sacerdotali benedictione fuerit consecratus) „Nach B. waren also die Kerzen durch das vom Priester gesegnete Licht (Kirchenlampe) geheiligt, ohne dass eine besondere Weihe erfordert wurde.“ Spectat locus Bernardi non ad lampades ecclesiae, sed ad novum ignem, in multis Galliae ecclesiis illo die e silice excussum. Quam diversus fuerit ritus veterum ab hodierno, quantopere prolixitate quadam fatiget audientes, demonstrat tibi Benedictionale Constantiense 1597 quod vestigia premit antiquorum: Ant. Postquam impleti sunt etc. Erudi quaesumus Domine plebem tuam etc. [in Codd. sc X. XI apud Gerbertum] Sancta Maria mater Domini etc. (sc. XI.) Benedic Domine Iesu Christo etc. (sc. X) Benedico te creatura cerae etc. (sc. X.) Deus aeterne lumen etc. Adesto supplicationibus nostris etc. (sc. X.) Domine Deus creator coeli etc. (sc. X.) Praefatio: Fons et origo totius luminis etc. (sc. X.) Lumen ad revelationem etc. Omnipotens sempiterne Deus etc. (sc. XI.) — Neque Missale Metense 1772 prorsus facit cum Romano. Omnipotens sempiterne Deus qui hodierna die etc. Domine Iesu Christe lux vera etc. Omnipotens sempiterne Deus qui per Moysen etc. Canticum Nunc dimittis cum Antiphona intercalari: Lumen ad revelationem. Ant. Tu illuminas lucernam meam etc. Deus lumen verum etc.

vel ad cornu Epistolae positas: et ipse ibidem stans versus ad altare dicit in tono Orationis Missae ferialis:

Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens aeterne Deus, qui omnia ex nihilo creasti et iussu tuo per opera apum, hunc liquorem ad perfectionem cerei venire fecisti: et qui hodierna die petitionem iusti Simeonis implesti: te humiliter deprecamur, ut has candelas ad usus hominum et sanitatem corporum et animarum, sive in terra, sive in aquis per invocationem tui sanctissimi nominis et per intercessionem beatae Mariae semper virginis, cuius hodie festa devote celebrantur et per preces omnium Sanctorum tuorum bene✝dicere et sancti✝ficare digneris et huius plebis tuae, quae illas honorifice in manibus desiderat portare, teque cantando laudare, exaudias voces de coelo sancto tuo et de sede maiestatis tuae et propitius sis omnibus clamantibus ad te, quos redemisti pretioso sanguine Filii tui, Qui tecum vivit etc. Amen.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum ulnis Sancti Simeonis in templo sancto tuo suscipiendum praesentasti: tuam supplices deprecamur clementiam, ut has candelas, quas nos famuli tui in tui nominis magnificentiam suscipientes, gestare cupimus bene✝dicere et sancti✝ficare atque lumine supernae benedictionis accendere digneris: quatenus eas tibi Domine Deo nostro offerendo digni et sancti et sancto igne dulcissimae caritatis tuae succensi, in templo sanctae gloriae tuae repraesentari mereamur. Per eundem etc. Amen.[1])

Oremus. Domine Iesu Christe, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: effunde bene✝dictionem tuam super cereos et sancti✝fica eos lumine gratiae tuae, et concede propitius: ut sicut haec luminaria, igne visibili accensa nocturnas depellunt tenebras: ita corda nostra invisibile igne, id est Sancti Spiritus splendore illustrata, omnium vitiorum caecitate careant: ut purgato mentis oculo ea cernere possimus, quae tibi sunt placita et nostrae saluti utilia: quatenus post huius saeculi caliginosa discrimina ad lucem indeficientem pervenire mereamur: Per te Christe Iesu salvator mundi, qui in Trinitate perfecti vivis et regnas Deus etc. Amen.[2])

---

1) Miss. Ord. Aug. 1497. Miss. Met. 1772 in ulnis. Met. Cod. Vindob. sc. X apud Gerbertum hos cereos. Miss. Aug. Cod. Vind. magnificentia. Met. gestaturi sumus. Met. offerendo sancto.

2) Miss. Aug. ea semper. Mit. sunt utilia.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen, famulum tuum, purissimum olei liquorem ad luminaria ante conspectum iugiter concremanda praeparari iussisti: benedictionis tuae gratiam super hos cereos benignus infunde: quatenus sic administrent lumen exterius, ut te donante lumen Spiritus tui nostris non desit mentibus interius. Per Dominum etc. Amen.[1])

Oremus. Domine Iesu Christe, qui hodierna die in nostrae carnis substantia inter homines apparens, a parentibus in templo es praesentatus: quem Simeon venerabilis senex, lumine Spiritus tui irradiatus, agnovit, suscepit et benedixit: praesta propitius, ut eiusdem Spiritus Sancti gratia illuminati atque edocti, te veraciter agnoscamus et fideliter diligamus. Qui cum Deo Patre etc. Amen.

Finitis Orationibus Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter aspergit Candelas aqua benedicta dicendo Antiphonam Asperges vel sine cantu et sine Psalmo: et ter adolet incenso. Tum dignior ex clero accedit ad altare et ab eo Celebrans accipit candelam genuflectens, nec osculans manum illius. Postea Celebrans stans in medio ante altare, versus ad populum distribuit candelas, primum digniori, a quo ipse acceperat: deinde Diacono et Subdiacono paratis et aliis Clericis singulatim per ordinem, ultimo laicis: omnibus genuflectentibus, candelam et manum Celebrantis osculantibus, exceptis Praelatis si adsunt. Et cum inceperit distribuere candelas a choro cantatur Antiphona: Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel.

Canticum: Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Deinde repetitur tota Antiphona; Lumen etc. quae similiter repetitur post quemlibet versum. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Lumen. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Lumen. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Lumen. His expletis cantatur Antiphona: Exurge Domine adiuva nos et libera nos propter nomen tuum. Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis. Gloria Patri. Et repetitur Exurge.

Deinde Sacerdos dicit: Oremus. Et si fuerit post Septuagesimam et non in die Dominica Diaconus Flectamus genua. ℟. Levate.

Exaudi quaesumus Domine plebem tuam et quae extrinsecus annua tribuis devotione venerari, interius assequi gratiae tuae luce concede. Per.[2])

---

1) Miss. Aug. concremanda. Mit. accendenda.

2) Occurrit Oratio in Sacramentario Gregoriano in officio Hypapantes, sed incipit: Erudi quaesumus etc. Eandem scripturam tenet Codex saec. XI. apud Gerbertum, Benedict. Constantiens. et multi alii: sine dubio est genuina, ita ut concedendum sit vitium irrepsisse in Missale hodienum. Const. et Cod. sc. XI. lucem.

Deinde fit processio. Et primo Celebrans imponit incensum in thuribulum: postea Diaconus vertens se ad populum dicat: Procedamus in pace. Et Chorus respondet: In nomine Christi. Amen.

Praecedit thuriferarius cum thuribulo fumigante: deinde Subdiaconus paratus, deferens crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis: sequitur clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus et cantantur Antiphonae sequentes:

Adorna thalamum tuum Sion et suscipe regem Christum: amplectere Mariam, quae est coelestis porta: ipsa enim portat regem gloriae novi luminis: subsistit virgo, adducens manibus filium ante luciferum genitum quem accipiens Simeon in ulnas suas, praedicavit populis Dominum eum esse vitae et mortis et Salvatorem mundi.

Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini: et cum inducerent puerum in templum, accepit eum in ulnas suas et benedixit Deum et dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine in pace. Cum inducerent puerum Iesum in templum parentes eius ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, ipse accepit eum in ulnas suas.

Et ingrediendo ecclesiam cantatur: Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum, sicut scriptum est in lege Domini. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum legem Moysi tulerunt Iesum in Ierusalem ut sisterent eum Domino. Sicut scriptum. Gloria Patri etc. Sicut scriptum.[1])

Finita Processione, Celebrans et ministri, depositis violaceis accipiunt paramenta alba pro missa. Et candelae tenentur in manibus accensae dum legitur Evangelium et iterum ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem.

IV. BENEDICTIO CINERUM IN FERIA QUARTA CINERUM.[2])

Ex Missali Romano.

Ante missam benedicuntur cineres facti de ramis olivarum sive aliarum arborum praecedenti anno benedictis hoc modo:

1) Ludecus in Missali: Has cantiones omnes cum piae et ex sacra scriptura depromtae sint, in quibusdam etiam ecclesiis parochialibus ante sacrum Missae officium adhuc canantur, ordine subiunxi.

2) Recte Gerbertus L. A. II, p. 526: „Benedictio cinerum in capite ieiunii relicta nobis est ex disciplina veteri poenitentiae, olimque ad solos publice poenitentes pertinuit, ut ex Reginone qui collectionem suam sc. IX fecit, patet. Paullatim pietate insignes primum cum publice poenitentibus sacrum etiam cinerem imponi sibi fe-

Finita Nona Sacerdos indutus pluviali violaceo vel sine casula cum ministris similiter indutis procedit ad benedicendum cineres in vase aliquo super altare positos. Et primo a Choro cantatur Antiphona: Exaudi nos Deus quia benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine. Salvum me fac Deus quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam Gloria Patri etc. Et repetitur: Exaudi Deinde Sacerdos in cornu Epistolae non vertens se ad populum manibus iunctis dicit: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce poenitentibus, propitiare supplicantibus: et mittere digneris sanctum angelum tuum de coelis, qui bene ✝ dicat, et sancti ✝ ficet hos cineres, ut sint remedium salubre omnibus nomen sanctum tuum humiliter implorantibus ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, ante conspectum divinae clementiae tuae facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixeque flagitantibus: et praesta per invocationem sanctissimi nominis tui, ut quicunque per eos aspersi fuerint, pro redemptione peccatorum suorum corporis sanitatem et animae tutelam percipiant. Per.[2])

Deus qui non mortem sed poenitentiam desideras peccatorum: fragilitatem conditionis humanae benignissime respice; et hos cineres, quos causa proferendae humilitatis atque promerendae veniae capitibus nostris imponi decernimus, bene ✝ dicere pro tua pietate dignare: ut qui nos cinerem esse et ob pravitatis nostrae demeritum in pulverem reversuros cognoscimus, peccatorum omnium veniam et praemia poenitentibus repromissa, misericorditer consequi mereamur. Per.[3])

---

cerunt. Quod postea tam multi sunt imitati, ut sc. XII et XIII in communem usum abierit, ut tradunt Martenius et Grancolas. In obsequiali nostro annorum circiter 800 habetur: Feria IV in capite ieiunii benedictio super cineres. Nihil vero de ea in antiquis nostris Sacramentariis." Binterimni Denkw. V, I, 170, ut originem caerimoniae altius repetat, confugit ad verbi Urbani secundi pontificis: Nullus omnino laicus post diem cineris et cilicii qui caput ieiunii dicitur carnibus vesci audeat. Sed nemo non videt, papam respicere ad verba Antiphonae: Immutemur habitu in cinere et cilicio etc. Hoc saltem concedendum est, eodem iure e verbis Urbani colligi posse, sua aetate fideles omnes, ciliciis indutos ecclesiam introiisse.

2) Miss. Aug. 1497. Benedict. Const. 1597 parce metuentibus. C. prop. supplicibus. C. dignare. C. cineres istos. C. tuum implor. C. A. atque ante. C. M. seren. maiestatem tuam. C. flag. Praesta quaesumus. A. eos super se asperserunt. (Videntur olim ipsi laici sibi cineres imposuisse) C. et corporis.

3) Missale Metense 1772 praefer. hum. C. omittit causa prof. hum. Mit.

Deus qui humiliatione flecteris et satisfactione placaris: aurem tuae pietatis inclina precibus nostris, et capitibus servorum tuorum, horum cinerum aspersione contactis, effunde propitius gratiam tuae benedictionis: ut eos et spiritu compunctionis repleas et quae iuste postulaverint, efficaciter tribuas, et concessa porpetuo stabilita et intacta manere concedas. Per.[1])

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ninivitis in cinere et cilicio poenitentibus indulgentiae tuae remedia praestitisti: concede propitius, ut sic eos imitemur habitu, quatenus veniae prosequamur obtentu. Per.[2])

Postea Celebrans imposito incenso in thuribulo, ter aspergit cineres aqua benedicta, dicendo Antiphonam Asperges sine cantu et sine Psalmo et ter adolet incenso. Deinde dignior Sacerdos ex clero accedens ad altare imponit cinerem Celebranti non genuflexo. Si vero non adsit alius Sacerdos ipsemet Celebrans genibus flexis coram altari sibi ipsi cineres imponit in capite, nihil dicens et cantatur statim a choro Antiphona: Immutemur habitu in cinere et cilicio et ploremus ante Dominum: qui multum misericors est dimittere peccata nostra Deus noster. Alia Ant. Inter vestibulum et altare plorabunt Sacerdotes ministri Dei et dicent: Parce Domine, parce populo tuo et ne claudas ora canentium te Domine.

Sequitur ℟. Emendemus in melius, quae ignoranter peccavimus: ne subito praeoccupati die mortis, quaeramus spatium poenitentiae et invenire non possimus. Attende Domine et miserere quia peccavimus tibi. Adiuva nos Deus salutaris noster: et propter honorem nominis tui Domine libera nos. Attende Domine. Gloria Patri etc. Attende.

Sacerdos vero, dum cantatur Antiphona et Responsorium detecto capite primo imponit cineres digniori Sacerdoti, a quo ipse accepit, deinde ministris

---

decrevimus. C. bene†dicere et sancti†ficare. Met. digneris. C. nos cineres esse. A. M. nostrae meritum. C. agnoscimus.

1) Gerbertus Mon. L. A. II. p. 72 „Unam hanc in Msc. Rheinaugiensi 600 circ. annorum reperi orationem pro benedictione cinerum, quam primum monachi ex disciplina poenitentiae hoc die cum impositione cinerum aemulati videntur.“ — Rhein. Met. humilitate. Rhein. ac tactis ex coniectura Gerberti attactis, ita A.-C. infusione attactis. M. quorum capita cinere aspersimus. M. propitius infunde. C. benedictionis † A. bene†dictionis. C. permanere. Rhein. C. intacta dec. A. intactos dec. Met. ut eis spiritum compunctionis, emendationem vitae, et perpetuam in bono stabilitatem misericorditer largiaris.

2) C. rem. contulisti. — praesta quaesumus. — consequamur obtentum.

paratis, genibus flexis coram Altare dicens; Memento homo quia pulvis es et in pulverem reverteris.[1])

Postea veniunt alii, primo Clerus per ordinem, deinde populus et genibus flexis ante altare singulatim accipiunt cineres a sacerdote, ut dictum est de ministris. Completa cinerum impositione Sacerdos dicit:

Dominus vobiscum. Oremus. Concede nobis Domine praesidia militiae Christianae sanctis inchoare ieiuniis: ut contra spirituales nequitias pugnaturi, continentiae muniamur auxiliis. Deinde dicitur missa.[2])

---

1) S. Carolus Boromäus hos praedicat caerimoniae fructus 1) Ut fideles, qui sacro cinere asperguntur, ad intimam cordis humilitatem adiuventur. 2) Ut in eos benedictio coelestis descendat, qua adiuti vere intimeque toto animo peccata doleant: hoc mente secum-reputantes, ob hominis peccatum terram maledictam fuisse, nosque omnes in cinerem ac terram redituros. 3) Ut detur corporis valetudo ad poenitentiam peccatorum peragendam. 5) Ut a deo impetremus, quae ad illius voluntatem petimus. 6) Ut constanti animo in bene agendo perserveremus. Harduini. Coll. Concil. X. 972.

2) Variat ritus in multis Missalibus et Ritualibus iisdemque recentioribus. Benedict. Constantiense: Adiutorium nostrum etc. Dominus vobiscum etc. Exorcizo te cinis in nomine etc. Omnipotens sempiterne Deus parce metuentibus etc. Deus qui non mortem etc. Deus qui humiliatione flecteris etc. Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua etc. Concede nobis quaesumus omnipotens Deus etc. (A. spirituales) Iuxta vestibulum etc. Memento homo quod cinis es et in cinerem reverteris. Immutemur habitu etc. Emendemus in melius etc. Litaniae. Omnipotens sempiterne Deus qui Ninivitis etc. Missale Metense: Dominus vobiscum etc. Deus qui non mortem etc. Omnipotens sempiterne Deus qui misereris omnium etc. Memento homo quia pulvis es etc. Exaudi nos quoniam benigna etc. Deus qui humilitate etc. — Finem faciat huic capiti locus Ludeci, quem haud ineptum vel iniquum antiquitatis iudicem dixeris: Dies cinerum, quem pia antiquitas caput ieiunii nominavit, utilibus lectionibus et cantionibus, quas Litania sive supplices ecclesiae preces exceperunt, dicatus fuit. Et praecipue Christiani olim hoc die a sacerdotibus consecrato cinere aspersi sunt verbis: Memento homo quia cinis es etc. Verum cum tandem vana superstitio et abusus in ecclesias paullatim irreperent, ita, ut vero usu sublato, ineptae et ludicrae caerimoniolae, quales sunt cineris consecratio et veli quadragesimalis, quod Ieiunium appellabant, suspensio primas ferrent, non immerito in clarissima Evangelii luce istae ineptiae valere iussae sunt, retentis cantionibus a prisca puritate non alienis, quas etiam subiicere placuit. Porro ab hoc tempore ex ecclesiastica institutione usque ad Dominicam Misericordias Domini inclusive nuptiae et coniugia intermissa erant, Organa quoque quae alioqui festis resonant ad sacra, diebus usque ad Sabbatum sanctum Paschae, excepto tamen festo Annuntiationis Mariae, siluerunt. Idque etiamnum hodie multis in locis non sine laude observatur. Verum multi torpiduli et negligentes pastores, qui iis saltem, quae carni potius, quam aedificationi spiritus serviunt, delectantur et quotidie ambarvalia celebrant, nullam temporum habent rationem. Ideoque babylonicam quandam confusionem ecclesiae Dei, in qua omnia ordine et decenter fieri debebant, ingerunt. Quamvis non desint etiam, qui omnia vocibus et fistulis ita strepere malint, ut nulla aut sane exigua pars temporis concioni reservetur.

V. BENEDICTIO PALMARUM DOMINICA IN PALMIS.[1])

a) Ex Missali Romano.

Completa Tertia et facta aspersione aquae more solito, Sacerdos indutus pluviali violaceo vel sine casula, cum ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum ramos palmarum et olivarum, sive aliarum arborum,[2]) in medio ante altare vel ad cornu Epistolae positas. Et primo cantatur a Choro Antiphona: Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini. O rex Israel, Hosanna in excelsis.

Deinde Sacerdos stans in cornu Epistolae, non vertens se ad populum, dicit in tono Oratione Missae ferialis: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus, quem diligere et amare iustitia est: ineffabilis gratiae tuae in nobis dona multiplica: et qui fecisti nos in morte filii tui sperare quae credimus: fac nos eodem resurgente pervenire quo tendimus. Qui tecum vivit.[3])

Postea Subdiaconus in loco solito cantat sequentem lectionem in tono Epistolae et in fine osculatur manum Sacerdotis.

Lectio Libri Exodi XV, 27 — XVI, 1 — 7 In diebus illis venerunt filii Israel in Elim etc. — et mane videbitis gloriam Domini.

Deinde cantatur pro Graduali: Collegerunt Pontifices et Pharisaei concilium et dixerunt: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic omnes credent in eum. Et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem. Unus autem ex illis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius prophetavit, dicens: Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum, dicentes: Et venient etc.

---

1) Martenius de antiq. eccl. disc. c. 20 „Benedictionis Palmarum nulla apparet mentio apud auctores ante saeculum octavum aut nonum.“ Neque labefactatur viri docti sententia Gerberti Binterimique disputatione iam prioribus saeculis ritum Palmarum introductum esse asserentium. Nihil enim valent spuria S. Gregorii opera, haud idoneum argumentum praebet nomen sane antiquissimum Dominica in Ramis, D. in Palmis, quippe quod spectat ad evangelicam narrationem: non ad benedictionem Palmarum sed ad Antiphonas tantum illo die cani solitas respicit Aldhelmus de virgin. 15 „Haud frustra vocabuli (Benedicti) privilegium participavit cum Advocato et Redemptore nostro: de quo lactentes Evangelici consona vocis harmonia psallentes concorditer cecinerunt: Benedictus qui venit in nomine Domini. Cuius rei regulam nostra quoque mediocritas (authentica veterum auctoritate subnixi) in sacrosancta Palmarum solennitate, binis classibus, canora voce concrepans et geminis concentibus, osanna persultans cum iucundae iubilationis melodia concelebrant.“

2) In Germania septentrionali, cum desunt palmae atque olivae, fugiunt ad salices, quarum rami primis amentis pubescentes Domino offeruntur.

3) C. et quae fecisti.

Vel: In monte Oliveti oravit ad Patrem: Pater si fieri potest transeat a me calix iste. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, fiat voluntas tua. Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem etc.

Interim dum cantatur Responsorium Diaconus ponit librum Evangeliorum super Altare: et Sacerdos, ministrante Diacono naviculam, ponit incensum in thuribulo. Deinde Diaconus dicit: Munda cor meum p. 62 accipit librum de Altari, petit benedictionem a Sacerdote: postea Subdiacono librum tenente, medius inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, signat librum, incensat et cantat Evangelium, ut infra more consueto, quo finito Subdiaconus defert librum osculandum Sacerdoti, qui et incensatur a Diacono.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum XXI, 1—9: In illo tempore: Cum appropinquasset Iesus etc. — benedictus qui venit in nomine Domini.

Post haec benedicuntur rami. Sacerdos stans in eodem cornu Epistolae dicit in tono Orationis ferialis: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Auge fidem in te sperantium Deus et supplicum preces clementer exaudi: veniat super nos multiplex misericordia tua: bene✝dicantur et hi palmites palmarum seu olivarum: et sicut in figura ecclesiae multiplicasti Noe egredientem de arca et Moysen exeuntem de Aegypto cum filiis Israel; ita nos portantes palmas et ramos olivarum, bonis actibus occurramus obviam Christo: et per ipsum in gaudium intremus aeternum. Qui tecum etc.[1])

Per omnia saecula saeculorum etc. ut p. 78. Vere dignum et iustum est, aequum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui gloriaris in consilio Sanctorum tuorum. Tibi enim serviunt creaturae tuae: quia te solum auctorem et Deum cognoscunt: et omnis factura tua te collaudat et benedicunt te Sancti tui. Quia illud magnum Unigeniti tui nomen coram regibus et potestatibus huius saeculi libera voce confitentur. Cui assistunt Angeli et Archangeli, Throni et Dominationes, cumque omni militia coelestis exercitus hymnum tuae gloriae concinunt sine fine dicentes: Sanctus, Sanctus etc p. 80.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Petimus Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: ut hanc creaturam olivae, quamque columba rediens ad arcam proprio pertulit ore bene✝dicere et sancti✝ficare digneris: ut quicunque ex ea

---

1) Miss. Aug. 1497. hi palmites olivarum.

receperint, accipiant sibi protectionem animae et corporis: fiatque Domine nostrae salutis remedium tuae gratiae sacramentum. Per.[1])

Oremus. Deus qui dispersa congregas et congregata conservas: qui populis obviam Iesu ramos portantibus benedixisti: bene ✝ dic etiam hos palmites palmae et olivae, quos tui famuli ad honorem nominis tui fideliter suscipiunt: ut in quemcunque locum introducti fuerint, tuam benedictionem habitatores illius loci consequantur: et omni adversitate effugata, dextera tua protegat, quos redemit Iesus Christus Filius tuus Dominus noster. Qui tecum etc.[2])

Deus qui miro dispositionis ordine ex rebus etiam insensibilibus, dispensationem nostrae salutis ostendere voluisti: da quaesumus, ut devota tuorum corda fidelium salubriter intelligant, quid mystice designet in facto, quod hodie coelesti lumine afflata, redemptori obviam procedens, palmarum atque olivarum ramos vestigiis eius turba substravit. Palmarum igitur rami de mortis principe triumphos exspectant: surculi vero olivarum, spiritualem unctionem advenisse quodammodo clamant. Intellexit enim iam tunc illa hominum beata multitudo praefigurari: quia Redemptor noster, humanis condolens miseriis, pro totius mundi vita cum mortis principe esset pugnaturus ac moriendo triumphaturus. Et ideo talia obsequens administravit quae in illo et triumphos victoriae et misericordiae pinguedinem declararent. Quod nos quoque plena fide et factum et significatum retinentes, te Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus per eundem Dominum nostrum Iesum Christum suppliciter exoramus: ut in ipso atque per ipsum cuius nos membra fieri voluisti de mortis imperio victoriam reportantes ipsius gloriosae resurrectionis participes esse mereamur. Qui tecum.[3])

Deus qui per olivae ramum pacem terris columbam nuntiare iussisti: praesta quaesumus: ut hos olivae caeterarumque arborum ramos coelesti bene ✝ dictione sanctifices: ut cuncto populo tuo proficiant ad salutem. Per Christum Dominum nostrum.[4])

---

1) Occurrit Collecta in antiquissimo Sacramentario Rheinaugiensi apud Gerbert. Mon. L. A. II. 73. Miss. Aug. acceperint. — ad protectionem. — tuaeque.

2) Const. obviam Christo. Miss. Aug. etiam et hos. C. palmarum et arborum. — benedictionem fideliter te laudando suscipiunt. Praesta quaesumus ut quocunque loco intr. f. benedict. tuam consequantur, ut omni adversa valetudine fugata. — Reperitur oratio in codice saec. IX apud Gerb. Mon. L. A. II. p. 73 et in liturgia Ambrosiana, quae tamen in fronte orationis haud pauca adiecit.

3) A. turma fid. — intelligat. — quicquid m. designatur. — quae hodie — eius substravit — declarent.

4) C. pacem terris redditam nunciari — hos ramos diversi gene-

Oremus. Bene✠dic quaesumus Domine hos palmarum seu olivarum ramos: et praesta ut quod populus tuus in tui venerationem hodierna die corporaliter agit, hoc spiritualiter summa devotione perficiat, de hoste victoriam reportando et opus misericordiae summopere diligendo. Per Dominum.[1])

Hic Celebrans ponit incensum in thuribulo, deinde ter aspergit ramos aqua benedicta, dicendo Antiphonam Asperges vel sine cantu et sine Psalmo et ter adolet incenso. Postea dicit: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus qui filium tuum Iesum Christum nostrum pro salute nostra in hunc mundum misisti, ut se humiliaret ad nos et nos revocaret ad te: cui etiam dum Ierusalem veniret, ut adimpleret scripturas, credentium populorum turba fidelissima devotione vestimenta sua cum ramis palmarum in via sternebant: praesta quaesumus, ut illi fidei viam praeparemus, de quo, remoto lapide offensionis, et petra scandali frondeant apud te opera nostrae iustitiae ramis: ut eius vestigia sequi mereamur. Qui tecum.

Completa benedictione dignior ex Clero accedit ad altare et dat ramum benedictum Celebranti, qui non genuflectit nec osculatur manum dantis. Postea Celebrans stans ante altare, versus ad populum distribuit ramos, primum digniori, a quo ipse accepit, deinde Diacono et Subdiacono paratis et aliis Clericis singulatim per ordinem, ultimo laicis: omnibus genuflectentibus et ramum ac manum Celebrantis osculantibus, exceptis Praelatis si adsint. Et cum inceperit distribuere, a Choro cantantur sequentes Antiphonae: Pueri Hebraeorum portantes ramos, olivarum obviaverunt Domino clamantes et dicentes: Hosanna in excelsis vel Pueri Hebraeorum vestimenta prosternebant in via et clamabant dicentes: Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.

Quae si non sufficiant, repetantur, quousque ramorum distributio finiatur. Deinde Sacerdos dicit Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui Dominum nostrum Iesum Christum super pullum asinae sedere fecisti et turbas populorum vestimenta vel ramos arborum in via sternere et Hosanna decantare in laudem ipsius docuisti: da quaesumus, ut illorum in-

---

ris arborum — tua coelesti — qui cuncto. Legitur in Cod. saec. X apud Gerbertum Mon. L. A. II. p. 74. praeterea in Ambrosiano officio recepta est.

1) A. tua veneratione hod. d. V. Debetur haec benedictionis formula opinor, Ambrosio: legitur saltem sed prolixius exposita in liturgia eius, aeque atque in codicibus saec. IX et X atque in Benedictionali Constantiensi.

nocentiam imitari possimus et eorum meritum consequi mereamur. Per eundem etc.[1]

Postea fit Processio. Et primo Celebrans imponit incensum in thuribulum et Diaconus vertens se ad populum dicit: Procedamus in pace. **Et Chorus respondet:** In nomine Christi, Amen.

Praecedit thuriferarius cum thuribulo fumigante, deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos, cum candelabris accensis sequitur Clerus per ordinem, tunc Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum ramis in manibus, et cantantur sequentes Antiphonae, vel omnes vel aliquae quousque durat Processio.

Cum appropinquaret Dominus Ierusalem etc. — miserere nobis fili David.

Cum audisset populus, quia Iesus venit Ierosolymam etc. — Salve rex fabricator mundi, qui venisti redimere nos.

Ante sex dies sollemnis Paschae etc. qui venisti in multitudine misericordiae tuae. Hosanna in excelsis.

Occurrunt turbae cum floribus etc. et in laudem Christi voces tonant per nubila: Hosanna in excelsis.

Cum Angelis et pueris fideles inveniamur, triumphatori mortis clamantes: Hosanna in excelsis.

Turba multa quae convenerat ad diem festum clamabat Domino: Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

In reversione Processionis duo vel quatuor cantores intrant in ecclesiam et clauso ostio stantes versa facie ad Processionem incipiunt Gloria laus **et decantant duos primos versus. Sacerdos vero cum aliis extra ecclesiam repetit eosdem. Deinde qui sunt intus cantant alios versus sequentes vel omnes vel partem prout videbitur et qui sunt extra ad quoslibet duos versus respondent** Gloria laus **sicut a principio.**

Gloria, laus et honor tibi sit Rex Christe redemptor.
Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.
Israel es tu rex, Davidis et inclyta proles.
Nomine qui in Domine Rex benedicte venis.
Gloria, laus et honor etc.
Coetus in excelsis te laudat coelicus omnis
Et mortalis homo et cuncta creata simul.
Gloria, laus et honor etc.

---

1) **Miss. Aug.** die azimorum super. C. hodierna die super. — sedere et turbas. **Est collecta Ambrosiana, neque desideratur in Cod. saec. X apud Gerbertum.**

Plebs Hebraea tibi cum palmis obvia venit
Cum prece, voto, hymnis, adsumus ecce tibi.
Gloria, laus et honor etc.
Hi tibi passuro solvebant munia laudis
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Gloria, laus et honor etc.
Hi placuere tibi, placeat devotio nostra
Rex bone, rex clemens, cui bona cuncta placent.
Gloria, laus et honor etc.[1])

Postea Subdiaconus hastili cruce percutit portam: qua statim aperta Processio intrat ecclesiam cantando: Ingrediente Domino in sanctam civitatem Hebraeorum pueri resurrectionem vitae pronuntiantes cum ramis palmarum Hosanna clamabant in excelsis. Cum audisset populus quod Iesus veniret Hierosolymam exierunt obviam ei. Cum ramis etc. Et non dicitur Gloria Patri. Deinde celebratur Missa et rami tenentur in manibus dum cantatur Passio et Evangelium tantum.[2])

b) Ex Benedictionali Constantiensi.

Post Sextam ad aquae aspersionem canitur Introitus: Sitientes venite ad aquas dicit Dominus et qui non habetis pretium bibite cum laetitia. Attendite populus meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Sitientes etc.[3])

℣. Domine apud te est fons vitae. ℟. Et in lumine tuo videbimus lumen.

Oremus. Deus quem diligere etc. p. 395. *Lectio Libri Exodi* c. XV, 27 — c. XVI, 12. Ant. Collegerunt pontifices etc. p. 395. *Evangelium secundum Marcum* c. XI, 1 — 10. Cum appropinquaret — Hosanna in excelsis.

Dominus vobiscum etc. Adesto nobis omnipotens Deus, ut quod nostro ministratur officio, tuae benedictionis potius impleatur effectu. Per.

---

1) Adeas Thesaurum meum Hymnologicum Tom. I. p. 215.

2) Baruffaldus: „Ex mente ecclesiae (?) servantur devoto animo isto rami, aut ad usum pium adhibentur: ipso enim facto Christum dominum precamur, ut per passionem et mortem suam quae daemonem superavit et fregit et per misericordiam suam immensam, qua hoc sine ullis nostris meritis egit, daemonem omnemque aversitatem a nobis et ab aedibus nostris pellat, ne vel aeris tempestate vel alio incommodo quocumque nobis noceat: quia potens Dei dextera nos protegat et non solum corpora a malis tueatur sed animae quoque gratiam suam infundat etc.“ Ut ipse saepissime vidi in domibus rusticorum hominum, rami illi affiguntur imagini crucifixi, in pariete suspensae.

3) Orditur ab eadem Antiphona Cod. Rheinaug. sc. XI apud Gerbertum.

Exorcizo te omnis creatura florum et frondium in nomine Patris † omnipotentis, et in Iesu † Christi, filii eius et in virtute Spiritus † Sancti. Proinde omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, omnis potestas inimici, omnis incursio daemonum eradicare et explantare ab hoc creatura florum et frondium, ut has accipientes ad gratiam Dei festinantes, non inquietare, non illudere praesumas: interdico tibi per eum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. Amen.[1])

Deus cuius filius pro salute generis humani de coelo descendit ad terras et appropinquante hora passionis suae, Hierosolymam in asino sedens venire et a turba rex appellari ac laudari voluit: benedicere † dignere hos palmarum ceterarumque arborum ramos ut omnes qui eos laturi sunt ita benedictionis † tuae dono repleantur, quatenus et in hoc saeculo hostis antiqui tentamenta superare et in futuro cum palma victoriae et fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per eundem.[2])

Deus qui per olivae ramum etc. p. 397.

Benedic † quaesumus, Domine etc. summopere diligendo p. 398. Humiliter etiam te Domine deprecamur, ut praedictarum arborum germina ita sanctificare digneris ut loca ad quae deportata fuerint, sanctificata efficiantur: quatenus omnis iniquitas seu illusio daemonum abscedat et tua nos semper dextera protegere dignetur. Per.[3])

Deus, qui filium tuum unigenitum pro redemptione nostra dignatus es dirigere, ut populum tuum ab initio in peccati profundo dimersum, a morte revocares ad vitam, et chirographo letali deleto, sanguine filii tui gentibus innovares regnum.[4])

Deus qui dispersa congregas etc. p. 397.

---

1) Legi in Ambrosiana Liturgia et in Cod. Vindobonensi sc. X apud Gerbertum. V. cr. foliorum. V. A. omittunt verba et in virtute Spiritus Sancti Proinde. V. omnisve exerc. diab. V. A. o. spiritus inim. V. omnisque inc. A. cr. florum, ut ad Dei gratiam festinantes vestigia eorum non sequaris, interdico tibi etc. V. cr. ut haec gerentes.

2) In codicibus sc. IX, XI et X Vindobonensi et Rheinaugiensi apud Gerbertum et in Missali Metensi a. 1772. Sc. IX. Deus omnipotens qui — descendisti — pass. tuae. R. seu ceterarum. R. V. Sc. IX. frondium ramos. M. ben. dignare hos frondium ramos. Sc. IX. qui eos accipiunt. V. hic et in futuro cum palma — valeant app. M. tentamentum.

3) Est collecta Ambrosiana: praeterea vidi in Cod. Rheinaugiensi sc. XI apud Gerbertum, sed in multis dissonam a supra scripta. A. etiam Domine. R. Benedic quaes. D. hos palmarum seu olivarum ramos: etiam D. — — praedicta arb. A. portata. A. R. quo omnis in.

4) Sc. XI. 9. ad nos div. Ambr. profunda.

Per omnia saecula saeculorum etc. pater omnipotens aeterne Deus, mundi conditor et redemptor, omniumque creaturarum mirabilis dispositor, Deus qui inter ipsa mundi primordia cum ex nihilo cuncta conderes, ligna quoque fructifera et diverso usui congrua terram producere iussisti ac post maledictum interdictae arboris universa nobis per obedientiam unigeniti filii tui in benedictionem convertisti, benedic ✝ hos multigenarum arborum ramos inter quos praecipue arbor olivae pinguedine cunctas praecellit. Per quam etiam cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur diffuso, columba ramum eiusdem deferens, pacem terrae redditam nuntiavit. Nec non et innocens turba, spiritu sancto afflata, unigenito tuo Domino nostro Iesu Christo, pro totius mundi salute passuro, obviam currens, palmarum ramos abscindens, ac vestigiis eius substernens iam quasi triumphatorem de mortis principe ostendebat. Te igitur Domine suppliciter deprecamur, ut qui annua devotione eiusdem redemptoris nostri sacratissimam passionem praevenire nitimur, ipso adiuvante palmam victoriae tenentes, atque oleo misericordiae intrinsecus refulgentes, in eius sancta resurrectione praemium vitae aeternae et immortalitatis coronam percipere mereamur. Per eundem etc. qui tecum vivit etc.[1])

Omnipotens sempiterne Deus, qui tuum unigenitum ab Hiericho monteque Oliveti ad Hierusalem direxisti, cui turba mirabiliter occurrit, alii vestimenta sua sternentes, ramos de arboribus caedentes olivarum, allii palmas manibus suis deferentes: te humiliter deprecamur, ut haec genera arborum ita sanctificare digneris, ut haec loca, ubi deportata fuerint, sanctificata efficiantur, quo omnis iniquitas seu illusio daemonum abscedat et tua nos semper dextera protegere dignetur. Per eundem.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Dominum nostrum Iesum Christum hodierna die super pullum etc. p. 398.

Deinde thurificentur et aspergantur detque Sacerdos palmos populo et inchoatur Antiphona Turba multa p. 399.

His ita peractis pergant foras, ubi crux parata sit et iterum cantent has Antiphonas processionales Ante sex dies. Cum appropinquaret. Cum audisset p. 399.

Postea pueri cantant: Gloria laus et honor etc. p. 399.

---

1) Ambr. et Cod. Rheinaug. sc. XI omittunt et redemptor. R. dispositor qui. A. R. benedic etiam. A. haec praecipue arbor. A. R. et innocens. A. R. palmarum et huius arboris ramos abscidens.

Sequitur immediate Antiphona: Fulgentibus palmis prosternimus advenienti Domino. Huic omnes accurramus cum hymnis et canticis glorificantes et dicentes, Benedictus Dominus.

Occurrunt turbae cum floribus p. 399.

Coeperunt omnes turbae descendentium gaudentes laudare Deum voce magna, super omnibus quas viderant virtutibus dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in coelo et gloria in excelsis.

Pueri Hebraeorum portantes etc. Pueri Hebraeorum vestimenta etc. p. 398.

Post haec geniculando omnem veniam petant. Et Sacerdos incipiat hymnum sequentem, cuius primus versus bis canitur O crux ave spes unica etc.

His ita peractis Sacerdos prosternat se ante crucem. Et Diaconus cum palma percutiens prostratum, cantet trina vice Antiphonam: Scriptum est enim, percutiam pastorem et dispergentur oves gregis. Sacerdos geniculando se elevans respondeat: Postquam autem surrexero praecedam vos in Galilaeam. Chorus compiet Ibi me videbitis dicit Dominus. 1)

Deinde surget Sacerdos dicens; De ore leonis libera me Domine. ℟. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Respice Domine familiam tuam, et praesta, ut apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quae se carnis maceratione castigat. Per.

Deinde cum Responsorio reditur ad Chorum: Ingrediente Domino p. 400.

---

1) Baruffaldus: „In Sacerdotali Brixinensi adest ritus et caerimonia trinae percussionis cum ramo palmae supra dorsum Celebrantis, in faciem versus imaginem prostrati, dummodo Sacerdotes hoc praestent. Sed haec caerimonia fit a Scholaribus tantum et nimiam simplicitatem redolet.“ At vero haec caerimonia usque ad saeculum decimum septimum per totam Germaniam usitata fuisse videtur. Quod docet Benedictionale Constantiense, confirmat historiunidula apud Dreyhauptium: Beschreibung des Saal-Creyses u. s. w. I. p. 966 „Den Palm-Sonntag darauf kam der Cardinal mit einer grossen Procession aus dem Neuen Stifte auf den Markt, allwo alle Pfarrer, Capelläne und Schüler aus der Stadt (Halle) versammelt waren, und war ein schönes Haus auf dem Markte aufgerichtet, in welchem ein Crucifix stand: als nun die gewöhnlichen Gesänge gesungen waren, ward das Gloria laus durch die Stadtpfeifer vom Rathhause musiciret, unterdessen der Cardinal dem Crucifix einen Fussfall that und sich vor demselben in dem Häuslein platt auf die Erde legte, zwei Messpfaffen aber mit langen Rohren auf den Erzbischof zuschlugen und dabei sangen: Percutiam pastorem etc. Wie dieses ein dabei stehender, loser Hallknecht ersache, schrie er laut: Mit einem Flegel, das Rohr ist viel zu leichte u. s. w.“

℣. Ex ore infantium et lactentium Deus. ℟. Perfecisti laudem propter inimicos tuos.

Adiuva nos Deus salutaris noster et ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per.[1])

VI. DE OFFICIO IN FERIA QUINTA COENAE DOMINI, CUM BENEDICITUR OLEUM CATECHUMENORUM ET INFIRMORUM ET CONFICITUR CHRISMA.[2])

Ex Pontificali Romano.

Hac die singulis annis benedicitur oleum Catechumenorum et Infirmorum et conficitur Chrisma. Mane itaque sacristia vel ille ad quem spectat, omnia

1) Admodum brevis est Ordo Missalis Metensis anni 1773. Dominus vobiscum etc. Deus cuius filius pro salute humani generis etc. Deus qui filium tuum unigenitum pro redemptione nostra etc. Ev. Matth. Cum appropinquaret etc. Processio peragitur ex lege Missalis Romani.

2) Iam saeculo quinto feria V in Coena Domini olei chrismatisque benedictionem peractam esse iure autumat Binterimius Denkw. V, 1, 192, confisus epistola Leonis (Opp. I. p. 1324). Conqueritur Pontifex Proterii Episcopi Alexandrini caedem ipsa illa sanctissima die perpetratam cum propter facinoris atrocitatem tum quia „defecerit chrismatis sanctificatio." At vero vexavit viros doctos Canon Concilii Toletani a. 490 Episcopo sane certum est omni tempore licere Chrisma conficere, sine conscientia autem Episcopi nihil penitus faciendum. Alii Hispanos Episcopos olim quocunque anni die oleum benedicere potuisse docuerunt; alii, ut Cassabutius, vocem omni tempore interpretantur „accommodate ad omnes annos, nullatenus vero ad omnes anni dies." Binterimius denique ita facit locum germanicum: In der That zu jeder Zeit hat man anerkannt, dass der Bischof den Chrisam segnen dürfe: ohne Wissen des Bischofs soll aber nicht das Geringste geschehen. Addit haec: „Wenn man den Canon in einem Zusammenhange liest, so wird man bald erkennen, dass die Worte omni tempore sich auf den Vordersatz beziehen, und eine Antithesis bilden gegen den bestrittenen Irrthum einiger Priester, die sich auch die Weihe des Chrisams anmassen wollten." Ego vero Canonem ita in vernaculum sermonem κατὰ τὸ σημαινόμενον transferri posse putarim: Den Bischöfen ist es erlaubt zu jeder Zeit Chrisma zu weihen, Priestern nur am Gründonnerstage und dann auch nur unter Wissen und Uebertragung des Bischofs. Sed missa hac hispanica quaestione duos locos afferamus, antiquitatem ritus demonstrantes. Eligius Hom. de Coen. Dom. 8 „In hoc die sacratissimo fiunt plurima in sancta ecclesia, quae necessario debet scire vestra industria sicut poenitentium reconciliatio, sacri olei benedictio, sacri chrismatis confectio etc." Et in sermone de unctione Chrismatis inter Opera S. Cypriani „dies ista multiplicibus mysteriis honoratur: —— hodie in ecclesia cum ceteris unctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum, in participationem dignitatis et nominis, sacrum Chrisma conficitur." Statuitur in Concilio Meldensi can. 46 „ut nemo sacrum Chrisma, nisi in quinta feria maioris hebdomadae conficere praesumat."

quae ad oleorum benedictionem et Chrismatis confectionem necessaria sunt, parat, videlicet; tres ampullas oleo mundissimo plenas, quas in sacrario ponit et diligenter custodit, unam ad oleum Infirmorum, aliam ad oleum Catechumenorum, tertiam quae maior sit, ad Chrisma. Et haec tertia cooperiri debet de panno sericeo albo, prima autem et secunda de sericeo panno alterius coloris sint coopertae. Duas mappulas mundas sive vela, pro Diaconis, qui ampullas oleorum pro Chrismate et oleo Catechumenorum de sacristia ad chorum portare debeant et ultra haec sedem seu faldistorium et credentiam consuetam. Paratur etiam alia sedes in presbyterio ab opposito altaris iuxta gradus circa finem presbyterii, et ante ipsam sedem versus altare paratur mensa mappis ornata quae sit iuxta sedem, inter ipsam et altare. Iuxta dictam sedem hinc et inde magis tamen ad finem presbyterii posita sint scamna pro duodecim Sacerdotibus, ita ut ibidem sedentes facies vertant ad altare. Deinde hora competenti Pontifex venit ad ecclesiam, ubi parat se ad Missam omnibus Pontificalibus ornamentis preciosis albi coloris. Parant se etiam ministri Pontificis et ultra illos duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, Acolythi et alii necessarii, omnes vestibus albi coloris ordini suo congruentibus. Quibus omnibus paratis procedunt ad altare processionaliter hoc modo: Inprimis procedit thuriferarius, quem sequuntur duo ceroferarii, post hos septem Subdiaconi bini et in tertio loco tres, post hos duodecim Presbyteri bini et bini, quos sequitur Subdiaconus librum Evangeliorum portans ante pectus, cum manipulo in eo reposito, deinde Diaconus et a dexteris eius Capellanus Assistens, quos demum Pontifex sequitur incedens medius inter duos digniores Canonicos Ecclesiae aut in dignitate constitutos, si Pontifex sit in Ecclesia sua, alioquin ibit medius inter Diaconum et Assistentem. Et si Pontifex sit Archiepiscopus vel Patriarcha, et in Ecclesia sua, portatur etiam in huiusmodi processione crux per unum ex ministris ad hoc ordinatum, qui medius inter ceroferarios incedit. Duodecim Presbyteri suo ordine iuxta sedilia in fine presbyterii posita hinc et inde stabunt vel sedebunt aut genuflectent prout tempus postulabit, facies semper ad altare vertentes, post eos stabunt septem Diaconi et post Diaconos septem Subdiaconi in gradibus presbyterii. Pontifex vero postquam ante altare pervenerit facit Confessionem, incipitur Introitus et proceditur in missa more consueto, usque ad illum locum Canonis ubi dicitur: Per quem haec omnia Domine semper bona creas exclusive. Priusquam ergo Pontifex verba ipsa dicat, facta reverentia sacramento in altari consecrato, retrahit se ad partem Epistolae altaris, ubi super alium calicem vacuum abluit digitos et ad purificatorium extergit et ablutio usque post communionem Pontificis reservatur. Tum facta iterum Sacramento reverentia descendit primum gradum Altaris et ibidem accepta mitra vadit ad dictam sedem sibi paratam in presbyterio ab opposito altaris et sedet super ipsam, versa facie ad altare, dictam mensam ante se habens, circumstantibus ministris, Sacerdotibus et aliis paratis praedictis, in

suis locis manentibus. Tunc Archidiaconus stans, apud Pontificem dicit alta voce in tono lectionis: Oleum infirmorum. **Et mox unus Subdiaconus ex septem paratis praedictis cum duobus Acolythis hinc et inde associatus vadit ad sacristiam, ubi accipiens ampullam olei quod pro infirmis consecrari debet, coopertam ut invenit, portat eam sinistro brachio circumdatam ante Pontificem, ubi eam tradit in manibus Archidiaconi, plane dicens:** Oleum infirmorum. **Archidiaconus praesentat illam Pontifici ad benedicendum, idem dicens collocans eam coram eo supra mensam supradictam. Pontifex surgens cum mitra exorcizat et benedicit illud voce demissa, ita tamen quod a circumstantibus Sacerdotibus audiri possit, absolute dicens:** Exorcizo te immundissime spiritus, omnisque incursio Satanae et omne phantasma. In nomine Pa✝tris et Fi✝lii et Spiritus ✝ Sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritalis ad corroborandum templum Dei vivi, ut in eo possit Spiritus Sanctus habitare, per nomen Dei Patris omnipotentis, et per nomen dilectissimi Filii eius Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos et seculum per ignem. ℟. Amen.[1] **Deinde deposita mitra benedicit ipsum oleum dicens eadem voce:** Dom. vob. ℟. Et cum.

Oremus. Emitte quaesumus Domine Spiritum Sanctum tuum paraclitum de caelis in hanc pinguedinem olivae quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis et corporis ut tua sancta bene✝dictione sit omni hoc unguento caelestis medicinae peruncto, tutamen mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque aegritudinem mentis et corporis, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas et Martyres sit Chrisma tuum perfectum Domine nobis a te benedictum permanens in visceribus nostris. In nomine Domine nostri Iesu Christi.[2]

His expletis oleum ipsum eodem modo quo apportatum fuit ad sacrarium reportatur et diligentissime conservatur. Tunc Pontifex reassumta mitra, sedet et lavat manus, tum surgit et cum mitra et cum ministris suis ceteris Sacerdo-

---

1) Reperitur Exorcismus in Cod. Vindob. sc. X und XI apud Gerbertum. Deest conclusio qui venturus est etc.

2) Addimus scripturam Sacram. Gelasiani et Gregoriani, Cod. Eligiani ac Vindobonensis modo commemorati. G. sanctum sp. paracl. Gr. spir. sct. t. par. V. sp. tuum par. G. pinguedinem olei. Gr. E. V. ad refectionem corporis. G. omni ungenti, gustanti, tangenti tutamentum animae, corporis et spiritus. Gr. unguenti, tangenti tutament. E. hoc unguentum tangenti tutament. V. sit omni tangenti unguentum salubre, medicina coelestis. G. omnem infirmitatem. — omnem aegr. Gr. E. omn. aegrit. corporis. G. reges et pr.

tibus et aliis paratis in locis suis manentibus accedit usque ad gradum altaris, ubi deposita mitra facit reverentiam Sacramento, tum ascendit ad altare, et incipiens, ubi dimiserat, videlicet Per quem omnia etc. procedit in Missa usque ad Communionem corporis et sanguinis inclusive, quam Pontifex ipse solus sumit. Quo facto Diaconus ponit hostiam consecratam pro crastina die reservandam in calicem seu vasculum ad hoc paratum et reverenter collocat ipsum super medium altaris. Deinde Pontifex postquam se communicaverit et purificaverit ac etiam primam digitorum ablutionem ex alio calice sumserit, facta reverentia Sacramento in altari posito, in secundo gradu altaris mitram accipit et redit ad praedictum sedem, cum ministris suis et aliis assistentibus eo ordine quo praemissum est et ibi cum mitra sedet. Tunc Archidiaconus stans apud Pontificem dicit alta voce in tono lectionis: Oleum ad sanctum Chrisma. Et mox eadem voce et tono subiungit: Oleum Catechumenorum. Quo dicto oblato Pontifici thuribulo Pontifex imponit incensum et benedicit more solito. Tum duodecim Presbyteri, septem Diaconi et septem Subdiaconi parati praedicti et alii ministri, quot necessarii fuerint, eo ordine, quo venerunt pergunt ad sacrarium ad deferendum cum omni decore et reverentia oleum chrismale et oleum Catechumenorum, ministris tamen Pontificis cum eo remanentibus. Incedunt autem redeuntes ad chorum cum ampullis hoc ordine: primo thuriferarius cum thuribulo fumigante, quem sequitur Subdiaconus crucem deferens, medius inter duos Acolythos cum cereis ardentibus; tum duo Cantores cantantes versus, O redemtor, ut infra habentur, quos sequuntur bini, et bini Subdiaconi et Diaconi, deinde unus Subdiaconus portans vasculum cum balsamo, tum duo Diaconi ampullas olei ad sanctum Chrisma et pro oleo Catechumenorum portantes, qui habent mappulas mundas, sive vela ad collum, quorum extremitates ante pectus dependent, tenentes ipsas ampullas sinistris brachiis circumdatas et extremitatibus, mappularum quae a dextris dependent, involutas et coopertas; ita tamen, ut a medio supra videri possint. Diaconus autem qui oleum ad sanctum Chrisma portat, a dexteris vadit, hos sequuntur duodecim Sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi praedicti bini et bini. Quibus sic a sacristia versus Pontificem procedentibus, duo Cantores praedicti cantant versus sequentes: O redemtor sume carmen temet concinentium. Et chorus idem replicat. Deinde dicti duo Cantores prosequuntur sequentes versus: Audi iudex mortuorum, una spes mortalium, audi voces proferentum donum pacis praevium. Chorus repetit versum. O redemtor. Deinde dicti duo Cantores prosequuntur versus: Arbor facta alma luce hoc sacrandum protulit: fert hoc prona praesens turba salvatori saeculi. Et versu O redemtor repetito: stans ad aram immo supplex infulatus Pontifex, debitum persolvit omne consecrato Chrismate. Et repetito versu O redemtor: Consecrare tu dignare, Rex perennis patriae, hoc olivum signum vivum, iura contra daemonum. Et repetitur ver-

sus O redemtor.[1]) Eis igitur ordine praemisso in presbyterium Ecclesiae cantando versus praemissos pervenientibus, crux cum candelabris et incenso situantur prope altare, iuxta cornu epistolae. Archidiaconus, Diaconus et Subdiaconus ministrantes sint circa Pontificem hinc et inde. Sacerdotes vero duodecim parati iuxta eos duo cornua faciunt, sex hinc et sex illinc, vertentes faciem ad altare, a lateribus assistentes Pontifici, tanquam eius testes et ministerii sacri Chrismatis cooperatores. Diaconi vero post tergum Pontificis et post eos Subdiaconi parati stant, tanquam ministri et inspectores. Interim Diaconi ampullas olei Chrismatis et olei Catechumenorum portantes et Subdiaconus cum balsamo se firmant, quousque omnes praedicti in suis locis fuerint ordinati. Omnibus itaque dispositis, Diaconus ampullam olei Chrismatis ferens venit ante Pontificem et Archidiaconus illam involutam cum mappula quam Diaconus ipse circa collum portavit, de manu eius accipiens, eam sic involutam ostendit Pontifici sedenti, et illam super mensam ante Episcopum positam collocat diligenter, alio Diacono ampullam aliam assidue inter brachia tenente. Tunc Subdiaconus vasculum cum balsamo, portans illud tradit Archidiacono, qui balsamum Pontifici similiter ostendens, ipsum supra mensam collocat. Tum Pontifex deposita mitra, surgit et versus ad altare, habens ante se super mensam ampullam olei Chrismatis et balsamum, ante omnia benedicit ipsum balsamum dicens: Dom. vob. ℞. Et cum.

Oremus. Deus mysteriorum coelestium et virtutum omnium praeparator, nostras quaesumus preces exaudi, hanc odoriferam sicci corticis lacrimam (quae felicis virgae profluendo sudorem Sacerdotali nos opimat unguento) acceptabilem tuis praesta mysteriis et concessa benedictione sancti✝fica. Per Dom.

Oremus. Creaturarum omnium Domine procreator, qui per Moysen famulum tuum permistis herbis aromatum fieri praecepisti sanctificationem unguenti, clementiam tuam suppliciter deposcimus ut huic unguento, quod radix produxit stirpea, spiritualem gratiam largiendo, plenitudinem sancti✝ficationis infundas. Sit nobis Domine fidei hilaritate conditum, sit sacerdotalis unguenti Chrisma perpetuum, sit ad caelestis vexilli impressionem dignissimum, ut quicunque baptismate sacro renati isto fuerint liquore peruncti corporum atque animarum benedictionem plenissimam consequantur, et beatae fidei collato munere perenniter amplientur. Per Dom.

Deinde accepta mitra, stans adhuc Pontifex miscet super patenam, vel in aliquo parvo vasculo balsamum cum modico olei de ampulla chrismati sumti dicens: Oremus. Dominum Deum nostrum omnipotentem, qui incomprehensibilem unigeniti Filii sui sibique coaeterni divinitatem mira-

---

1) Cf. Thesaurum meum Hymnol. Tom. I. p. 237.

bili dispositione verae humanitati inseparabiliter coniunxit, et cooperante gratia Spiritus Sancti, oleo exultationis prae participibus suis linivit, ut homo fraude diaboli perditus gemina et singulari constans materia, perenni redderetur, de qua exciderat, haereditati, quatenus hos ex diversis creaturarum speciebus liquores creatos sanctae Trinitatis perfectione bene✝dicat et benedicendo sancti✝ficet, concedatque ut simul permisti unum fiant et quicunque exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, quod omnibus sordibus corporalis materiae carens se participem regni caelesti effici gratuletur. Per eundem.

Quo facto sedet Pontifex, retenta mitra et halat plane tertio in modum crucis super os ampullae Chrismatis involutae ante id super mensam stantis. Deinde duodecim Sacerdotes parati, qui iuxta eum sunt, ordinatim facientes reverentiam Sacramento in Altari posito et Pontifici, ad mensam praedictam accedunt et stantes ante eam singuli successive eodem modo ut Pontifex fecerat, in modum crucis super os ampullae praedictae halant. Tum reverentiam ut supra facientes ad loca sua revertuntur. Quo facto surgit Pontifex et stans cum mitra legendo dicit exorcismum Chrismalem absolute dicens: Exorcizo te creatura olei per Deum patrem omnipotentem qui fecit coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt, ut omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, omnisque incursio et omne phantasma Satanae eradicetur et effugetur a te, ut fias omnibus, qui in te ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum Sanctum. In nomine Pa✝tris omnipotentis, et Iesu ✝ Christi Filii eius Domini nostri, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitate eiusdem Spiritus ✝ Sancti. **Deinde deposita mitra extensis manibus ante pectus dicit Praefationem:** Per omnia saec. saec. ℟. Amen. Dom. vob. ℟. Et cum. Sursum. ℟. Habemus. Gratias. ℟. Dignum et. Vere dignum et iustum est etc. Aeterne Deus, qui in principio inter cetera bonitatis tuae munera terram producere fructifera ligna iussisti, inter quae huius pinguissimi liquoris ministrae olivae nascerentur, quarum fructus sacro Chrismati deserviret. Nam et David prophetico spiritu gratiae tuae Sacramento praenoscens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit. Et cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, similitudinem futuri muneris columba demonstrans per olivae ramum pacem terris redditam nuntiavit. Quod in novissimis temporibus manifestis est effectibus declaratum, cum baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus haec olei unctio vultus nostros iucundos efficit ac serenos. Inde etiam Moysi famulo tuo mandatum dedisti, ut Aaron fratrem suum prius aqua lotum per infusionem huius unguenti constitueret Sacerdotem. Ac-

cessit ad hoc amplior honor, cum Filius tuus Iesus Christus Dominus noster lavari se a Ioanne undis Iordanicis exegisset, ut Spiritu Sancto in columbae similitudine desuper misso, unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuisse testimonio subsequentis vocis ostenderes, et hoc illud esse manifestissime comprobares, quod cum oleo laetitiae prae consortibus suis ungendum David propheta cecinisset. Te igitur deprecamur Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per eundem Christum Filium tuum Dominum nostrum, ut huius creaturae pinguedinem sancti ✝ ficare tua bene ✝ dictione digneris et Sancti ✝ Spiritus ei admiscere virtutem, cooperante Christi Filii tui potentia, a cuius nomine sancto Chrisma nomen accepit, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas et Martyres, ut spiritualis lavacri Baptismo renovandis creaturam Chrismatis in Sacramentum perfectae salutis, vitaeque confirmes, ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primae nativitatis absorpta, sanctum uniuscuiusque templum acceptabilis vitae innocentiae odore redolescat, ut secundum constitutionis tuae Sacramentum regio et sacerdotali propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur, ut sit his qui renati fuerint ex aqua et Spiritu Sancto Chrisma salutis, eosque aeternae vitae participes et coelestis gloriae faciat esse consortes.[1]) Quod sequitur dicitur plane legendo Per eundem Dom. etc. Tum Pontifex balsamum cum illo modico oleo ex ampulla Chrismali sumto mistum commiscet sancto Chrismati, reponens ipsum in ampullam Chrismalem et dicens: Haec commixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio et custodia salutaris in saecula saeculorum. ℟. Amen. Tum Diaconus qui ampullam Chrismalem de sacristia portavit, deponit mappulam sive velum de ipsa ampulla, dimissa ei sua sericea veste alba quam antea habebat et Pontifex capite inclinato, salutat Chrisma dicens: Ave sanctum Chrisma, Et hoc secundo et tertio facit semper altius dicendo, quod postquam tertio dixerit osculatur labium ampullae, quo facto sedet Pontifex et accipit mitram. Tum singuli duodecim Sacerdotes parati praedicti accedunt successive per ordinem ad mensam et factis reverentiis Sacramento et Pontifici tertio in varia distantia genuflectunt coram ampulla, qualibet vice semper altius dicendo in tono praedicto Ave sanctum Chrisma. Quo

1) Contulimus Gelasianum, Gregorianum, Codicem Eligii. G. Gr. E. bonitatis et pietatis. G. Nam David. — in similitudinem. Gr. traditam. G. efficiat — mandata — constituerint. G. Gr. lavari a. Gr. E. complacuisset. G. ost. hoc. G. Gr. eum oleo. G. per Iesum. G. et in S. S. immiscere v. per potentiam Christi tui. Gr. E. Christi tui. G. Martyres tuos. G. Gr. omittunt verba ut spiritualis etc. usque ad ut sit his etc. E. spiritalis. — innocens odore. G. Gr. E. facias.

tertio dicto labium ampullae reverenter osculantur et ad sua loca revertuntur. Quo peracto ampulla in uno latere mensae collocatur. Et mox Diaconus aliam ampullam sua veste coopertam cum oleo Catechumenorum ferens accedit ad praesentiam pontificis et ampullam ipsam sine mappula, quam Diaconus ipse circa collum retinet, tradit Archidiacono qui illam suscipiens eam ostendit Pontifici et collocat super mensam in medio ante Pontificem, super quam ampullam statim tam ipse Pontifex quam etiam duodecim Presbyteri halant, prout supra factum est. Quo facto Pontifex surgens cum mitra submissa voce legendo absolute exorcismum olei Catechumenorum dicit:

Benedictio olei Catechumenorum.

Exorcizo te creatura olei. In nomine Dei Pa✝tris omnipotentis et in nomine Iesu ✝ Christi et Spiritus ✝ Sancti ut in hac invocatione individuae Trinitatis atque unius virtute deitatis, omnis nequissima virtus adversarii omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta incursio, omne confusum et merum phantasma eradicetur et effugetur et discedat a te, ut divinis sacramentis purificata fias in adoptionem carnis et spiritus eis, qui ex te ungendi sunt in remissionem omnium peccatorum, ut efficiantur eorum corpora ad omnem gratiam spiritualem accipiendam sanctificata. Per eundem.[1]) Deinde deposita mitra Pontifex stans benedicit dictum oleum Catechumenorum eadem voce dicens: Dom. vob. ℟. Et cum.

Oremus. Deus incrementorum omnium et profectuum spiritualium remunerator qui virtute Sancti Spiritus imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus Domine ut emittere digneris tuam bene✝dictionem super hoc oleum et venturis ad beatae regenerationis lavacrum tribuas per unctionem huius creaturae purgationem mentis et corporis, ut si quae illis adversantium spirituum inhaesere maculae, ad tactum sanctificati olei huius abscedant, nullus spiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Sed venientibus ad fidem servis tuis et Sancti Spiritus tui operatione mundandis sit unctionis huius praeparatio utilis ad salutem quam etiam coelestis regenerationis nativitate in Sacramento sunt Baptismatis adepturi. Per Dom.[2])

---

1) Habet formulam Gelasius. Chrsti filii eius hanc invocationem trinae potestatis atque virtutem D. — violentiae occ. — eradicare et effugare et discede a creatura huius olei, ad utilitatem hominum constituta ut fiat haec unctio div. sacr. pur. in ad. — eisque ex eo ungere habent in rem. — efficiatur in eis corporum ad o. g. s. sanctificata.

2) E. spiritalium qui v. G. spiritalium. G. E. spiritus tui. G. E.

Deinde Pontifex et successive duodecim Sacerdotes reverenter salutant oleum ipsum dicentes tertio in tono lectionis: ave sanctum oleum. Et postquam tertio id fecerint osculantur os ipsius ampullae, prout supra positum est. His peractis ambae ampullae per duos Diaconos eo ordine et decore quo delatae sunt ad sacristiam processionaliter reportantur. Interim dum reportantur, duo Cantores cantant hos versus: Ut novetur secus omnis unctione Chrismatis, ut sanetur sauciata dignitatis gloria. Chorus replicat: O redemtor. Tum Cantores: Lota mente sacro fonte aufugantur crimina, uncta fronte sacrosancta influant charismata. Chorus: O redemtor. Cantores: Sit haec dies festa nobis saeculorum saeculis, sit sacrata digna laude, nec senescat tempore. Chorus: O redemtor. Vetus autem Chrisma et oleum Catechumenorum ac Infirmorum, si quod remanserat in ampullis, ponitur lampadibus Ecclesiae ante Sacramentum ut comburatur; reliquum autem quod est in pyxidibus sive capsulis cum bombyce, igne comburitur, et novum deinde cum nova bombyce in pyxidibus seu capsulis imponitur. Interim dum Chrisma et oleum Catechumenorum ad sacristiam portantur, Pontifex sedens cum mitra lavat manus, deinde redit ad altare, prosequitur Missam et dicto; Ite missa est, dat benedictionem et denuntiantur indulgentiae per eum concessae, quibus denuntiatis signat Pontifex altare dicens Evangelium sancti Ioannis et accedit ad faldistorium, ubi sedet cum mitra et iubet Presbyteris attente, ut iuxta canonum traditionem Chrisma et olea fideliter custodiant et nulli sub praetextu medicinae vel maleficii tradere praesumant, alioquin honore priventur.

VII. PEDILAVIUM (MANDATUM) IN COENA DOMINI.

Ex Missali Romano.

Post denudationem altarium hora competenti facto signo cum tabula, conveniunt Clerici ad faciendum mandatum. Praelatus seu superior, super amictu et alba induitur stola et pluviali violaceis, et in loco ad id deputato, ministrante Diacono (qui paratus cum Subdiacono ut in Missa, paramentis albis, ei assistit) imponit incensum in thuribulo, deinde Diaconus librum Evangeliorum ante pectus tenens, genuflexus ante Superiorem, petit benedictionem: qua accepta, astantibus duobus Acolythis cum candelabris accensis, et Subdiacono librum tenente, signat librum et incensat et cantat, ut moris est, Evangelium: Ante diem festum Paschae, ut in Missa. Quo finito Subdiaconus portat librum apertum osculandum Superiori et Diaconus eum de more incensat. Po-

---

omittunt ut emittere d. b. t. s. h. oleum. G. E. ut venturis. G. E. istius sr. G. inhaesere reliquiae. G. E. spiritalibus. G. quam — per nativitatem.

stea Superior exuitur pluviali et per Diaconum et Subdiaconum praecingitur linteo et sic praecinctus, assistentibus sibi iisdem Diacono et Subdiacono, accedit ad lotionem pedum et per ordinem dispositis iis, qui lavandi sunt, clericis pelvim et aquam ministrantibus, Subdiacono singulorum pedem dextrum tenente, genuflectens singulis, illorum pedem lavat, extergit et osculatur, Diacono praebente linteum ad abstergendum. Et interim haec subscripta cantantur: *Ant.* Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, dicit Dominus. *Ps.* Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. Et repetitur Antiph. Mandatum novum. Et sic aliae Antiphonae, quae habent Psalmos vel versus repetuntur. Et de quolibet Psalmo dicitur tantum primus versus. *Ant.* Postquam surrexit Dominus a coena, misit aquam in pelvim et coepit lavare pedes discipulorum suorum, hoc exemplum reliquit eis. *Ps.* Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri in monte sancto eius. *Ant.* Dominus Iesus postquam coenavit cum discipulis suis, lavit pedes eorum et ait illis: scitis quid fecerim vobis ego Dominus et Magister? Exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis. *Ps.* Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Iacob. *Ant.* Domine, tu mihi lavas pedes? respondet Iesus, et dixit ei: Si non lavero tibi pedes, non habetis partem mecum. ℣. Venit ergo ad Simonem Petrum et dixit ei Petrus. Domine tu mihi lavas pedes etc. Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. Domine tu mihi lavas pedes? respondit Iesus et dixit ei: Si non etc. Si ego Dominus et Magister vester lavi vobis pedes, quanto magis debetis alter alterius lavare pedes? *Ps.* Audite haec omnes gentes, auribus percipite qui habitatis orbem. *Ant.* In hoc cognoscent omnes, quia disciputi mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. ℣. Dixit Iesus discipulis suis. *Ant.* Maneant in vobis fides, spes, charitas, tria haec: maior autem harum est charitas. ℣. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec: maior harum est charitas. *Ant.* Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. ℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu. *Ps.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. *Ant.* Ubi charitas et amor, Deus ibi est. ℣. Congregavit nos in unum Christi amor. ℣. Exultemus et in ipso iucundemur. ℣. Timeamus et amemus Deum vivum. ℣. Et ex corde diligamus nos sincero. Ubi charitas et amor, Deus ibi est. ℣. Simul ergo cum in unum congregamur. ℣. Ne nos mente dividamur, caveamus. ℣. Cessent iurgia maligna, cessent lites. ℣. Et in medio nostri sit Christus Deus. Ubi charitas et

amor, Deus ibi est. ℣. Simul quoque cum beatis videamus. ℣. Glorianter vultum tuum, Christe Deus. ℣. Gaudium quod est immensum, atque probum. ℣. Saecula per infinita saeculorum. Amen.

Post lotionem Superior, vel qui aliis abluit pedes, lavat manus, et abstergit alio linteo, deinde rediens ad locum, ubi prius fuerat, accipit pluviale, et stans capite detecto dicit: Pater noster etc. Et ne nos inducas. ℟. Sed libera. Tu mandasti mandata tua Domine. ℟. Custodiri nimis. Tu lavasti pedes discipulorum tuorum. ℟. Opera manuum tuarum ne despicias. Domine exaudi. ℟. Et clamor meus. Dominus vobiscum. ℟. Et cum. *Oremus.* Adesto Domine quaesumus servitio servitutis nostrae, et quia tu discipulis tuis pedes lavare dignatus es, ne despicias opera manuum tuarum, quae nobis retinenda mandasti, ut sicut hic nobis et a nobis exteriora abluuntur inquinamenta: sic a te omnium nostrum interiora laventur peccata. Quod ipse praestare digneris, qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.[1])

VIII. OFFICIUM FERIAE SEXTAE IN PARASCEVE.

Ex Missali Romano.[2])

Finita nona Sacerdos et ministri induti paramentis nigri coloris sine luminaribus et incenso procedunt ad altare, et ante illud prostrati aliquamdiu orant. Interim Acolythi unam tantum tobaleam extendunt super Altare. Sacerdos cum ministris facta oratione ascendit ad altare et osculatur illud in medio, deinde Lector accedit ad legendam Prophetiam in loco ubi legitur Epistola et incipit eam sine titulo, quam etiam Sacerdos legit submissa voce apud altare in cornu *Epistolae:* (Osee VI, 1—6) Haec dicit Dominus: In tribulatione sua mane consurget et me etc. *Tractus:* Domine audivi auditum tuum et timui: consideravi opera tua et expavi. ℣. In medio duorum animalium innotesceris, dum appropinquaverint anni, cognosceris, dum

---

1) Admodum diversae sunt huius landabilis consuetudinis apud diversos caerimoniae. Plerumque excipit lotionem pedum coena, pauperibus ministrata. Ut unum exemplum afferam, ad manus est „Memoriale Rituum Maioris Hebdomodae ad usum S. Beneventanensis ecclesiae Romae 1725.“ Ex huius libri norma Archiepiscopus genuflexus super pulvinari lavat tergit et osculatur pedes dexteros tredecim pauperum. Deinde benedicit mensam ut in Breviario hac die et ministrat pauperibus et dum coenatur habebitur sermo per unum ex Clericis Seminarii.

2) Binterimi Denkw. V., 1. p. 205 „Die Kirche feiert diesen Tag als einen der vorzüglichsten des ganzen Iahres nicht durch solennen Gottesdienst, sondern vielmehr durch gänzliche Umstaltung desselben.“

advenerit tempus, ostenderis. ℣. In eo, dum conturbata fuerit anima mea, in ira misericordiae memor eris. ℣. Deus a Libano veniet et sanctus de monte umbroso et condenso. ℣. Operuit coelos maiestas eius, et laudis eius plena est terra. Finito Tractu Sacerdos in cornu Epistolae dicit:

Oremus. Diaconus: Flectamus genua. Subdiaconus: Levate:

Deus a quo et Iudas reatus sui poenam et confessionis suae latro praemium sumsit, concede nobis tuae propitiationis effectum: ut sicut in passione sua Iesus Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritorum: ita nobis, ablato vetustatis errore, resurrectionis suae gratiam largiatur. Qui tecum.

Subdiaconus in tono Epistolae similiter sine titulo cantat sequentem Lectionem (Exod. XII, 1—11) In diebus illis dixit Dominus ad Moysen et Aaron in terra Aegypti: Mensis iste etc. *Tractus:* Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo libera me. ℣. Qui cogitaverunt malitias in corde: tota die constituebant praelia. ℣. Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum. ℣. Custodi me Domine de manu peccatoris et ab hominibus iniquis libera me. ℣. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi. ℣. Et funes extenderunt in laqueum pedibus meis, iuxta iter scandalum posuerunt mihi. ℣. Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem orationis meae. ℣. Domine Domine virtus salutis meae obumbra caput meum in die belli. ℣. Ne tradas me a desiderio meo peccatori, cogitaverunt adversus me, ne derelinquas me, ne unquam exaltentur. ℣. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. ℣. Verum tamen iusti confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo. Finito Tractu dicitur Passio super nudum pulpitum, quam Celebrans submissa voce legit in cornu Epistolae:

Passio Domini nostri Iesu Christi secundum Ioannem (XVIII. XIX. 1—37). In illo tempore, egressus est Iesus etc. et genuflectitur et pausatur aliquantulum in versu: Et inclinato capite tradidit spiritum.

Quod sequitur (XIX. 38—42) legitur in tono Evangelii, et dicitur Munda, sed non petitur benedictio et non deferuntur luminaria, neque incensum et Celebrans in fine non osculatur librum:

Post haec autem etc.

Deinde Sacerdos stans in cornu Epistolae, incipit absolute iunctis manibus

Oremus dilectissimi nobis pro Ecclesia sancta Dei ut eam Deus et Dominus noster pacificare, adunare et custodire dignetur toto orbe terrarum, subiiciens ei principatus et potestates, detque

nobis quietam et tranquillam vitam degentibus, glorificare Deum Patrem omnipotentem.

Oremus. Flectamus genua. Levate. **Oratio cantatur in tono feriali Orationis Missae extensis manibus. Et hic modus servatur in subsequentibus.**

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiae tuae, ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret. Per eundem.

Oremus et pro beatissimo Papa nostro N. ut Deus et Dominus noster qui elegit eum in ordine Episcopatus salvum atque incolumem custodiat Ecclesiae suae sanctae ad regendum populum sanctum Dei.

Oremus. Flectamus genua. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, cuius iudicia universa fundantur, respice propitius ad preces nostras et electum nobis Antistitem tua pietate conserva, ut Christiana plebs, quae te gubernatur auctore, sub tanto Pontifice credulitatis suae meritis augeatur. Per Dom.

Oremus et pro omnibus Episcopis Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolythis, exorcistis, lectoribus, ostiariis, confessoribus, virginibus, viduis, et pro omni populo sancto Dei.

Oremus. Flectamus genua. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, cnius spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ùt gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Dom.

Oremus et pro Christianissimo Imperatore nostro N. ut Deus et Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes ad nostram perpetuam pacem.

Oremus. Flectamus genua. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates et omnium iura regnorum respice ad Romanum benignus imperium, ut gentes quae in sua feritate confidunt, potentiae tuae dextera comprimantur. Per Dom.

Oremus et pro catechumenis nostris, ut Deus et Dominus noster adaperiat aures praecordiorum ipsorum, ianuamque misericordiae, ut per lavacrum regenerationis accepta remissione omnium peccatorum et ipsi inveniantur in Christo Iesu Domino nostro.

Oremus. Flectamus genua. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam nova prole semper foecundas, auge fidem et intellectum catechumenis nostris,

ut renati fonte baptismatis, adoptionis tuae filiis aggregentur. Per Dom.

Oremus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat aperiat carceres, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat.

Oremus. Flectamus genua. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, moestorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium, ut omnes sibi necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant affuisse. Per Dom.

Oremus et pro haereticis et schismaticis ut Deus et Dominus noster eruat eos ab erroribus universis, et ad sanctam matrem Ecclesiam catholicam atque apostolicam revocare dignetur.

Oremus. Flectamus genua. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni haeretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuae redeant unitatem. Per Dom.

Oremus et pro perfidis Iudaeis, ut Deus et Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut et ipsi agnoscant Iesum Christum Dominum nostrum. Non respondetur Amen, sed statim dicitur:

Omnipotens sempiterne Deus, qui etiam Iudaicam perfidiam a tua misericordia non repellis, exaudi preces nostras, quas pro illius populi obcaecatione deferimus, ut agnita veritatis tuae luce, quae Christus est, a suis tenebris eruantur. Per eundem Dom.

Oremus et pro paganis, ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum, ut relictis idolis suis, convertantur ad Deum vivum et verum et unicum Filium eius Iesum Christum Deum et Dominum nostrum.

Oremus. Flectamus genua. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, suscipe propitius orationem nostram et libera eos, ab idolorum cultura et aggrega Ecclesiae tuae sanctae ad laudem et gloriam nominis tui. Per Dom.

Completis Orationibus Sacerdos deposita casulaa ccedit ad cornu Epistolae et ibi in posteriori parte anguli altaris accipit a Diacono Crucem iam in Altari praeparatam: quam versa facie ad populum, a summitate parum discooperit, incipiens solus Antiphonam: Ecce lignum Crucis in quo salus mundi pependit, ac deinceps in reliquis iuvatur in cantu a ministris usque ad Venite adoremus. Choro autem cantante Venite adoremus, omnes se prosternunt,

excepto Celebrante. Deinde procedit ad anteriorem partem anguli eiusdem cornu Epistolae et discooperiens brachium dextrum Crucis, elevansque eam paulisper, altius quam primo incipit: Ecce lignum Crucis, aliis cantantibus et adorantibus ut supra. Deinde Sacerdos procedit ad medium Altaris et discooperiens Crucem totaliter ac elevans eam tertio altius incipit: Ecce lignum Crucis, aliis cantantibus et adorantibus ut supra. Postea Sacerdos solus portat Crucem ad locum ante Altare praeparatum, et genuflexus ibidem eam deosculatur.[1]) Hoc facto revertitur et accipit calceamenta et casulam. Postmodum ministri Altaris, deinde alii Clerici et laici bini et bini, ter genibus flexis, ut dictum est, Crucem adorant. Interim dum fit adoratio Crucis, cantantur improperia, et alia quae sequuntur, vel omnia vel pars eorum, prout multitudo adorantium vel paucitas requirit, hoc modo. Duo cantores in medio Chori cantant: Popule meus usque ad Agios o theos. Popule meus quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Quia eduxi te de terra Aegypti: parasti crucem Salvatori tuo. Unus Chorus cantat: Agios o theos. Alius Chorus respondet: Sanctus Deus. Prius Chorus: Agios ischyros. Secundus Chorus: Sanctus fortis. Primus Chorus: Agios athanatos eleïson imas. Secundus Chorus: Sanctus immortalis miserere nobis. Postea duo de secundo Choro cantant: Quia eduxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, et introduxi te in terram satis bonam, parasti Crucem Salvatori tuo. Chori respondent alternatim Agios o theos etc. Deinde duo de primo Choro cantant: Quid ultra debui facere tibi et non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam, et tu facta es mihi nimis amara, aceto namque sitim meam potasti, et lancea perforasti latus Salvatori tuo. Item Chori alternatim respondent: Agios etc. Versus sequentis improperii a duobus Cantoribus alternatim cantantur, utroque Choro simul repetente post quemlibet versum Popule meus usque ad Quia eduxi te de terra Aegypti. Duo de secundo Choro cantant: Ego propter te flagellavi Aegyptum cum primogenitis suis, et tu me flagellatum tradidisti. Chorus repetit Popule. — Ego eduxi te de Aegypto, demerso Pharaone in mare rubrum et tu me tradidisti principibus Sacerdotum. — Ego ante te aperui mare et tu aperuisti lancea latus meum. — Ego ante te praeivi in columna nubis et tu me duxisti ad praetorium Pilati. — Ego te pavi manna per desertum et tu me caedisti alapis et flagellis. — Ego te potavi aqua salutis de petra et tu me potasti felle et aceto. — Ego propter te Chananaeorum reges percussi et tu percussisti arundine caput meum. — Ego dedi tibi

1) Directorium Ecclesiae Metropolit. Coloniensis pro 1845 „Osculum primum figitur dextrae manui, secundum sinistrae, tertium pedibus et quartum lateri."

sceptrum regale et tu dedisti capiti meo spineam coronam — Ego te exaltavi magna virtute et tu me suspendisti in patibulo crucis. Deinde cantatur communiter Ant.: Crucem tuam adoramus Domine et sanctam resurrectionem tuam laudamus et glorificamus, ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo.[1]) *Psalmus.* Deus misereatur nostri et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri. Et repetitur Ant.: Crucem tuam. Postea cantatur Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis, nulla silva talem profert fronde, flore, germine. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet. *Hymnus.* Pange lingua gloriosi lauream certaminis (thes. hymnol. p. 163) et post quemlibet eius versum alternatim aut Crux fidelis aut Dulce lignum repetitur.

Circa finem adorationis Crucis accenduntur Candelae super Altare et Diaconus accipiens bursam corporalium, extendit corporale more solito et iuxta illud ponit purificatorium et finita adoratione, reverenter accipit et reportat ad Altare. Postea ordinatur Processio ad locum ubi pridie Sacramentum repositum fuerat. Praecedit Subdiaconus cum cruce inter duos Acolythos deferentes candelabra cum cereis accensis et Clerus per ordinem, ultimus Sacerdos cum ministris. Cum perventum fuerit ad locum sacramenti accenduntur intorticia, quae non extinguuntur nisi post sumtionem Sacramenti et Sacerdos genuflectit ante Sacramentum, orat aliquantulum: Diaconus interim aperit capsulam, in qua reconditum est Corpus Domini, postea Sacerdos surgens, absque benedictione imponit incensum in duobus thuribulis, Diacono naviculam ministrante et genu-

---

1) Notatu dignum est iudicium Clausenii Kirchenv. der Kathol. u. Prot. u. s. w. III. p. 779 „Noch verdient der dramatische Wechselgesang des Messias mit dem jüdischen Volke (nach Micha 6, 3 ff.) erwähnt zu werden, welcher am Charfreitage nach Palästrina's Composition in der päpstlichen Capelle abgesungen wird, und eben so interessant durch die poetische Idee als durch die antike Einfachheit in der Ausführung ist (Miss. Rom. pag. 250). Der erste Chor singt in Christi Namen: „Popule meus! quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi“ etc. Auf jeden dieser Vorwürfe werden von dem zweiten Chore bloss die flehenden Worte: „Sanctus Deus! Sanctus Fortis! Sanctus Immortalis! miserere nobis!“ erwiedert, bis beide Chöre sich zum Schlusse in eine preisende und anbetende Stimme: „Crucem tuam adoramus, Domine! et sanctam resurrectionem tuam laudamus et glorificamus; ecce enim, propter lignum venit gaudium in universo mundo“, vereinigen. — Schon diese wenigen fragmentarischen Proben werden hinlänglich sein, einen Begriff von dem Charakteristischen der Psalmodie der alten Kirche zu geben. Alle drehen sie sich nämlich um die dogmatische Grund-Idee der Erlösung der Menschen durch Christum, und der Hymnen-Charakter ist daher durchgängig der herrschende; es ist festlicher Iubel der erlösten Seele, andachtsvolle, durch Bekenntniss der eigenen Sünde und des eigenen Unvermögens erhöhete Anbetung der göttlichen Gnade, was in allen Strophen, und zwar oft in den vollen, heiligen Tönen einer feierlichen, begeisterten Lyrik, wiederhallt.“

flexus incensat Sacramentum, tum Diaconus extrahens Calicem cum Sacramento de capsula dat ad manus Sacerdotis et tegit extremitatibus veli, quo humeros illius circumdat, et procedunt ordine, quo venerunt, defertur baldachinum super Sacramentum et duo Acolythi cum thuribulis continue Sacramentum incensant interim cantatur Hymnus: Vexilla regis prodeunt. Cum venerit Sacerdos ad Altare, posito super illud Calice genuflexus rursum incensat et accedens deponit Hostiam ex Calice super patenam quam Diaconus tenet et accipiens patenam de manu Diaconi, Hostiam sacram ponit super corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase. Interim Diaconus imponit vinum in Calicem et Subdiaconus Aquam quam Sacerdos non benedicit nec dicit super eam Orationem consuetam, sed accipiens Calicem a Diacono, ponit super Altare nihil dicens: et Diaconus illum cooperit palla: deinde imponit incensum in thuribulo absque benedictione et incensat oblata et Altare more solito, genuflectens ante et post, et quandocunque transit ante Sacramentum.

Cum incensat oblata, dicit: Incensum istud etc. Cum incensat Altare dicit: Dirigatur Domine oratio etc. Quando reddit thuribulum Diacono dicit: Accendat in nobis etc. Et ipse non incensatur. Postea aliquantulum extra Altare in cornu Epistolae lavat manus nihil dicens, deinde in medio Altaris inclinatus, iunctis manibus dicit: In spiritu humilitatis etc. Deinde versus ad populum in cornu Evangelii dicit more solito: Orate etc. Et per eam viam revertitur non perficiens circulum et consequenter omissis aliis dicit; Oremus: Praeceptis salutaribus etc. Pater noster etc. Et eadem voce absolute sine Oremus in tono Orationis Missae ferialis dicit: Libera nos quaesumus Domine etc. et non signat se patena. Tunc Celebrans facta reverentia usque ad terram supponit patenam Sacramento, quod in dextera accipiens elevat ut videri possit a populo et statim supra Calicem dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in Calicem more solito, nihil dicens. Pax Dom. non dicitur nec Agnus Dei, neque pacis osculum datur. Postmodum praetermissis duabus primis Orationibus, dicit tantum sequentem: Perceptio Corporis etc. Tum genuflectit et accipit patenam cum Corpore Christi et maxima humilitate ac reverentia dicit: Panem coelestem etc. Percutit pectus suum ter dicens: Domine non sum dignus etc. Postea signat se Sacramento, dicens: Corpus Domini nostri etc. Et sumit Corpus reverenter. Deinde omissis omnibus quae dici solent ante sumtionem Sanguinis, immediate particulam Hostiae cum vino reverenter sumit de Calice. Et more solito facta ablutione digitorum et sumta purificatione in medio Altaris inclinatus, manibus iunctis dicit: Quod ore sumsimus Domine etc. Non dicitur Corpus tuum etc. nec Postcommunio nec Placeat tibi, nec datur Benedictio, sed facta reverentia Altari Sacerdos cum ministris discedit et dicuntur Vesperae sine cantu et denudatur Altare.

IX. DE BENEDICTIONE ET CORONATIONE REGIS.

Ex Pontificali Romano.

Cum Rex est coronandus Episcopi regni ad civitatem ubi coronatio fieri debet, convocantur. Rex triduanum ieiunium devote peragit per hebdomadam praecedentem videlicet quarta et sexta feria et sabbato. Dominica vero proxima sequenti coronatur, qua ipse Rex se ad communionem parat. Ecclesia vero, ipsa metropolitana sive Cathedralis ubi solemnitas celebrabitur paretur et ornetur quo melius fieri poterit. Ad altare maius parantur ea quae consueta sunt parari, Pontifice celebrante, et credentia iuxta altare cum rebus opportunis. Super altare ponitur gladius, corona et sceptrum Regi danda et Oleum Catechumenorum, bombyx ad ligandum et extergendum brachium Regis et inter scapulas post unctionem, fascia ad ligandum bombycem in brachio. Paratur in Ecclesia in loco competenti thalamus sive suggestum pro Rege, in quo sit regalis sedes ornata et thalamus ipse sit ornatus pannis sericeis et aulaeis. Sed advertendum est quod altitudo thalami non sit maior quam gradus supremus altaris. Paratur etiam in loco convenienti tentorium, sive papilio, sub quo Rex vestes regales pro regni consuetudine, quae ibidem pro eo parantur, suo tempore recipit. Et si Regina etiam simul est coronanda paratur pro ea alius thalamus, non longe a regio, sed illo aliquantulum humilior, et ita sunt situandi thalami, ut inde possint videri altare et Pontifex celebrans. Parantur etiam ante altare hinc et inde sedes pro numero Episcoporum coronationi interessentium. — Die autem Dominica qua Rex benedicendus et coronandus est, omnes Episcopi conveniunt mane in Ecclesia in qua hoc fieri debet, et Metropolitanus sive Pontifex ad quem spectat, parat se solemniter cum ministris, Missam celebraturus, paramentis tempori convenientibus. Episcopi vero induuntur supra rochetum (vel supra superpelliceum, si sint religiosi) amictu, stola, pluviali albo et mitra simplici. Quibus omnibus paratis, Metropolitanus in faldistorium ante medium altaris posito sedet cum mitra et Episcopi parati hinc et inde super sedibus pro eis paratis quasi in modum coronae sedentes, sibi assistunt. Interim Rex vestibus militaribus indutus, cum suis Praelatis domesticis non paratis, ac Baronibus, Nobilibus et aliis venit ad Ecclesiam et cum fuerit prope presbyterium, duo priores Episcopi ex paratis, veniunt ei obviam et cum mitris capita illi aliquantulum inclinantes, ipsum inter se medium, birreto deposito, usque ante Metropolitanum deducunt, cui Rex caput inclinans, humilem reverentiam exhibet, qua facta, prior Episcoporum deducentium stans, detecto capite, versus ad Metropolitanum dicit intelligibili voce: Reverendissime pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut praesentem egregium militem ad dignitatem regiam sublevetis. Interrogat Metropolitanus: Scitis illum esse dignum et utilem ad hanc dignitatem? Ille respondet: Et novimus et credimus eum esse dignum et utilem Ecclesiae Dei

et ad regimen huius regni. **Metrop. dicit:** Deo gratias. **Tunc sedet Rex medius inter duos Episcopos deducentes, congruenti spatio a Metropolitano, ita ut illi faciem vertat, ipsi etiam deducentes Episcopi senior ad dexteram, alius ad sinistram Regis se collocant ut et ipsi ad alterutrum facies vertant. Quibus sic sedentibus, postquam aliquantulum quieverint, Metropolitanus coronandum Regem admonet, dicens:**

Cum hodie per manus nostras optime Princeps qui Christi salvatoris nostri vice in hac re fungimur (quamvis indigni) sacram unctionem et regni insignia sis suscepturus: bene est, ut te prius de onere, ad quod destinaris, moneamus. Regiam hodie suscipis dignitatem et regendi fideles populos tibi commissos curam sumis. Praeclarum sane inter mortales locum, sed discriminis, laboris atque anxietatis plenum. Verum, si consideraveris, quod omnis potestas a Domino Deo est, per quem reges regnant et legum conditoresi usta decernunt, tu quoque de grege tibi commisso ipsi Deo rationem es redditurus. Primum pietatem servabis, Dominum Deum tuum tota mente ac puro corde coles. Christianam religionem ac fidem Catholicam quam ex incunabulis professus es ad finem usque inviolatam retinebis, eamque contra omnes adversantes pro viribus defendes. Ecclesiarum praelatis ac reliquis Sacerdotibus condignam reverentiam exhibebis. Ecclesiasticam libertatem non inculcabis. Iustitiam sine qua nulla societas diu consistere potest, erga omnes inconcusse administrabis, bonis praemia, noxiis debitas poenas retribuendo. Viduas, pupillas, pauperes ac debiles ab omni oppressione defendes. Omnibus te adeuntibus, benignum, mansuetum atque affabilem, pro regia tua dignitate te praebebis. Et ita te geres ut non ad tuam sed totius populi utilitatem regnare, praemiumque benefactorum tuorum, non in terris sed in coelo exspectare videaris. Quod ipse praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Rex electus accedit ad Metropolitanum et coram eo, detecto capite, genuflexus, facit hanc professionem dicens;

Ego N. Deo annuente, futurus Rex N. profiteor et promitto coram Deo et Angelis eius, deinceps legem iustitiam et pacem Ecclesiae, populoque mihi subiecto pro posse et nosse facere, ac servare, salvo condigno misericordiae Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum melius potero invenire. Pontificibus quoque Ecclesiarum Dei condignum et canonicum honorem exhibere atque ea, quae ab Imperatoribus et Regibus Ecclesiis collata et reddita sunt, inviolabiliter observare. Abbatibus Comitibus et vasallis meis congruum honorem secundum consilium fidelium meorum, praestare.

Deinde ambabus manibus tangit librum Evangeliorum quem Metropolitanus ante se apertum tenet, dicens: Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Postea Rex electus Metropolitani manum reverenter osculatur. His expeditis, illo genuflexo manente, Metropolitanus deposita mitra surgit et stans versus ad ipsum coronandum, dicit competenti voce sequentem orationem, quam etiam dicunt omnes Pontifices parati, similiter sine mitris stantes, dicunt etiam omnia alia, benedictionem et coronationem ipsam concernentia, voce submissa, Metropolitanum tamen in omnibus observantes et imitantes:

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator omnium, Imperator Angelorum, Rex regum et Dominus dominantium, qui Abraham fidelem servum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Iosue populo tuo praelatis multiplicem victoriam tribuisti humilemque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, et Salomonem sapientiae pacisque ineffabili munere ditasti, respice quaesumus Domine ad preces humilitatis nostrae et super hunc famulum tuum N., quem supplici devotione in Regem elegimus, bene ✝ dictionum tuarum dona multiplica eumque dexterae tuae potentia semper et ubique circumda, quatenus praedicti Abrahae fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Iosue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat et per tramitem iustitiae inoffenso gressu semper incedat, tuae quoque protectionis galea munitus, et scuto insuperabili iugiter protectus, armisque coelestibus circumdatus optabilis de hostibus sanctae crucis Christi victoriae triumphum feliciter capiat, terroremque suae potentiae illis inferat, et pacem tibi militantibus laetanter reportet. Per Christum Dominum nostrum, qui virtute sanctae crucis tartara destruxit regnoque diaboli superato ad coelos victor ascendit, in quo potestas omnis regnique consistit victoria, qui est gloria humilium et vita salusque populorum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Posthaec Metropolitanus cum mitra procumbit supra faldistorium. Rex vero ad eius sinistram in terram se prosternit, aliis Praelatis paratis ante sedes suas similiter procumbentibus. Tunc cantores incipiunt et prosequuntur litanias, Choro respondente. Cum dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus etc. ℟. Te rogamus audi nos, **Metropolitanus surgit et accepto baculo postorali in sinistram manum, super electum regem prostratum dicit:** Ut hunc electum in Regem coronandum bene ✝ dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Ut hunc electum in Regem coronandum bene ✝ dicere et con ✝ secrare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. **Producendo**

semper super eum signum crucis. Idem dicunt et faciunt Episcopi et parati, genuflexi tamen permanentes. Quo dicto Metropolitanus redit ad accubitum, cantoribus resumentibus et perficientibus Litanias. Quibus finitis Metropolitanus deposita mitra surgit, illo prostrato atque Episcopis, deposita mitra genuflexis manentibus versus ad coronandum dicit; Pater noster. Et ne nos. Sed libera. Salvum fac servum. Deus meus. Esto ei Domine turris. A facie. Nihil proficiat. Et filius iniquitatis. Domine exaudi. Et clamor. Dominus vobiscum. Et cum.

Oremus. Praetende Domine huic famulo tuo dexteram coelestis auxilii, ut te toto corde perquirat et quae digne postulat, consequi mereatur.

Actiones nostras quaesumus Domine aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. ℟. Amen.

Post haec Metropolitanus sedet, accipit mitram et electus Rex coram eo genuflectit et circumastantibus Praelatis paratis, cum suis mitris in modum coronae, Metropolitanus intingit pollicem dextrae manus in oleum Catechumenorum et inungit in modum crucis illius brachium dexterum, inter iuncturam manus et iuncturam cubiti atque inter scapulas dicens hanc orationem:

Deus Dei filius Iesus Christus Dominus noster qui a Patre oleo exultationis unctus est, prae participibus suis: ipse per praesentem, sanctae unctionis infusionem Spiritus Paracliti super caput tuum bene✝dictionem infundat, eandemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc visibili et tractabili oleo dona invisibilia percipere et temporali regno iustis moderationibus executo aeternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato Rex regum vivit et gloriatur cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui Azahel super Syriam et Iehu super Israel per Eliam, David quoque et Saulem per Samuelem prophetam in Reges inungi fecisti, tribue quaesumus, manibus nostris opem tuae benedictionis et huic famulo tuo N. quem hodie, licet indigni, in Regem sacra unctione delinimus, dignam delibutionis huius efficaciam et virtutem concede, constitue, Domine, principatum super humerum eius, ut sit fortis, iustus fidelis, providus, et indefessus regni huius, et populi tui gubernator, infidelium expugnator, iustitiae cultor, meritorum et demeritorum remunerator, Ecclesiae tuae sanctae et fidei Christianae defensor, ad decus et laudem tui nominis gloriosi. Per Dom.

Quo facto Metropolitanus lavat et abstergit manus surgit cum mitra, descendit ante altare ubi deposita mitra, stans cum suis ministris facit Confessio-

nem. Rex vero electus ad partem se retrahit et genuflexus cum suis Praelatis domesticis idem facit. Similiter et Episcopi parati sine mitris stantes bini et bini Confessionem dicunt. Finita Confessione Metropolitanus ascendit ad Altare et procedit in Missa more solito usque ad Alleluia sive ultimum versum Tractus vel Sequentiae exclusive, Praelatis paratis iuxta suas sedes stantibus vel sedentibus, prout tempus requirit. Interim schola inchoat introitum et prosequitur in Missa, et Rex a suis ducitur in Sacristiam vel sub papilione ad hoc parato, ubi inter scapulas et brachium inunctum bombyce bene abstergitur et induitur regalibus indumentis ex more regni. Paratus itaque Rex et ornatus procedit cum suis Praelatis, Baronibus et aliis ad eminentem et ornatum thalamum et ibi super aliquo faldistorio ornato genuflexus incumbens audit Missam quam Praelati sui non parati circumastantes etiam genuflexi legunt usque ad Alleluia sive ultimum versum Tractus vel Sequentiae exclusive. Missa dicitur de die et cum Oratione diei dicitur pro ipso Electo Rege sub una conclusione:

Quaesumus omnipotens Deus ut famulus tuus N. Rex noster, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus et vitiorum monstra devitare et ad te, qui via, veritas et vita es, gloriosus valeat pervenire. Per Dom.

Graduali cantato Metropolitanus sedet ante altare cum mitra in faldistorio et Rex a suis associatus medius inter priores Praelatos paratos ad Metropolitanum reducitur, cui facta reverentia ut prius genuflectit coram eo. Tunc Metropolitanus accipit gladium, quem unus ministrorum sibi porrigit de altari et illum evaginatum tradit in manus regis dicens: Accipe gladium de altari sumtum per nostras manus licet indignas, vice tamen et auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter concessum, nostraeque bene ✝ dictionis officio, in defensionem sanctae Dei Ecclesiae divinitus ordinatum, et memor esto eius de quo Psalmista prophetavit, dicens: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, ut in hoc per eundem vim aequitatis exerceas, molem iniquitatis potenter destruas et sanctam Dei Ecclesiam eiusque fideles propugnes, ac protegas, nec minus sub fide falsos quam Christiani nominis hostes execres ac dispergas, viduas et pupillos clementer adiuves ac defendas, desolata restaures, restaurata conserves, ulciscaris iniusta, confirmes bene disposita, quatenus haec agendo virtutum triumpho gloriosus iustitiaeque cultor egregius, cum mundi salvatore sine fine regnare merearis. Qui cum Deo etc.

His expeditis ensis a ministris in vaginam reponitur et Metropolitanus accingit ense Regem dicens: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, et attende quod Sancti non in gladio sed per fidem vicerunt regna.

Et mox Rex accinctus surgit et eximit ensem de vagina illumque viriliter vibrat deinde super brachium sinistrum tergit et in vaginam reponit atque iterum coram Metropolitano genuflectit. Tunc ei corona imponitur quam omnes Praelati parati qui adsunt de Altari per Metropolitanum sumtam manibus tenent, ipso Metropolitano illam regente, capiti illius imponente ac dicente:

Accipe coronam regni quae licet ab indignis Episcoporum tamen manibus, capiti tuo imponitur. In nomine Pa✝tris et Fi✝lii et Spiritus ✝ Sancti, quam sanctitatis gloriam et honorem et opus fortitudinis significare intelligas et per hanc te participem ministerii nostri non ignores. Ita ut sicut nos in interioribus pastores, rectoresque animarum intelligimur, ita et tu in exterioribus verus Dei cultor strenuusqne contra omnes adversitates Ecclesiae Christi defensor assistas, regnique tibi a Deo dati et per officium nostrae benedictionis in vice Apostolorum omniumque Sanctorum, regimini tuo commissi utilis executor, proficuusque regnator semper appareas, ut inter gloriosos athletas, virtutum gemmis ornatus et praemio sempiternae felicitatis coronatus cum redemtore ac Salvatore nostro Iesu Christo cuius nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris. Qui vivit.

Postea Metropolitanus dat ei adhuc genuflexo sceptrum, dicens:

Accipe virgam virtutis ac veritatis qua intelligas, te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos, errantes viam docere, lapsis manum porrigere, disperdere superbos et relevare humiles et aperiat tibi ostium Iesus Christus Dominus noster, qui de semet ipso ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, qui est clavis David et sceptrum domus Israel, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. Sitque tibi ductor, qui educit vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis, et in omnibus sequi merearis eum de quo David propheta cecinit, Sedes tua Deus in saeculum saeculi, virga directionis, virga regni tui, et imitando ipsum, diligas iustitiam et odio habeas iniquitatem quia propterea unxit te Deus, Deus tuus, ad exemplum illius, quem ante saecula unxerat oleo exultationis prae participibus suis, Iesum Christum Dominum nostrum qui cum eo vivit et regnat Deus Per omnia.

Tunc Regi surgenti discingitur ensis et in vagina datur alicui, qui eum ante Regem immediate portat. Et Metropolitanus cum aliis Praelatis paratis deducit Regem sceptrum in manu et coronam in capite ferentem medium inter se a dexteris et digniorem Praelatum paratum a sinistris Regis incedentem ad solium supra thalamum et adiuvante eum digniore Praelato praedicto, inthronizat Regem in solio dicens:

Sta et retine amodo locum tibi a Deo delegatum per auctoritatem omnipotentis Dei et per praesentem traditionem nostram, omnium scilicet Episcoporum caeterorumque Dei servorum et quanto clerum sacris altaribus propinquiorem perspicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediatorem cleri et plebis permanere faciat.

Deinde Metropolitanus deposita mitra stans versus ad altare inchoat schola prosequente Hymnum: Te Deum laudamus. **Qui totus dicitur, quo incepto Metropolitanus accedit ad dexteram Regis, ibi continuo manens usque ad finem hymni, et eo finito Metropolitanus stans ut prius ad dexteram Regis sine mitra dicit super illum versus:** Firmetur manus tua et exaltetur dextera tua. ℟. Iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae. Domine exaudi. Et clamor. Dominus vob. Et cum.

Oremus. Deus qui victrices Moysi manus in oratione firmasti, qui quamvis aetate languesceret, infatigabili sanctitate pugnabat, ut dum Amalech iniquus vincitur, dum profanus nationum populus subiugatur, exterminetis alienigenis haereditati tuae possessio copiosa serviret, opus, manuum tuarum pia nostrae orationis exauditione confirma: habemus et nos apud te sancte Pater, Dominum Salvatorem, qui pro nobis manus suas extendit in cruce, per quem etiam precamur, altissime, ut tua potentia suffragante, universorum hostium frangatur impietas, populusque tuus, cessante formidine, te solum timere condiscat. Per eundem.

Oremus. Deus inenarrabilis, auctor mundi, conditor generis humani, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui patriarchae nostri Abrahae praeelegisti Regem saeculis profuturum, tu praesentem insignem Regem hunc cum exercitu suo per intercessionem beatae Mariae virginis et omnium Sanctorum uberi bene ✝ dictione locupleta et in solium regni firma stabilitate connecte, visita eum, sicut visitasti Moysen in rubo, Iosue in praelio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo et illa eum siderea bene ✝ dictione ac sapientiae tuae rore perfunde quam beatus David in psalterio, Salomon filius eius te remunerante, percepit de coelo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis sapientia, in protectione clypeus sempiternus. Et praesta ut gentes illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligant caritatem, abstineant se a cupiditate, loquantur iustitiam, custodiant veritatem et ita populus iste sub eius imperio pullulet, coalitus benedictione aeternitatis, ut semper tripudiantes maneant in pace ac victores. Quod ipse praestare dignetur, qui tecum vivit.

Quibus finitis Metropolitanus cum Praelatis paratis redit ad sedem suam

prope altare et nisi sit coronanda regina dicitur Alleluia sive ultimus versus Tractus vel Sequentiae, Evangelium, et alia usque ad Offertorium inclusive. Quo dicto Metropolitanus residet in faldistorio suo ante medium altaris cum mitra et Rex a suis Praelatis et Baronibus associatus venit ante Metropolitanum quo genuflexus, detecto capite, offert ei aurum, quantum sibi placet et manum Metropolitani recipientis osculatur. Deinde ad solium suum revertitur. Metropolitanus lavat manus surgensque accedit ad altare prosequitur Missam usque ad Communionem. Cum Secreta Diei dicitur pro rege sub una:

Munera quaesumus Domine, oblata sanctifica, ut et nobis unigeniti tui corpus et sanguis fiant et regi nostro ad obtinendam animae corporisque salutem et ad peragendum inunctum officium, te largiente, usquequaque proficiant. Per eundem.

Pax datur regi per primum ex praelatis paratis cum instrumento ad hoc ordinato. Postquam Metropolitanus se de corpore et sanguine quem totum sumere debet, comunicaverit, rex, detecto capite, de thalamo suo accedit ad altare, coram quo in supremo gradu genuflectit et Metropolitanus conversus ad Regem ipsum communicat. Rex priusquam communionem sumat osculatur manum dextram Metropolitani et sumta communione ex calice de manu Metropolitani se purificat et purificatus ad thalamum suum revertitur. Metropolitanus vero ablutionem sumit et accepta mitra lavat manus et perficit Missam. Cum Postcommunione diei dicitur pro Rege sub una:

Haec Domine oblatio salutaris famulum tuum N. Regem nostrum ab omnibus tueatur adversis, quatenus Ecclesiasticae pacis obtineat tranquillitatem et post istius temporis decursum ad aeternam perveniat haereditatem. Per Dom.

In fine Metropolitanus dat benedictionem solemnem ut supra, qua data singuli ad sua revertantur.

X. BENEDICTIO ET CONSECRATIO VIRGINUM.

Ex Pontificali Romano.

Benedictio et consecratio Virginum fieri debet in Epiphania Domini vel in Albis Paschalibus aut in Natalitiis Apostolorum seu in Dominicis diebus. Die vero praecedenti hora vespertina vel etiam mane antequam Pontifex ad Missam se paret, in loco convenienti praesentantur ei virgines benedicendae, qui de earum aetate et proposito singulariter singulas, videlicet, an annum vigesimum quintum compleverint, si voluntatem et propositum servandae virginitatis habeant, diligenter inquirit et insuper seorsum cum qualibet de vita et conscien-

tia et carnis integritate. Quo facto super Altari in cornu Epistolae locantur pro virginibus benedicendis vestes, vela, annuli, et torques sive coronae tempore suo virginibus tradenda. Deputantur paranymphae Matronae seniores et propinquae earum, quae virgines associantur et praecedunt, collocant ac deducunt ad Pontificem et reducunt. Ordinatur etiam in Ecclesia papilio aut alius locus conveniens paratur, in quo virgines ipsae conveniunt et suo tempore se vestiunt benedictis vestibus. Posthaec, hora congrua, Pontifex paratus omnibus Pontificalibus paramentis procedit more consueto ad Missam in ea usque ad Alleluia sive ultimum versum Tractus vel Sequentiae exclusive. Missa dicitur de die cum Collecta pro virginibus sub una:

Da quaesumus Domine, his famulabus tuis quas virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum, et ut perfectam tibi offerant plenitudinem initia sua perducere mereantur ad finem. Per Dom.

Dicto Graduali, Tractu vel Sequentia usque ad ultimum versum exclusive, Pontifex sedet cum mitra super faldistorium, ante medium altaris praeparatum. Virgines vero in vestibus quibus in monasterio usae sunt, sine velis, sine mantellis et sine cucullis e monasterio egressae, assiociatae singulae a duabus matronis senioribus et propinquis ac velis ante faciem demissis, Ecclesiam ingrediuntur, et Archipresbyter superpelliceo et pluviali indutus cantat competenti voce hanc Antiphonam: Prudentes virgines, aptate vestras lampades, ecce sponsus venit, exite obviam ei. Virgines vero audientes vocem Archipresbyteri, et accendentes cereos suos progrediuntur binae et binae. Archipresbyter vero praecedens statuit eas extra chorum ut facies ad altare maius vertant et Pontificem coram altari sedentem possint videre et ipse eas. Tunc idem Archipresbyter in parte virginum stans, dicit competenti voce in tono lectionis ad Pontificem, virginibus genuflectentibus:

Reverendissime pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica, ut has praesentes virgines dignemini benedicere et consecrare ac Domino nostro Iesu Christo, summi filio Dei desponsare. Pontifex interrogat: Scis illas dignas esse? Respondet Archipresbyter; Quantum humana fragilitas nosse sinit, credo et testificor illas dignas esse. Tunc Pontifex adhuc sedens cum mitra dicit ad circumstantes:

Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Iesu Christo, eligimus has praesentes virgines benedicere et consecrare, ac Domino, nostro Iesu Christo, summi Dei filio desponsare. Deinde Pontifex vocat virgines in cantu dicens: Venite. Virgines respondent: Et nunc sequimur. Surgentes mox seriatim veniunt usque ad introitum chori, exterius tamen genua flectentes. Tunc Pontifex eas secundo altius vocat in cantu dicens: Venite. Virgines surgentes respondent similiter in cantu dicentes Et nunc sequimur in toto corde. Deinde usque ad medium chori procedunt

et ibi genua flectunt. Tunc Pontifex tertio altius vocat in cantu, dicens: Venite filiae audite me, timorem Domini docebo vos. Virgines vero surgentes respondent cantantes Antiph.: Et nunc sequimur in toto corde timemus te, et quaerimus faciem tuam videre, Domine ne confundas nos, sed fac nobis iuxta mansuetudinem tuam et secundum multitudinem misericordiae tuae. Et praemissa cantantes virgines, magis appropinquantes ascendunt in presbyterium, ubi omnes coram Pontifice genuflectunt et capita profunda quasi usque ad terram inclinant. Deinde singulae successive caput aliquantulum erigentes, cantant etiam hunc versum: Suscipe me, Domine secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis iniustitia. Quo per singulas dicto, surgunt omnes et a matronis praedictis seriatim ordinantur, stantes ibidem in modum coronae coram Pontifice, congruo tamen spatio distantes ab eo. Tunc Pontifex hortatur illas publice ad amplectendum et servandum sanctae virginitatis propositum et mox interrogat palam et communiter dicens; Vultis in sanctae virginitatis proposito perseverare? Et singulae respondent: Volumus. Tunc unaquaeque sigillatim genuflectit coram eo et immissis manibus iunctis inter ambas manus Pontificis, Pontifex interrogat quamlibet, dicens: Promittis te virginitatem perpetuo servare? Respondet illa: Promitto. Et Pontifex dicit: Deo gratias. Illa vero osculatur manus Pontificis, surgitque et ad suum locum revertitur et genuflectit. Omnibus autem sic per ordinem expeditis et ad sua loca reversis et genuflexis, Pontifex communiter omnes interrogat dicens: Vultis benedici, et consecrari ac Domino nostro Iesu Christo summi Dei filio desponsari? Respondent omnes: Volumus. Posthaec Pontifex ante altare super faldistorium procumbit cum mitra et ministri hinc et inde genuflectunt; virgines vero post Pontificem super tapetia in modum coronae se prosternunt et cantores incipiunt et prosequuntur Litanias, et postquam dictum est et a choro responsum: Ut omnibus fidelibus etc. ℟. Te rogamus audi nos. Pontifex surgit cum mitra et vertens se ad virgines prostratas, tenens baculum pastoralem in sinistra, in pristino tono, dicit primo: Ut praesentes ancillas tuas bene✠dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos Ut praesentes ancillas tuas bene✠dicere et sancti✠ficare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Quibus dictis, Pontifex redit ad accubitum, cantoribus Litanias ubi dimiserant, reassumentibus et perficientibus. Quibus finitis surgunt omnes et dicitur hymnus: Veni creator Spiritus etc. Pontifice sine mitra ante altare genuflexo, incipiente et choro illum prosequente usque ad finem, primo versu dicto Pontifice surgente, et usque ad finem eiusdem hymni sine mitra stante. Hymno dicto virgines ad papilionem seu ad alium locum ideoneum proximiorem ad hoc ordinatum, revertuntur. Pontifex vero coram altari stans, deposita mitra benedicit virginum vestes, dicens: Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus aeternorum bonorum fidelissime promissor, certissime persolutor, qui vestimentum salutis et indumentum aeternae iucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut haec indumenta, humilitatem cordis et contemtum mundi significantia, quibus famulae tuae sancto visibiliter sunt informandae proposito, propitius bene†dicas, ut beatae castitatis habitum, quem, te inspirante suscipiunt, te protegente, custodiant, et quas venerandae vestibus, promissionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. Per Dom.

Oremus. Domine Deus bonarum virtutum dator et omnium benedictionum largus infusor, te obnixis precibus deprecamur, ut has vestes bene † dicere et sancti†ficare digneris quas famulae tuae pro indicio cognoscendae religionis induere se volunt, ut inter reliquas feminas tibi cognoscantur dicatae. Per Christum.

Oremus. Exaudi omnipotens Deus preces nostras et has vestes quas famulae tuae ad se ipsas operiendas exposcunt, uberrimae benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti oram vestimentorum Aaron benedictione unguenti, profluentis a capite in barbam et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita eas bene†dicere et sancti†ficare digneris, ac praesta, clementissime pater, ut supradictis famulabus tuis sint hae vestes salutis protectio, hae cognitio religionis, hae initium sanctitatis, hae contra omnia tela inimici robusta defensio, ut centesimi muneris opulentia, perseverante continentia, ditentur. Per Chr.

Et vestes aqua benedicta aspergit, quae portantur virginibus ad locum, ad quem divertunt, ubi, dimissis quotidianis vestibus, induunt benedictas. Pontifex autem stans, ut supra benedicit vela virginum, dicens:

Oremus. Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super has vestes ancillarum tuarum capitibus imponendas, bene†dictio tua benigna descendat, et sint hae vestes benedictae, consecratae, immaculatae et sanctae. Per Chr.

Oremus. Caput omnium fidelium, Deus, et totius corporis salvator, haec operimenta velaminum, quae famulae tuae propter tuum tuaeque genitricis beatissimae Virginis Mariae amorem suis capitibus sunt impositurae, dextera tua sancti†ficare, et hoc quod per illa mystice datur intelligi, tua semper custodia corpore pariter animo incontaminato, custodiant, ut quando ad perpetuam sanctorum remunerationem venerint, cum prudentibus et ipsae virginibus praeparatae, te perducente, ad sempiternae felicitatis nuptias introire mereantur. Qui vivis.

et ibi genua flectunt. Tunc Pontifex tertio altius vocat in cantu, dicens: Venite filiae audite me, timorem Domini docebo vos. Virgines vero surgentes respondent cantantes Antiph.: Et nunc sequimur in toto corde timemus te, et quaerimus faciem tuam videre, Domine ne confundas nos, sed fac nobis iuxta mansuetudinem tuam et secundum multitudinem misericordiae tuae. Et praemissa cantantes virgines, magis appropinquantes ascendunt in presbyterium, ubi omnes coram Pontifice genuflectunt et capita profunda quasi usque ad terram inclinant. Deinde singulae successive caput aliquantulum erigentes, cantant etiam hunc versum: Suscipe me, Domine secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis iniustitia. Quo per singulas dicto, surgunt omnes et a matronis praedictis seriatim ordinantur, stantes ibidem in modum coronae coram Pontifice, congruo tamen spatio distantes ab eo. Tunc Pontifex hortatur illas publice ad amplectendum et servandum sanctae virginitatis propositum et mox interrogat palam et communiter dicens; Vultis in sanctae virginitatis proposito perseverare? Et singulae respondent: Volumus. Tunc unaquaeque sigillatim genuflectit coram eo et immissis manibus iunctis inter ambas manus Pontificis, Pontifex interrogat quamlibet, dicens: Promittis te virginitatem perpetuo servare? Respondet illa: Promitto. Et Pontifex dicit: Deo gratias. Illa vero osculatur manus Pontificis, surgitque et ad suum locum revertitur et genuflectit. Omnibus autem sic per ordinem expeditis et ad sua loca reversis et genuflexis, Pontifex communiter omnes interrogat dicens: Vultis benedici, et consecrari ac Domino nostro Iesu Christo summi Dei filio desponsari? Respondent omnes: Volumus. Posthaec Pontifex ante altare super faldistorium procumbit cum mitra et ministri hinc et inde genuflectunt; virgines vero post Pontificem super tapetia in modum coronae se prosternunt et cantores incipiunt et prosequuntur Litanias, et postquam dictum est et a choro responsum: Ut omnibus fidelibus etc. ℟. Te rogamus audi nos. Pontifex surgit cum mitra et vertens se ad virgines prostratas, tenens baculum pastoralem in sinistra, in pristino tono, dicit primo: Ut praesentes ancillas tuas bene✝dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos Ut praesentes ancillas tuas bene✝dicere et sancti✝ficare digneris. ℟. Te rogamus audi nos. Quibus dictis, Pontifex redit ad accubitum, cantoribus Litanias ubi dimiserant, reassumentibus et perficientibus. Quibus finitis surgunt omnes et dicitur hymnus: Veni creator Spiritus etc. Pontifice sine mitra ante altare genuflexo, incipiente et choro illum prosequente usque ad finem, primo versu dicto Pontifice surgente, et usque ad finem [illegible] dem hymni sine mitra stante. Hymno dicto virgines ad papilionem [illegible] locum idoneum proximiorem ad hoc ordinatum, revertuntur. P[illegible] coram altari stans, deposita mitra benedicit virginum vestes, dice[illegible] vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Et vela ipsa aqua benedicta aspergit. Posthaec stans adhuc, ut supra, Pontifex benedicit annulos, dicens:

Oremus. Creator et conservator humani generis, dator spiritualis et largitor humanae salutis, tu Domine emitte bene✝dictionem tuam super hos annulos, ut quae eos gestaverint, coelesti virtute munitae fidem integram, fidelitatemque sinceram teneant, sicut sponsae Christi virginitatis propositum custodiant et in castitate perpetua perseverent. Per Chr.

Et aqua benedicta eos aspergit. Tum stans adhuc sine mitra Pontifex, benedicit torques, sive coronas dicens:

Oremus. Bene✝dic Domine ornamenta ista et praesta per invocationem tui nominis ut quaecunque ea portaverint si tibi fideliter servierint, coronam, quam illa designant, in coelo percipere mereantur. Qui in Trinitate perfecta vivis et regnas etc.

Deinde eas aqua benedicta aspergit. His expletis, virgines, benedictis vestibus, exceptis velis, indutae, binae et binae seriatim redeunt ad Pontificem, cantantes Responsorium: Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contemsi propter amorem Domini nostri Iesu Christi, quem vidi, quem amavi, iu quem credidi, quem dilexi. ℟. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Quem vidi **Tum disponuntur a paranymphis ante altare genuflexae coram Pontifice in modum coronae, vultibus demissis. Pontifex vero surgit, mitra deposita et versus ad eas dicit:**

Oremus. Respice Domine propitius super has famulas tuas ut sanctae virginitatis propositum, quod te inspirante susceperunt, te gubernante custodiant. Per Dom.

Deinde dicit competenti voce extensis manibus ante pectus Praefationem:

Per omnia saec. Amen. Dominus vob. Et cum. Sursum corda. Habemus. Gratias agamus. Dignum. Vere dignum et iustum est etc. aeterne Deus, castorum Corporum benignus habitator et incorruptarum Deus amator animarum, qui humanam substantiam inprimis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primae originis innocentiam revoces sed etiam ad experientiam aeternorum bonorum, quae novo in saeculo sunt habenda, perducas et obstrictas adhuc conditione mortalium, iam ad similitudinem provehas Angelorum; respice Domine super has famulas tuas, quae in manu tua continentiae suae propositum collocantes, tibi devotionem suam offerant, a quo et ipsae vota assumserunt. Quomodo enim animus

mortali carne circumdatus legem naturae, libertatem licentiae, vim consuetudinis et stimulos aetatis evinceret, nisi tu, Deus per liberum arbitrium hunc in eis amorem virginitatis clementer accenderes, tu hanc cupiditatem in earum cordibus benignus aleres, tu fortitudinem ministrares? Effusa namque in omnes gentes gratia tua ex omni natione, quae sub coelo est in stellarum innumerabilem numerum novi testamenti haeredibus adoptatis, inter caeteras virtutes, quas filiis tuis non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed de Spiritu Sancto tuo genitis indidisti etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuae fonte defluxit, ut cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuissent, ac super sanctum coniugium nuptialis benedictio permaneret, existerent tamen sublimiores animae, quae in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, concupiscerent Sacramentum, nec imitarentur, quod nuptiis agitur, sed diligerent, quod nuptiis praenotatur. Agnovit auctorem suum beata virginitas, et aemula integritatis Angelicae, illius thalamo, illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuae virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuae virginitatis est filius. Implorantibus ergo auxilium tuum Domini et confirmari se benedictionis tuae consecratione cupientibus da protectionis tuae munimen et regimen, ne hostis antiquus qui excellentiora studia subtilioribus infestat insidiis, ad obscurandam perfectae continentiae palmam, per aliquam mentis serpat incuriam et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus decet inesse nuptiarum. Sit in eis Domine, per donum Spiritus tui prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas. In caritate ferveant et nihil extra te diligant. Laudabiliter vivant, laudarique non appetant. Te in sanctitate corporis, te in animae suae puritate glorificent. Amore te timeant, amore tibi serviant. Tu eis sis honor, tu gaudium, tu voluntas, tu in maerore solatium, tu in ambiguitate consilium, tu in iniuria defensio, in tribulatione patientia in paupertate abundantia, in ieiunio cibus, in infirmitate medicina, in te habeant omnia, quem diligere appetant super omnia, per te quod sunt professae, custodiant. Scrutatori pectorum non corpore placiturae, sed mente, transeant in numerum puellarum sapientum, ut coelestem sponsum, virtutum accensis lampadibus, cum oleo praeparationis expectent, nec turbatae improviso regis adventu, sed securae, cum lumine et praecedentium virginum choro iunctae, iucundanter occurrant. Et ne excludantur cum stultis, sed regalem ianuam cum sapientibus virginibus licenter introeant et in agni tui perpetuo comitatu probabiles mansura castitate permaneant. Quatenus centesimi fru-

ctus, dono virginitatis decorari te donante mereantur. Sequentia dicit plane legendo ita tamen ut a circumstantibus audiatur: Per Dom etc.

Tum Pontifex accepta mitra incipit schola prosequente: Veni Electa mea, ponam in te thronum meum. Quia concupivit rex speciem tuam. ℟. Audi filia et vide et inclina aurem tuam. Quia. Incepto responsorio sedet Pontifex cum mitra et eo finito surgunt virgines et duae primae ex eis praesentantur a paranymphis Pontifici, coram quo humiliter genua flectunt, cantantes simul Antiphonam; Ancilla Christi sum ideo me ostendo servilem habere personam. Qua dicta Pontifex interrogat illas palam dicens: Vultis persistere in sancta virginitate, quam professae estis? Et illae simul respondent: Volumus. Tum Pontifex imponit velum super caput cuiuslibet, quod dependeat super scapulas et super pectus et usque ad oculos singulis dicens: Accipe velamen sacrum quo cognoscaris mundum contemsisse et te Christo Iesu veraciter humiliterque toto cordis annisu sponsam perpetualiter subdidisse, qui te ab omni malo defendat, et ad vitam perducat aeternam. Ambabus velatis ambae simul genuflexae ut erant cantant hanc Antiphonam: Posuit signum in faciem meam, ut nullum praeter eum amatorem admittam. Quo facto reducuntur a matronis praedictis ad loca ordinis sui ubi prius erant, et aliae duae quae post illas in ordine sequuntur, praesentantur Pontifici, coram quo simili modo genuflectunt, velantur et cantant, ut primae. Omnibus autem sic velatis, deposita mitra Pontifex surgit et stans versus ad illus dicit: Dominus vob. Et cum.

Oremus. Famulas tuas Domine tuae custodia muniat pietatis ut virginitatis sanctae propositum quod te inspirante susceperunt, te protegente illaesum custodiant. Qui vivis.

Tum Pontifex accepta mitra vocat virgines incipiens Antiphonam schola prosequente: Desponsari dilecta veni, hiems transiit, turtur canit, vineae florentes redolent. Qua incepta, sedet Pontifex cum mitra et ea finita illae quae primae venerant ad recipiendum velum, praesentantur Pontifici a matronis praedictis eo modo et ordine, sicut prius. Tunc Pontifex accipiens annulum cum dextera sua, et dexteram manum virginis cum sinistra manu sua et mittens annulum ipsum digito annulari dexterae manus virginis desponsat illas Iesu Christo dicens singulis:

Desponso te Iesu Christo, filio summi Patris, qui te illaesam custodiat. Accipe ergo annulum fidei, signaculum Spiritus Sancti, ut sponsa Dei voceris, si ei fideliter servieris in perpetuum coroneris. In nomine Pa✝tris et Fi✝lii et Spiritus ✝ Sancti. ℟. Amen.

Quo facto ambae simul genuflexae decantant Antiphonam: Ipsi sum desponsata cui Angeli serviunt, cuius pulchritudinem sol et luna mi-

rantur. Qua cantata reducuntur a matronis praedictis ad loca sua et aliae duae sequentes praesentantur modo praemisso. Omnibus ergo sic desponsatis et ad loca sua reductis, omnes genuflexae simul levant in altum et ostendunt dexteras manus cantantes hanc Antiphonam: Annulo suo subarravit me Dominus meus Iesus Christus et tanquam sponsam decoravit me corona. Deinde Pontifex cum mitra surgit et stans versus ad illas dicit: Bene✝dicat vos conditor coeli et terrae Deus Pater omnipotens, qui vos eligere dignatus est, ad beatae Mariae matris Domini nostri Iesu Christi consortium, ut integram et immaculatam virginitatem, quam professae estis, coram Deo et Angelis eius conservetis, propositum teneatis, castitatem diligatis, patientiam custodiatis, ut coronam virginitatis accipere mereamini. Per eundem.

Posthaec Pontifex cum mitra stans, iterum vocat illas in cantu inchoans, schola prosequente hanc Antiphonam: Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum. Incepta Antiphona sedet Pontifex cum mitra et ea finita, praesentantur ei a paranymphis duae primae virgines, ut prius, coram eo genuflexae. Ipse autem torquem, sive coronam accipiens, imponit capiti cuiuslibet virginis, seriatim singulis dicens:

Accipe coronam virginalis excellentiae, ut sicut per manus nostras coronaris in terris, ita a Christo gloria et honore coronari merearis in coelis. Per eundem.

Et mox ambae simul decantant hanc Antiphonam: Induit me Dominus cyclade auro texta et immensis monilibus ornavit me. Qua cantata reducuntur a matronis praedictis ad loca sua, et alia praesentantur, cantant et coronantur. Omnibus coronatis et ad loca sua reductis et stantibus, Pontifex, deposita mitra surgit et stans versus ad illas dicit: Dominus vob. Et cum.

Oremus. Da quaesumus omnipotens Deus ut hae famulae tuae, quae pro spe retributionis aeternae tibi Domino Deo desiderant consecrari, plena fide animoque in sancto proposito permaneant. Tribue eis Domine humilitatem, castitatem, obedientiam, caritatem et omnium bonorum operum quantitatem, ut ad meritum aeternae gloriae possint pervenire. Per Chr.

Deinde omnibus simul genuflectentibus Pontifex stans ut prius sine mitra dicit:

Oremus. Te invocamus Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus, super has famulas tuas, quae tibi voverunt pura mente, mundoque corde servire, ut eas sociare digneris inter illas centum quadraginta quatuor millia, qui virgines permanserunt et se cum mulieribus non coinquinaverunt in quorum ore dolus non est inventus, ita et has famulas tuas facies permanere immaculatas usque in finem. Per immaculatum Dominum nostrum etc.

Qua finita, Virgines surgentes simul cantant Antiphonam: Ecce quod tconcupivi, iam video, quod speravi, iam teneo, illi sum iuncta in coelis quem in terris posita tota devotione dilexi. Posthaec Pontifex iunctis ante pectus manibus, dicit super illas stantes, humiliter inclinatas, benedictionem; Deus plasmator corporum, afflator animarum qui nullam spernis aetatem, nullum sexum reprobas, nullam conditionem gratia tua ducis indignam, sed omnium aequalis creator es et redemtor, tu has famulus tuas, quas ex omni nunero gregis, ut bonus pastor, ad conservandam coronam perpetuae virginitatis et castimoniam animae eligere dignatus es, tuae protectionis scuto circumtege, et ad omne opus virtutis et gloriae magistrante sapientia, praepara, ut vincentes carnis illecebras, et illicita connubia recusantes, insolubilem Filii tui Domini nostri Iesu Christi copulam mereantur. His petimus Domine arma suggeras, non carnalia sed spiritus virtute potentia, ut te muniente, earum sensus et membra, in earum corporibus et animabus non possit dominari peccatum, ac sub tua gratia vivere cupientibus, nihil sibi defensor malorum et inimicus bonorum de his vasis nomini tuo consecratis praevaleat vindicare. Omnem etiam nocivum calorem imber gratiae tuae coelestis extinguat, lumen vero perpetuae castitatis accendat, facies pudica scandalis non pareat, neque incautis occasionem tribuat negligentia delinquendi. Sitque in eis casta virginitas, sint ornatae pariter et armatae fide integra, spe certa, caritate sincera, ut praeparato animo ad continentiam, virtus tanta praestetur, quae superat diaboli universa figmenta et contemnendo praesentia futura sectentur, ieiunia epulis carnalibus praeferant, lectiones sacras et orationes conviviis et potationibus anteponant, ut orationibus pastae et eruditionibus expletae, illuminatae vigiliis, opus gratiae virginalis exerceant. His igitur virtutum armis has tuas famulas tuas interius exteriusque communiens, praesta, inoffensum cursum virginitatis implere, per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Pontifex, accepta mitra stans dicit sequentem Benedictionem super illas genuflexas;

Benedicat vos Deus Pa✝ter, et Fi✝lius et Spiritus ✝ Sanctus omni benedictione spirituali, ut manentes semper incorruptae, inviolatae et immaculatae, sub vestimento sanctae Mariae matris Domini nostri Iesu Christi, requiescat super vos spiritus septiformis gratiae, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et repleat vos spiritus timoris

Domini, fragiles solidet invalidasque confirmet, pietate allevet, et mentes regat, vias dirigat, cogitationes sanctas instituat, actus probet, opera perficiat, caritate aedificet, sapientia illuminet, castitate muniat, scientia instruat, fide firmet, in virtute multiplicet, in sanstitate sublimet, ad patientiam praeparet, ad obedientiam subdat sobrias protegat et pudicas in infirmitate visitet, in dolore relevet, in tentatione custodiat, in prosperitate temperet, in iracundia mitiget, in iniquitate emundet, infundat gratiam, remittat offensam, tribuat disciplinam. Ut his et similibus virtutibus fultae et sanctis operibus illustratae, illa semper studeatis agere, quae digna fiant remuneratione. Illum habeatis testem, quem habiturae estis iudicem, et vos aptetis, ut praefulgentem gestetis in manu lampadem, intraturae sponsi thalamam, occurratis cum gaudio et nihil in vobis reperiat foetidum, nihil sordidum, nihil occultum, nihil corruptum, nihil inhonestum, sed niveas et candidas animas, corporaque lucida atque splendida, ut cum ille dies tremendus remunerationis iustorum, retributionisque malorum advenerit, non inveniat in vobis ultrix flamma, quod urat, sed divina pietas, quod coronet, quas iam in hoc saeculo conversatio religiosa mundavit, ut ad tribunal aeterni regis ascensurae, celsaque palatia, cum iisdem mereamini habere protectionem, qui sequuntur Agnum et cantant canticum novum sine cessatione, illic percepturae praemium post laborem, semperque maneatis in viventium regione. Atque ipse benedicat vos de coelis, qui per crucis passionem humanum genus est dignatus venire in terris redimere, Iesus Christus Dominus noster, qui cum aeterno Patre et Spiritu Sancto in unitate perfecta vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex sedens cum mitra, publica voce anathema ponit, ne quis eas a divino servitio quae vexillo castitatis subiectae sunt, abducat, nullus earum bona suscipiat, sed ea cum quiete possideant in hanc formam:

Auctoritate omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, firmiter et sub interminatione anathematis inhibemus, ne quis praesentes virgines, seu sanctimoniales a divino servitio, cui sub vexillo castitatis subiectae sunt, abducat, nullus earum bona surripiat sed ea cum quiete possideant. Si quis autem hoc attentare praesumserit, maledictus sit in domo et extra domum, maledictus in civitate et in agro, maledictus vigilando et dormiendo, maledictus manducando et bibendo, maledictus ambulando et sedendo, maledicta sint caro eius et ossa et a planta pedis usque ad verticem non habeat sanitatem. Veniat super illum maledictio

hominis, quam per Moysen in lege filiis iniquitatis Dominus permisit. Deleatur nomen eius de libro viventium et cum iustis non scribatur. Fiat pars et haeredibus eius cum Cain fratricida, cum Dathan et Abiron, cum Anania et Saphira, cum Simone mago et Iuda proditore, et cum eis qui dixerunt Deo, recede a nobis, semitam viarum tuarum nolumus. Pereat in die iudicii, devoret eum ignis perpetuus cum diabolo et angelis eius, nisi restituerit et ad emendationem venerit. Fiat, fiat.

Tum dicitur Alleluia, sive ultimus versus Tractus vel Sequentiae et caetera usque ad Offertorium inclusive, virginibus in ordine suo manentibus. Offertorio dicto singulae virgines consecratae, velatis capitibus ad manus Pontificis in faldistorio ante medium altaris cum mitra sedentis, offerunt coram eo genuflexae quaelibet candelam accensam. Interim parantur pro eis tot hostiae consecrandae quod sunt ipsae numero. Facta oblatione Pontifex cum mitra sedens lavat manus, deinde deposita mitra surgit et prosequitur Missam more consueto.

Secreta. Oblatis hostiis quaesumus Domine praesentibus famulabus tuis perseverantiam perpetuae virginitatis accommoda ut apertis ianuis summi regis adventu regnum coeleste cum laetitia mereantur intrare. Per Dom.

Postquam Pontifex se de Corpore et Sanguine communicaverit, tum accedunt ad supremum gradum altaris virgines ipsae binae et binae et ibidem genuflectunt, Pontifex vero singulas communicat, et omnibus communicatis, ipsae virgines ante altare, ut in Missa fuerunt genuflexae simul cantant Antiphonam: Mel et lac ex eius ore suscepi et sanguis eius ornavit genas meas. Interim Pontifex ablutionem sumit, tum accepta mitra, stans lavat manus, deinde perficit Missam.

Postcommunio: Deus qui habitaculum tuum in corde pudico fundasti, respice super has famulas tuas et quae castigationibus assiduis postulant, tua consolatione percipiant. Per Dom.

Missa finita Pontifex dat benedictionem solemnem. Et quia in nonnullis monasteriis est consuetudo, quod loco Diaconissatus Virginibus consecratis datur facultas incipiendi horas canonicas et legendi officium in Ecclesia, Pontifex stans ante altare sine mitra, Virginibus consecratis coram eo genuflexis, dicit: Dominus vobiscum. Et cum.

Oremus. Exaudi Domine preces nostras et super has famulas tuas spiritum tuae bene✝dictionis emitte, ut coelesti munere ditatae et tuae maiestatis gratiam possint acquirere et bene vivendi aliis exemplum praebere. Per Chr.

Tum sedet Pontifex, accepta mitra, et tradit Breviarium illis ambabus ma-

nibus ipsum tangentibus, dicens: Accipite librum ut incipiatis horas canonicas et legatis officium in Ecclesia. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen. Surgit Pontifex, mitra deposita et conversus ad altare incipit hymnum Te Deum laudamus, quem Chorus prosequitur usque ad finem et eo finito duae ex Choro dicunt: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Respondeat Chorus: A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem. Et Pontifex stans in cornu Epistolae altaris, conversus ad altare, ex libro ibidem super altari posito dicit: Actiones nostras quaesumus Domine aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Chr.

Posthaec Virgines consecratae revertuntur ad portam monasterii, ubi Pontifex eas coram se genuflexas praesentet Abbatissae similiter genuflexae dicens: Vide quomodo istas consecratas Deo, serves et repraesentes immaculatas: reddituга pro eis rationem ante tribunal sponsi earum venturi iudicis. Tum Pontifex redit ad Ecclesiam dicens. Dominus vobiscum. Initium sancti Evang. sec. Ioannem. In principio etc. Et sacris vestibus depositis vadit in pace.

Index.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEUBNER.